

RR ~~R R~~
VII ~~VIII~~
29 ~~24~~

SAMUELIS RACHELII, JCti,
& in Illustri Holsatiæ Academia
Antecessoris,

De

JURE NATURÆ
ET
GENTIUM

DISSERTATIONES.

KILONI,
Literis Joachimi Reumanni. Acad. Typogr.
Anno cIↄ Iↄ c LXXVI.





SERENISSIMI
BRUNSUICENSIUM ET LUNEBURGENSIUM

DUCIS,

SPECTATISSIMÆ FIDEI
ET PRIMÆ DIGNITATIS

CONSILIARIO,

PERILLUSTRI AC GENEROSISSIMO
DOMINO,

DOMINO OTTHONI GROTE,

TOPARCHÆ IN FRIDELAND;
Dynastæ in Wedesbüttel, Fachenfelde, Jüen, Wrestädt & Knesebeck &c.

PATRONO ET AMICO SUO MAGNO,

Salutem & Felicitatem perpetuam.

Magnum

MAgnum TE fore, magnisq; rebus ac muneribus admotum iri, PERILLUSTRIS DOMINE GROTE, non tam divinabam, quàm ex certis indiciis colligebam, cum Studiorum gratia in Academia JULIA unà essemus, ibiq; nescio quot modios salis consumeremus. Quo familiari convictu sicuti ingenia moresq; animi rectissimè explorari possunt, ita ad amicitiam conciliandam & conservandam is plurimum confert. Discendi cupiditas in TE erat flagrantissima, &, licet inprimis iis TE studiis traderes, quæ animum perficiunt, etiam illas artes & exercitia sedulò adjungebas, quibus corpus ad pacis belliq; munia promptè ac dextrè obeunda, vel ornari, vel instrui, & pro natalium TUORUM conditione fortuna splendidior haberi posset. Morum vero ea erat suavitas & facilitas, ut meliores & politiores quosque in TUI amorem pelliceret, TIBIq; ipsi olim ad luculentos honores viam expeditiorem paratura esset. Ut adeo vehementer gaudeam, id, quod tum animus præsagiebat, non solùm evenisse, sed & virtutem TUAM cum Fortunæ præmiis, atque hujus arbitrium cum istius meritis suavi æmulatione contendere. Etsi vero ad humanitatem compositi mores secundum vetus ver-

bum magnis honoribus plerumque mutari soleant; id tamen iis tantùm accidere puto, qui fortè animum Virtute & Prudentia leviter tinctum & non penitus imbutum habent. Quamlibet enim Societatem, modo illa verè sit talis, nomenq; suum tueri possit, magis Amicitia, quàm Justitia conservari, verissimè dixit Aristoteles. Si igitur non solùm inter personas naturali necessitudine conjunctas, sed & ex instituto hominum Amicitia vel inter æquales, vel inter inæquales, ipsosq; Imperantes & subditos obtinet; hanc convenientibus ubique officiis stabilire, & membra Societatum mutuam sibi operam ac benevolentiam præstare addecet. Quam fragile enim & caducum sit Principum imperium, nisi Amicorum adminiculo fulciatur, nemo non intelligit. Si cui enim arcana imperii, vel exercitum, vel castellum illi commiserint, Amicitiæ opus cumprimis est, si fidem servet, eamq; proditione aliisq; pessimis modis non prostituat, etiamsi istud etiam jubeat Justitia, hoc vetet. Xenophon, qui sub persona Cyri ideam Optimi Principis repræsentare decreverat, hanc illi tribuit vocem ad Cambysen: *Te, mi Cambyses, scire volo, non aureum hoc sceptrum esse, quod Regnum tibi conservet: sed Amici fideles Regibus & verissimum & tutissimum sceptrum sunt. lib. 8.*

Hoc

Hoc quamvis Principes haut difficulter intelligere possint, amicorum fide, ope atque consilio imperii molem præcipuè niti; non tamen perinde facile iis est, veros fidosq; amicos, ab iis qui tales se simulant, discernere, sed hanc ad rem ipsis probitate morum, & judicii maturitate multaq; experiētia opus est; quod in suo Cyro etiam idem Scriptor his laudat verbis: *Magnum & illud argumentum est, quod in exitu vitæ ipsi accidit, tum ipsum fuisse bonum, tum rectè judicare potuisse, quosnam & fideles, & benevolos, & constantes haberet amicos. lib. 1. de exped. Cyri.* Cum igitur SERENISSIMUS Brunsuicensium ac Luneburgensium DUX, Prudentia, Clementia, imperandi arte laudatissimus PRINCEPS, TE, PERILLUSTRIS DOMINE GROTE, inter SUOS Amicos, & quidem inter Fidelissimos Fidelissimum habeat, singulariq; judicio ad tantæ Gratiæ penetralia TE admiserit; dignum hoc TUOq; officio facis, quod omnia BONA FIDE facis. In quæ tempora inciderimus, quam dubia sit Martis alea, calculus licet bene positus quomodo suum pretium sæpè Fortunæ arbitrio amittat, omnesq; rationes turbentur, vides. His itaque rectè moderandis cum exactissima Prudentia opus sit, qualis vix capax est animus cujusquam hominis, non solum illi laudandi sunt, quorum consilia felicem sortiuntur exi-

tum, sed & ii in pretio habendi, qui nihil temere, inconsultò vel astutè susceperint, modò omnia bona fide, eaq;, qua fieri potest, prudentia, tempori ac necessitati non rarò servire jussa, egerint, etiamsi interdum illorum incepta propter rerum humanarum inconstantiam exspectato successu destituantur. *In adeundis periculis*, inquit Cicero, *consuetudo imitanda medicorum est, qui leviter ægrotantes leviter curant: gravioribus autem morbis periculosas curationes & ancipites adhibere coguntur. Quare, in tranquillo tempestatem adversam optare, dementis est: subvenire tempestati quavis ratione, sapientis: eoq; magis, si plus adipiscare re explicata boni, quàm addubitata mali.* Quemadmodum vero Reges & Principes Amicis maximè fidelibus; ita non minus etiam hi sinceris Amicis indigent, quò istorum curæ horum vel consilio adjuventur, vel ministerio expediantur, tantoq; magis adversus invidorum & malevolorum technas, calumnias, simulationum & dissimulationum tendiculas, Amicorum fidelium phalange sint muniti, magisq; tuta & firma iis sit Principum gratia, atque his ipsis Sua variis temporum vicissitudinibus exposita fortuna. Ut adeò graviter errare, & in Prudentiæ regulas impingere videantur magni Principum Amici, quibus ea se suam potentiam sæpe ostentare volupe est, quàm impunè sibi liceat

ceat alios contemnere, irritare, offendere, adfligere aut plane opprimere; cum tamen rarò hoc omnino impunè fiat, quod malus diuturnitatis & impotentis potentiæ custos sit Metus vel Odium. Beneficiis igitur ut Amicos sibi adjungant, Beneficiis illorum fidem & obsequium provocent, sibiq; adstruant, omnes prudentes suadent, imò hortantur. Cum igitur, PERILLUSTRIS DOMINE GROTE, olim nescio quid in me TUO Amore dignum deprehenderis, nisi ut id unum profitear, me candore & Amore nunquam TIBI concessisse, neque ab hac propensione magna, qua ornatus es, Fortuna TE dimoverit; hanc sanè TUAM erga me humanitatem & benevolentiam grata mente & recolo, & exosculor. Bene memini, qua ratione Amicitia personarum inæqualium, quæ *καθ' ὑπεροχὴν* Philosopho dicitur, sit colenda & firmanda, ut quantum dignior Amicus virtute aliisvè bonis civilibus alteri præstat, tantò plus isti de Amicitiæ bono proprio sit tribuendum. Itaque cum TE, PERILLUSTRIS DOMINE, & natalibus, & potentia, & virtute, & magnis meritis munerumq; splendore antecellere videam, meum est devoto Amore & conveniente Honore prærogativam illam atque eminentiam TUAM prosequi. Quo fine meum de JURE NATURÆ ET GENTIUM commentarium, ceu meæ observantiæ

vantiæ argumentum non solùm consecrare TIBI, sed & publicè apud alios, imò, si ætatem mea ferre possint, apud posteros exstare volui, ut omnes intelligant, quò TU dignitate excellentior es, tantò me TUI semper observantiorem futurum esse. Nosti meum ingenium, quod nihil sordidè captem, vel ambitiosè adfectem; hoc tamen per TUAM TE bonam mentem promissiq; fidem oro & obtestor, ut veteris amicitiæ memoriam & fructum mihi meisq; conservare ne dedigneris, præsertim si (ut sumus homines) humani quid mihi acciderit. Nos illum favorem, quibus poterimus officiis, cultu & obsequio vicissim demereri studebimus, Deumq; precabimur, ut omnia TIBI TUÆq; Generosissimæ Familiæ feliciter eveniant, seque debitorem reliquorum pro nobis delegari patiatur,

PERILLUSTRIS GENEROSITATIS TUÆ

Scribebam in Academia Holſ. quæ est Kilonſ. a. d. XXII. Jan. cIↄ Iↄc LXXVI.

observantissimus

SAMUEL RACHELIUS.

Σὺν

Σὺν Θεῷ.

DISSERTATIO PRIMA

DE JURE NATURÆ.

I.

JUris multiplex & varia admodum Divisio tradi solet. Ulpianus, cum Juris vocabulo pro ipsa Jurisprudentia, seu disciplina Juris, usus fuisset, duas illius Studii facit Positiones, quod aliud sit Publicum Jus, aliud Privatum. Atque hoc tripertitum esse ait: collectum etenim est ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut civilibus. *l. 1. §. 2. ff. de Just. & Jur.* Describit deinde suo more Jus Naturale *d. l. §. 3.* Jus Gentium *d. l. §. 4.* Jus Civile *l. 6. eod.* Cajus dispescit omne Jus in Civile & Gentium. *l. 9. ff. eod.* Per istud non Juris disciplinam, sed Jus quod quæque Civitas ex instituto sibi proprium constituit: per hoc Jus Naturale intelligit. Alias Divisiones & subdivisiones jam prætermitto. Ego enim juxta præceptum Dialecticorum talem quæro Divisionem, quæ fiat in partes immediatas. *Arist. 2. post. anal. c. 13.* Unde Divisio in proxima debet resolvi membra, neque saltus, ut ajunt, in ea est faciendus. Juxta has itaque regulas si Ulpiani & Caji divisiones examinentur, neutra censuram philosophicam sustinebit. Sanè quod illam divisionem attinet, quæ Ulpiano tribui solet, potius Triboniano accepta ferenda fuerit. Ulpianus enim Jus absolutè sibi non habuit propositum, ut illud ceu genus universum in species

 suas

suas tribueret; sed loquitur speciatim de Jure Romano, dicitq; illud collectum esse ex præceptis naturalibus, gentium & civilibus. Est autem verissimum, Jus Romanum, h. e. Jurisprudentiæ Ro. libros varii generis leges ac præcepta complecti, partim ex Jure Naturæ, partim Gentium deprompta, partim domestica & in Rep. Ro. nata & constituta. Jus Gentium ego hic intelligo propriè dictum, cujus vestigia videre licet in *titt. ff. de acq. rer. dom. de capt. & postlim. de re milit. de legation.* Quamvis non nesciam, & aliàs demonstraverim, & Naturale Jus & Gentium ab Ulpiano perperam describi. Tribonianus autem cum primùm presso pede Ulpianum fuisset secutus, dixissetq; Jurisprudentiæ studium occupari vel in Jure Publico, vel Privato, atque hoc collectum esse ex præceptis naturalibus, aut gentium, aut civilibus, *§. ult. Inst. de Just. & Jur.* mox transiturus ad *Tit. 2.* ejus Rubricam generatim hanc inscribit, *De Jure Naturali, Gentium & Civili.* Hæc itaque Divisio non rectè se habet, si Divisum de Jure absolutè tali sit accipiendum; neque enim fit in partes proximas & immediatas, ut ex sequentibus mox erit manifestum. Sed nec Caji est exacta Juris divisio. Præterquam enim quod Jus Gentium æquivocè pro Jure Naturæ vendicet, Civile Jus ita describat, ut hæ duæ species Divisi naturam absolutè consideratam non exhauriant. Docent autem Philosophi, quod singulæ quidem partes divisionis minus continere, quàm divisum: omnes vero simul sumptæ illud exæquare sive exhaurire debeant.

II. Rectissimè ergo Aristoteles *5. Nicom. 7.* Jus dividit in Naturale & Legitimum: ut hoc posteriori membro contineantur omnes leges arbitrariæ, sive illæ peculiariter utili-

utilitati civitatis cujuspiam serviant, sive quæcunque ejus generis sint aliæ. Atque hæc divisio uti in partes proximas & immediatas diducitur, ita omnes Juris species sub his continentur, & ad illas tanquam genera sua referri possunt.

III. Dicas, neque Philosophum Jus ἁπλῶς consideratum divisisse; sed *Civile Jus*. Sic enim ait *d. Cap.* τοῦ δὲ πολιτικοῦ δικαίου, τὸ μὲν, φυσικόν ἐστι. τὸ δὲ νομικόν. *Jus Civile aliud Naturale est, aliud Legitimum.* Hujus rei hanc ille rationem habuit. Docuerat Civitatem esse Societatem Naturalem, maximeq; perfectam, ejusq; finem esse ἀρχιτεκτονικὸν, cui reliquarum Societatum inferiorum vel simplicium fines subsint & subserviant; adeoq; Hominem non solùm esse φύσει ζῷον κοινωνικὸν, *naturâ animal sociale*, sed & esse φύσει ζῷον πολιτικὸν, h. e. *ipso Naturæ instinctu ad Civilem Societatem duci.* Licet enim Homo naturâ appetat Bonum, idque etiam consequatur in Societate Conjugali, Paterna, Domestica, & aliqua in his beatitate fruitur; non tamen illa est ita perfecta, neque τὸ πέρας τῆς αὐταρκείας, *fastigium omnis ubertatis*, complectitur, veluti Civilis Societas. *1. Polit. 2.* Itaque cum Felicitas Civilis ne quidem sit absolutè Summum Bonum, sed in suo genere, puta vita civili; dubium non est, quin Natura voluerit Hominem ducere ad vitæ genus, statum & societatem perfectissimam, in qua consequeretur τἀνθρώπινον ἀγαθὸν, *bonum humanum*, idq; maximè perfectum. *1. Nicom. 2. §. 8.*

IV. Quod ut rectius intelligatur, sciendum, *Societatem* esse unum quiddam compositum ex multis individuis, ad bonum commune connitentibus. Sed, quæso, quid est illud, quod Societatem ut Unum quiddam con-

 stituit?

ſtituit? Lex. Hujus enim vinculo ſocietas quæque continetur, & ad eundem communem finem omnia Societatis membra obligantur. Neque enim imperare ſibi, neque ſe prohibere quisquam poteſt, ait JCtus *l. 51. ff. de recept. qui arbitr.* Quòd ſi dixeris *Ordine* Societates contineri, nihil illa oratio à ſuperiori diſcrepabit. ἡ γὰρ τάξις, νόμος, *Lex enim eſt Ordo;* inquit Philoſophus, *3. Polit 12.*

V. Societates omnes vel ſunt a Natura, vel ab Inſtituto hominum. Iſtæ ſunt, quibus ipſa Natura finem naturalem præfixit, & Homini illum conſectandi appetitionem inſevit, idoneisq; in hunc uſum adminiculis eum inſtruxit. Natura enim uti nihil facit fruſtra, ita nec in infinitum progreditur, ſed aliquo fine ultimo appetitum humanum terminari, & in eo adquieſcere vult. Hæ ſunt, quæ hominum placito & arbitrio Utilitatis, multùm mutantis variantisq;, ratione inſtituuntur.

VI. Cum igitur omnes Societates Juris vinculo contineantur, omnesq; fateantur, Jus eſſe quiddam, quod Societates humanas conſervet; harum vero diverſisſimi ſæpe ſint fines, non unius generis Jure illas regi poſſe, manifeſtum eſt, ſed partim Naturali, partim Arbitrario. Sed neque hoc neque iſtud in quibuslibet ſocietatibus omnino idem eſt, quin pro diverſa natura ſocietatum, & finium illis propoſitorum, differt. Alio enim Jure regitur Societas Conjugalis, alio Paterna, alio Herilis: & ſic in cœteris quoque res ſe habet. Præterea nec Societates Naturales unicè apud nos conſtituuntur Jure Naturali, ſed in ſubſidium adhibentur ſæpe plurimæ leges arbitrariæ. Nam quod eſſentiam & finem iſtarum Societatum attinet, illa Jure Naturali conſtituta ſunt: at

at Media & ſubſidia illuc ducentia, aut utilitatis, *αὐταρκείας*, vel *εὐπορίας* ratione comparata, arbitrio hominum magnam partem permiſſa ſunt, adeoq; arbitrario jure determinantur.

VII. Quemadmodum autem ipſæ Societates Humanæ inter ſe differunt, & aliæ aliis ſunt Perfectiores; ita quoque diverſarum ſocietatum diverſa Jura alia aliis ſunt Perfectiora. Nam etſi quodque Jus Naturæ in quaque ſocietate Naturali ſpectatum ſit perfectum; ſi tamen ipſas ſocietates earumq; fines inter ſe contendas, Jura profectò earundem ad ſolidam *εὐδαιμονίαν* ſive *εὐπραξίαν* conſequendam alia aliis ſunt perfectiora, ſive *κυριώτερα*, autoritate diverſa prædita. Proinde ſi Jura aliarum Societatum Naturalium cum Jure Civili conferas, dicendum erit cum Ariſtotele ex *5. Nicom. 6. § 7. & 8. In illis non eſt Jus Civile, ſed Jus quoddam certum, & ex iſtius ſimilitudine ita appellatum. Jus enim* (*κατ' ἐξοχὴν*) *inter illos eſt, quibus & Lex inter ipſos communis eſt.* Apparet hinc Juris & Legis Vocabula *ἀφ' ἑνὸς* dici, quæ primariò Juri Legiq; civili, ſecundariò aut ſequiori loco ac gradu aliarum ſocietatum Juribus ac Legibus tribuantur. Hinc cum Paraphraſtes Græcus ad illum Philoſophi textum Juris Patrii & Herilis meminiſſet; hæc ſubjicit: *κυρίως τοίνυν καὶ ἀληθῶς δίκαιόν ἐστι τὸ διανεμητικὸν, καὶ τὸ διορθωτικόν. ὅπερ ἐστὶ τὸ πολιτικόν. Propriè ergo vereq; Jus eſt, id quod Diſtributivum Jus ac Correctivum dicitur: quod Civile Jus eſt.*

VIII. Hinc colligere eſt, cur Philoſophus non *Jus* indeterminatè, ſed *Jus Civile*, quo Civitas omninò utitur, diviſerit in Naturale & Arbitrarium. Deligendum ſcilicet erat primarium analogatum, uti Latini Philoſophi

minùs latinè hoc appellitant, ex cujus conditione quōdammodo etiam intelligi poterat illorum Jurium natura, quæ à Jure κυρίως dicto, h. e. Civili, inferiori loco distant. Itaque si perfectissimæ Societatis Naturalis Jus perfectissimum rectè tribuitur in Naturale & Arbitrarium; non dubium est minùs perfectarum Societatum Naturalium Jura eandem conditionem subire. Ratum itaque esto, quod omne Jus, quo Civitas, vel Homines, φύσει ζῶα πολιτικά, utuntur, vel sit Naturale, vel Arbitrarium.

IX. Juris itaque in universum Divisio optima est, quam tradidit Philosophus *5. Nicom. 7.* Quod aliud sit φυσικὸν, *Naturale*, aliud νόμιμον, *Arbitrarium. Naturale* ita ibidem describit, *quod ubique gentium eandem vim obtinet, neque à placito Legislatoris exstitit.* Atque hoc ejusdem *cap.* §.*5.* his illustrat verbis: *Id quod constat natura, immobile atque immutabile Jus est, & ubiq; eandem vim habet: quemadmodum ignis hic & apud Persas urit.* Ex his facile quidem colligitur, quam latè se porrigat hujus Juris obligatio, putà quod ad omnes homines pertineat, plura tamen hic investiganda sunt.

X. Antequam verò ipsa Juris Naturalis penetralia inspiciamus, nonnullæ loquendi formulæ ac voces explicandæ & invicem secernendæ sunt, ut inoffenso pede procedat nostra disputatio. Notandum itaque primò est, inter Justum Naturale & Honestum non esse nullam differentiam. Etsi enim natura & qualitate morali hoc cum isto conveniat, saltem diverso considerandi modo & respectu tamen inter se differunt. Si enim, semotis aliis Honesti significationibus, illud Honestum intelligas, quod

quod in virtute morum & actionibus inde descendentibus cernitur; Justum ab eo hactenus distabit, quod obligationem simul & respectum ad alium contineat. Honestum vero solius sui subjecti & possessoris perfectionem, præstantiam ac decus denotet. Non tamen hoc adseverabo, ac si omne Honestum etiam Lege Naturali sit comprehensum, ut naturam Justi induat, cum etiam multa opinione & moribus Honesta censeantur, quæ lege ceu Justa non sunt sancita, cumprimis Naturali. Agnovit hoc discrimen ipse Ulpianus *l. 42. ff. d. V. S. & l. 1. §. 5. ff. de extraord. cognit.*

XI. Inter Honestum ipsum & Decorum magna quoq; est cognatio, ut tamen etiam hæc inter aliquod deprehendatur discrimen. *Decorum*, inquit Cicero, *id est, quod consentaneum sit Hominis excellentiæ in eo, in quo natura ejus à reliquis animantibus differt.* Cum vero contraria se mutuo illustrare soleant, non incommodè huc referri poterunt ejusdem verba, quibus ille *Ineptum* describit *lib. 2. de Orat. Quem nos Ineptum vocamus, is mihi videtur ab hoc nomen habere ductum: quod non sit aptus, idq; in sermonis nostri consuetudine perlatè patet. Nam qui aut, tempus quid postulet, non videt, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum, quibuscum est, vel dignitatis vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus est, is Ineptus esse dicitur.* Guilielmus Grotius *de Princip. Jur. nat. cap. 3. n. 4.* putat: *Decorum* aliàs nomine *Consilii* exprimi solere, idq; habere vim non Obligationis, sed Exhortationis. Cicero agnovit quidem illud discrimen, sed exprimere non potuit: *Qualis*, inquit, *sit differentia Honesti & Decori, faciliùs intelligi, quàm expla-*

explanari potest. Quidquid enim est quod deceat, id tum apparet, cum antegressa est Honestas. Richardus Cumberland *in Proleg. de Legib. Nat. §. 16.* juxta suam Hypothesin de Benevolentia eleganter hæc illustrat. *Quoniam*, inquit, *Status universorum hominum omnibus animi corporisq; bonis naturalibus, aptè inter se proportionatis, & ad optimum finem adornatis, cumulatissimus, naturaliter pulcherrimus est, (utpote definitioni Pulchritudinis è partium figura & symmetria desumpta planè congruus) manifestum est, illas actiones, quæ ita eliciuntur, ut ad hunc Statum constituendum aut conservandum ex intrinseca sua vi sint idoneæ, meritò dici* Pulchras *seu* Decoras. *Atque hinc explicari potest τὸ καλὸν & τὸ πρέπον seu* Decorum, *quod in actionibus virtutis toties celebrant Philosophi.* Mihi ita videtur, quod, licet magna hæc inter sit adfinitas, à verè Justo longiùs absit Decorum, propiùs Honestum, saltem multis in rebus.

XII. Autor Anonymus Belga *diss. Epist. de Justo & Decoro,* cum & ipse aliquam inter hæc differentiam agnovisset, in duas classes Peccata dividit, quod alia sint contra naturam strictè loquendo, alia contra decorem seu dignitatem hominis naturalem *p. 41. & 89.* Hoc discrimen quamvis ratione non destituatur, & sint omnino varii moralitatis gradus, non tamen mihi placet ita destribi peccata adversus dignitatem hominis commissa, quibus Deo aut proximo nihil subtrahatur, quod Justitia iis largiri jubet. Neq; etiam hanc in rem promiscuè adducta exempla mihi probantur, quasi Concubinatus & Ebrietas non nisi decorem & dignitatem hominis lædant. Reliqua ad explicationem vocum paulò antè memoratarum suppleantur ex iis, quæ in Prolegomenis ad Ciceronis Offi-

cio-

ciorum libros disserui. Ubi etiam prolixè docui, quid sit Officium, & quo pacto etiam hoc à Justo differat. Latius illud hoc patere, neque istud semper Obligationis necessitatem involvere, in aprico est. *Quanto latiùs patet Officiorum*, *quàm Juris regula* inquit Seneca *lib. 2.de Ira. cap. 27.*

XIII. Præterea multùm etiam differunt, *Esse à natura*, seu, *provenire à naturali inclinatione:* aut, *esse conveniens natura, sive juri naturali:* & revera *esse à Lege Natura.* Naturalia enim sæpe dicuntur etiam illa, ad quæ 1. Natura inclinat, 2. quæ tantùm permittit, 3. quæ Honesta suo modo esse judicat, etsi non planè Debita, 4. quibus Jus Naturæ non repugnat, & quæ hactenus Justa dicuntur, quod careant injustitia. A Lege Naturæ sola illa proficiscuntur, quæ fieri vel non fieri Natura jubet, sic ut istud omitti, hoc fieri sine peccato nequeat. Guililemus Grotius in eleganti Opusculo postumo, eoq; adfecto, *de Princip. Jur. Nat. cap. 2. n. 3.* aliam adhuc significationem suppeditat, qua Naturale id denotat, quod plerumque fieri solet: quam tamen ipsius Frater Hugo Grotius jam antè proposuit *lib. 2. de J.B.P. cap. 12. §. 26.* Cui adfinis est illa, qua Naturale denotat id, quod ab inveterata consuetudine est profectum: qualia ab iis, quæ propriè sunt Juris Naturalis secernenda esse monet Mevius *in Prodr. insp. 2. n. 8.* Et hinc explicationem petit *l. 16. §. 4. ff. de minorib. & l. 7. ff. de R. I.* His ita præmissis, propiùs ad rem accedamus.

XIV. Jus igitur Naturale quando dicimus, primò omnium non immeritò quæritur, quænam sit illa Natura Non hic conquiram farraginem plurimarum sententia

rum, aut diversarum opinionum. Vel unius enim hanc ad rem sufficere poterit Seldeni diligentia. *lib. 1. de J. N. G. jux disc. Hebr.* Sed recta via veritatem indagabo. Commodissimè itaque hoc mihi referre videtur Justinianus ad Providentiam Divinam. §. *11. Inst. de J. N. G. & Civ. Naturalia*, inquit, *jura, quæ apud omnes gentes peræque observantur, divina quadam providentia constituta.* Idemq; alibi sic ab eodem explicatur, *Jus naturale est, quod cum ipso genere humano rerum Natura prodidit.* §. *11. Inst. de rer. div.* Quia enim, uti suprà dictum fuit, Homo naturâ est animal Sociale, hoc est, accepit instinctum atque inclinationem à Natura, qua ad Societatem ineundam ducitur: eoq; fine præcipuum ab eadem instrumentum accepit, *Orationem;* illa omnia non possunt aliunde esse, quàm à Deo: cujus Providentiæ sicuti aliæ res creatæ ad suum quæque finem ordinantur, atque ea ratione conservantur; ita quoque Homo per ordinem Societatum ad finem à Deo præscriptum ducitur. Aut hoc nisi ita sit, sequeretur hoc absurdum, bruta, plantas, resq; creatas cæteras majori curæ esse Deo, quàm Hominem; cujus tamen gratia omnia condita esse Stoicis dudum placuit: neque à quoquam, qui sanæ mentis sit, negari poterit. Et licet his obstare videantur illa Apostoli verba *1. Cor. 9. v. 9. Num boves curæ sunt Deo?* potius tamen est, ut iisdem illa confirmentur. Nec enim vult Apostolus, quod boves prorsus curæ non sint Deo; sed quod magis curæ illi sint Homines. Præclarè Liber Sapientiæ *cap. 6. v. 8. Parvum & magnum ipse fecit.* ὁμοίως τε προνοεῖ περὶ πάντων, *& pariter providentiam habet de omnibus*, hoc est, nullam rem providentia & cura sua destituit. Meritò itaque vapulat Hotoman-

mannus in Commentario Bachovii *ad. d. §. 11. Inst. de J. N. G. & civ.* inconsideratè nimis dictitans, verba illa, *divina providentia constituta,* ineptè esse adjecta, quia Civilia quoq; jura ita sint constituta. Esto enim quod Providentia divina aliquando Legislatorum consilia & prudentiam dirigat in condendo jure arbitrario; maximum tamen inter hoc & Naturale Jus discrimen est reliquum. Hoc enim Jus non nisi à Providentia divina, unicè & immediatè proficiscitur: Atque sicuti fas est Legislatoribus hominibus in suo Jure arbitrario aliquid mutare, aut abrogare; ita in Jure Naturali idem velle tentare & frustra fuerit, & nefas.

XV. Cajus vero *l. 9. ff. de Just. & Jur.* quem item sequitur Justinianus *§. 1. Inst. d. t.* Jus Naturale, quod ille καταχρηστικῶς ibi Jus Gentium appellitat, pauló aliter describit, *Quod naturalis ratio inter omnes homines constituit.* His consentanea tradunt non pauci JCti. Ita Grotius Naturalis Juris matrem dicit esse ipsam Humanam Naturam, *in Proleg. de Jur. Bell. & Pac.* Et cum huic *lib. 1. cap. 1. §. 10.* tum aliis plurimis definitur hoc Jus Naturale per dictatum Rectæ Rationis. Cui non audita illa Philosophorum vox, ὁ νόμος ἐστὶ λόγος ὁ ὀρθὸς, *Lex* (cum primis Naturalis) *est Recta Ratio? Est*, inquit Cicero *1. de Legg. unum Jus, quo devincta est hominum societas: & quod lex constituit una: qua lex est Recta Ratio imperandi atque prohibendi: quam qui ignorat, is est injustus, sive est illa scripta uspiam, sive nusquam.* Plura in eandem sententiam ab aliis dicta congerere nolo.

XVI. Videntur autem istiusmodi loquendi formulis hoc velle indicare: Providentiam divinam, à qua

Homo instinctum & propensionem ad Societates Naturales accepit, easdem tali jure munivisse, eoq; vinculo connexas conservare, quod Rationali Hominis Naturæ quàm maximè sit accommodatum. Si enim alias res creatas inspiciamus, convenientissimis mediis & instrumentis quasque ad suum finem instructas esse deprehendimus, ut non tam absurdum quàm impium dictu cogitatuq; fuerit, Hominem vel minori vel nulli curæ esse Deo. Aristoteles ubi contendit, Naturam nihil fecisse frustra, & imprimis Homini certum præfixum esse ab ea finem, mediaq; ad hunc obtinendum simul suppeditata, idipsum his inter alia verbis illustrat. *Utrumnam fabri & sutoris* (adde apium, formicarum, bombycum, & similium rerum) *aliquod est opus, & aliqua actio, hominis vero erit nullum? atque ad desidiam is inertiamq; natus reperietur? An potius ut oculi, manus, pedis, singularumq; adeò partium suum cujusque opus ac munus est, sic Hominis quoque præter hæc omnia aliquod opus esse statuemus? 1. Nicom.* 7. §. 33. Cum ergo Homo à Natura conditus sit animal sociale, & opus ejus proprium est, Vivere secundum Rationem, ut in vita civili semper sit occupatus Ἐνεργεία, regulas vivendi Rationali ejus ac Sociali Naturæ convenientissimas Providentia divina præscripsit, quæ sunt ipsa Jura Naturæ, hoc est, profectæ à Natura Naturante, Deo, sua Providentia omnia ad debitum finem convenientibus mediis dirigente: accommodataq; Naturæ Naturatæ, Homini, animali Rationali & Sociali. Grotius *in Proleg. de J. B. P.* idipsum his indicat verbis: *Inter hæc quæ homini sunt propria, est appetitus societatis, non qualiscunque, sed tranquillæ, & pro sui intellectus modo ordinatæ.* Illa Ordinatio à Providentia divina constituitur per

Jura

Jura sua, quibus quamque Societatem ejusq; partes conglutinat. Hinc etiam Aristoteles *1. Polit. 2.* rectè docet, Orationem, instrumentum à Natura Homini concessum ad societatem rectiùs colendam, commodam esse, destinatamq; à Providentia divina ad declarationem ejus, quod prodest, & obest, justi item atque injusti.

XVII. Præterea Jus Naturale quidam ita interpretantur, quod naturâ cognosci possit, & cujus Principia etiam Homini sint congenita: eumq; in finem adduci consueverunt illa Apostoli *ad Roman. cap. 1 & 2.* τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς. ὁ γὰρ θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε, *Illud quod de Deo cognosci debeat, manifestum illis est redditum. Ipse enim DEus illis manifestavit.* Et ibidem: γνόντες τὸν θεὸν, οὐχ ὡς θεὸν ἐδόξασαν, *Cum Deum cognoverint, non ut DEum glorificaverunt.* Nec non illa: τὸ ἔργον τοῦ νόμου, γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, *Opus Legis scriptum in cordibus gentilium.* Quem textum plenius & accuratius explicavit *Jo. Adamus Osiander Tractatus de Typo Legis Naturæ parte speciali.* Et quidem verissima est illa divisio Theologiæ Naturalis, & Revelatæ. Ista uti omnia officia Pietatis, ita & reliqua Jura Naturæ complectitur, & *lumine Rationis è rebus quæ facta sunt, vel fiunt, sensibusq; nostris objiciuntur, ad Deum cognoscendum adscendit: cujus principia, quemadmodum aliarum philosophicarum disciplinarum, menti nostræ naturaliter sunt insita.* Verba sunt τοῦ πάνυ nostratis Calixti *Apparatus Theol. p. 3.* At hæc Principia qualia sint, & an sint homini congenita, & quidem an ἐκτικῶς sint congenita, non idem omnes, sed magnam partem contrarium sentiunt. Epicurus quidem illa Principia, προλήψεις, *Anticipationes*, Cicero passim *Notitias*, *Igniculos* & *Semina*

 appel-

appellitat. Jo. Sperlingius, eximius Philosophus Wittenbergensis, illas Notitias ita describit, quod sint *Habitus à prima infantia insiti, & à Natura antequam Ratio se exserere queat, inscripti:* dividitq; illas in Speculativas, & Practicas. *cap. 1. diss. de Principiis nobiscum natis.* Sed quod pace & hujus & aliorum fiat, mihi hactenus non est verosimile visum, ejusmodi Habitus nobis in ipsa infantia connasci, aut connatos esse. Nam

Cum ventum ad verum est, sensus moresq; repugnant.

Si enim integrarum propositionum, quibus Leges Naturales constant, cognitio connascitur hominibus, una omnium de his notitia foret, quod, quæ natura insunt homini, ea semper & omnibus insint. Aliter vero rem se habere, Experientia affatim docet. Itaque vero magis consentanea mihi videntur illa Balthasaris Meisneri *Phil. Sobr. Sect. 4. cap. 9. qu. 1. De connata,* inquit ille, *notitia lis est orta, quam nonnulli nihil aliud esse rentur, quam solam δύναμιν & facultatem Deum agnoscendi, quam primum Ratio sese in homine exserere incipiat.* Et illa Timpleri *lib. 3. Metaph. cap. 1. qu. 9. Homini innata quidem est facultas & habilitas ad comparandam cognitionem principiorum, non autem ipsa cognitio.* Gemina quoque his tradit Piccartus *Synop. Organ. c. ult. Colligamus,* inquit, *etiam hoc, principia non à natura nobis insita esse, sed Facultates quasdam à Natura nobis insitas, quibus velut adminiculis ad eorum notitiam deveniamus.* His accedit Autor Anonymus Belga *diss. Epist. de Justo & Decoro p. 73.* Quam etiam ob causam Guil. Grotius *de princ. jur. nat. cap. 1. n. 5.* Naturam interpretatur, naturalem illam Dei operationem, quæ mentibus nostris insedit, cujus DEus autor est.

XVIII. Vete-

XVIII. Veteres quid etiam hac de re senserint, facile inde æstimes, quod Plato in Philæbo memoret, nascentibus propinari poculum Lethes sive oblivionis, qua per debitam Educationem discussa, discere illos, & quasi reminisci communes illas notitias: Et quod Aristoteles *lib. 3. de Anima*, Intellectum comparet tabulæ rasæ, cui nihil inscriptum sit, inscribi vero omnia possint. Platonicos tamen quod attinet, videntur illi alibi Legum Naturalium Ideas innatas statuere. Qua de re ingenuè & modestè ita loquitur *Cumberlandius disq. Philos. de Legib. Nat. proleg. §. 5. Mihi certè non obvenit tanta felicitas, ut tanto compendio ad Legum Naturalium notitiam pervenirem. Nec visum est consultum, totam Religionis Naturalis & Morum doctrinam illi Hypothesi (*de Notitia Legum Naturalium innata*) superstruere, quæ à plerisq; tam Ethnicis Philosophis quàm Christianis fuit rejecta. Statui tamen hanc opinionem non impugnare, quoniam animitus exopto ut valeat, quantum valere potest, quidquid pietati & bonis moribus favet; quia non est immpossibile, ut & nobiscum nascantur hujusmodi Notitiæ, & ab extra denuo imprimantur.*

XIX. Neque etiam alteri sententiæ quidquam patrocinatur textus ille Apostoli; illum enim D. Thomas in Commentario suo ad illam Epistolam item interpretatur de Intellectus lumine interno, quod inde gentilibus potuerit manifesta reddi voluntas Dei. Nam quamprimum usus Rationis scintillare incipit, subinde aliæ atque aliæ Leges naturæ, Hominis naturæ Rationali & Sociali exactè respondentes, in animo Hominis promulgantur, quas Recta Ratio, hoc est, Prudentia in vita sequitur; nisi Rationi, antequam per Prudentiam suam

am

am perfectionem & ὀρθότητα fuerit consecuta, obstiterint voluptatum & vitiorum illecebræ, aut in herba bonam morum frugem oppresserit, vel mala, vel nulla, aut neglecta educatio. ἔστι γὰρ ἡ κακία φθαρτικὴ ἀρχῆς, *Vitium enim principium delendi ac perimendi vim habet;* inquit Aristoteles *6. Nicom. 5. §. 16.* Et *cap. 12. §. 33.* Item *7. Nicom. 8. §. 12.* Qua de re graviter conqueritur Cicero *3. Tusc. quaest.* his verbis: *Natura parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusq; depravatis sic restinguimus, ut nusquam Naturæ lumen appareat. Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum: quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam Natura perduceret. Nunc autem, simulatque editi in lucem, & suscepti sumus, in omni continuo pravitate, & in summa opinionum perversitate versamur, ut penè cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Cum vero parentibus redditi, id est, magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ Natura ipsa cedat.* Cebes in sua Tabula hoc ita depinxit, ut in prima vitæ porta homini occurrat Ἀπάτη, *Impostura*, πάντας τοὺς ἀνθρώπους πλανῶσα, *seductrix omnium hominum*, quæq; omnibus propinet πλάνην καὶ ἄγνοιαν, *Errorem & Ignorantiam.* Atque hinc fit, quod tam variæ de Jure naturali exstiterint opiniones, plurimum sæpe distantes: & quod ejus investigatio tam sit difficilis, ejusq; præcepta modo liquidiùs modò obscuriùs innotescant & promulgentur.

XX. Redit itaque summa hactenus dictorum ad tria illa capita: Primum est, Jus Naturæ originem & autoritatem suam habere à Providentia divina. Alterum, Leges & præcepta ejus Hominis naturæ Rationali & Sociali

ciali convenientiſſimè accommodata eſſe. Abſit vero ut quis hic intelligat Hominis naturam varia vitiorum labe corruptam; hæc enim inquinamenta cum Juri Naturæ contraria ſint, DEus integræ & minimè corruptæ naturæ humanæ ſua jura conformaſſe exiſtimandus eſt. Etſi enim bonus animus haut difficulter ſuos nævos adgnoſcat, qualis tamen eſſe debeat, non omnino ignorat. Unde etiam hoc tertium fuit propoſitum, Jus Naturæ etiam ideo dici, quod lumine naturæ rationalis percipi & cognoſci queat: adeoq; falſum eſſe, quod non nemo temerè effutiit, absque verbo revelato nobis de Jure naturæ certò conſtare non poſſe: cui ipſe Apoſtolus contradicit, qui gentiles Juris Naturalis religionem proculcantes ἀναπολογήτους, *inexcuſabiles* pronuntiat *ad Rom. cap. 1.* His paulò poſt etiam quartum adjicietur, quod hoc Jus etiam conveniens ſit Naturæ Naturanti, hoc eſt, ipſi Deo, à cujus Juſtitia hi radii prominent. Hæc quatuor Juris Naturalis requiſita ſive proprietates velim diligenter notari, & ubi opus eſt, conferri inter ſe atque conjungi. Sic enim non ſolùm multæ frivolæ, ſed & quæ difficiles videri poſſint, quæſtiones non magno negotio expedientur.

XXI. Quæ cum ita ſint, non parùm miror, tot vel veteres vel recentiores fuiſſe repertos, qui non ſolùm dubitarunt, ſitne aliquod Jus Naturale, ſed etiam omni animi contentione illud oppugnarunt. Sanè ſiqui ex illis Atheiſmo infectum pectus habuere, & Jus Naturæ omne ex Societatibus profligatum ivere, fecere utique, quod facere conſueverunt illi, quibus decretum eſt, qualicunque θέσει δουλεύειν. Reliquis & circa ſumma

principia Juris Naturalis (de quibus post plura) aliter adfectis quid in mentem venerit, hariolari nequeo. Inter veteres Archelao, Anaxagoræ discipulo, Laërtius hæc tribuit: τὸ δίκαιον εἶναι καὶ τὸ αἰσχρὸν ὀ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ, *Justum & turpe nullum esse naturâ, sed lege.* Idem in vita Aristippi Cyrenaicis tribuit, μηδὲν εἶναι φύσει δίκαιον, ἢ καλὸν, ἢ αἰσχρὸν, ἀλλὰ νόμῳ καὶ ἔθει, *Nihil esse naturâ justum, vel honestum, vel turpe, sed lege & consuetudine.* Sceptici quoque apud Sextum Empiricum adversus Mathematicos *p. 464.* contendunt, φύσει νόμων ὐδὲν μέλει, *Naturæ leges non esse curæ.* Carneadis Academici quæ fuerit sententia, verbis dicam Lactantii ex *lib. 5. de Instit. cap. 16. Jura sibi homines utilitate sanxisse varia pro moribus, & apud eosdem pro temporibus sæpe mutata; Jus autem Naturale esse nullum* &c. Idem videtur sensisse Horatius, quando ita scribit *lib. 1. Sat. 3.*

Jura inventa metu injusti fateare necesse est:
Tempora si fastosq́; velis evolvere mundi.
Nec Natura potest justo secernere iniquum.

His etiam deteriores sunt χειροδίκαι, qui Jus sua manu metiuntur, & res maximè contrarias, Vim & Jus consociare volunt: quorum hæc vox est: ἀνδρὶ τυράννῳ ἢ πόλει ἀρχὴν ἐχούσῃ ὐδὲν ἄλογον. ὅτι συμφέρον, *Homini aut civitati imperium habenti nihil absurdum, aut à jure, vel ratione alienũ videri debet, modo expediat. Thucyd. lib. 6.* Idem fuit error Lacedæmoniorum, de quo Plutarchus in Agesilao: *Lacedæmonii primam honesti partem ponentes in Patriæ suæ utilitate, jus aliud nec norunt, nec discunt, quam unde Spartam putent posse augeri.* Quapropter Athenienses illis exprobant, *Honesta eis videri quæ suavia sunt; justa, quæ utilia.* Imò etiam ex mente quorundam veterum ita differit ipse Aristoteles *1. Nicom. 3. §. 3.*

In

In iis rebus, quæ honesta & justa sunt, quas Politica considerat, est tanta varietas, tantaq; in eis versatur erratio, ut hominum placito, non autem natura constare videantur. Epicurus cum Providentiam divinam ejerasset, idem venenum imbibit, quem refutat Cicero *1. de Legg.* Carneadem Lactantius, & Grotius *in Proleg. de J. B. & P.*

XXII. Qua causa inducti tam absurdè de Jure Naturæ, præter Atheismi hypothesin, nonnulli senserint, videtur rectè adsecutus esse Bachovius, Philosophus & JCtus, si quis alius, magnifaciendus, qui *ad §. 1. Inst. de Jur. nat. gent. & civ.* scribit, quod, cum apud diversas gentes non solùm diversa sed & contraria jura moresq; obtinere vidissent in rebus, quibus normam Jus Naturæ dederat, tandem præcipiti temeritate omne Jus Naturale abnegaverint. Plures etiam causas recenset *Mevius suo Prodromo Insp. 2. n. 2. p. 51.* Atque hoc ipsum scrupulum etiam videtur movisse Aristoteli, qui cum sibi objecisset, quæ à Natura sunt, immutabilia esse, Jus vero Naturæ apud gentes videri mutari, eo prolabitur, ut dicat, saltem apud Deos fore Jus immutabile. *5. Nicom. 7. §. 5.* Ita bellicosis gentibus non solùm licitum, sed & gloriosum fuit, latrociniis infestam habere viciniam. *Latrocinia nullam habent infamiam, quæ extra fines cujusque civitatis fiunt*; inquit de Germanis Cæsar. Persis minimè fœda visa fuit μητρομιξία. Ægyptiis probata fuit absurdissima & teterrima idololatria: quibus non solùm τὰ πετεινὰ, τετράποδα, καὶ ἑρπετὰ, de quibus Apôstolus *cap. 1. ad Roman.* sed etiam Porrum & Cæpe pro numinibus culta. Quid dicam de immanitate sacrificiorum Phœnicibus, Gallis quondam, Massagetis, Tauroscythis, Derbicibus, Arcadibus, Jonibus, & nunc

Mexicanis, Peruanis, aliisq; Indis, uſitatorum, qui teneram prolem immolarunt? aut de crudelitate Japonenſium, qui Bonziorum conſilio vel fœtum abigunt, vel recens editum ſuffocant? aut de fœda libidine Sinenſium, præpoſtera Venere ſe inquinantium? Alibi honeſtum fuit virginibus ſtupro dotem quærere. Apud Lacedæmonios nullum fuit adulterii crimen. *Memoratur dictum Geradæ cujusdam Spartiatæ ex antiquiſſimis, qui hoſpiti ſciſcitanti, quæ eſſet pœna apud ipſos in adulteros conſtituta, reſpondit: Adulter hoſpes, non invenitur apud nos. Quo ſubjiciente, Quid ſi inventus ſit? Taurum, inquit Geradas, luit ingentem, qui capite trajecto Taygetum bibat ex Eurota. Obſtupeſcente illo & dicente, Qui exiſtat bos tantus? ridens Geradas, Qui, inquit, adulter exiſtat Lacedæmone?* Verba ſunt Plutarchi *in Lycurgo p. m. 50. ex verſione Herm. Cruſerii.* Furtum quoque quàm callidisſimè apud eosdem perpetratum militaris artis creditum fuit egregium προγύμνασμα ac tirocinium. Quapropter ſi quis deprehenſus fuiſſet in furto, multa verbera flagello accipiebat: memoratq; Plutarchus d. l. ſuo ævo ſe multos adoleſcentes hanc ob cauſam in ara Dianæ Orthiæ inter plagas mori vidiſſe. Profuit hæc diſciplina eò, ut perhibeatur quidam, qui vulpeculam ſurripuerat, eamq; amiculo involverat, quum ventrem ſuum laniaret beſtia unguibus & dentibus, ne detegeretur, intermori ſuſtinuiſſe. Tam putidis nævis conſpurcatæ fuerunt Lycurgi Rhetræ, aliorumq; ſive Legum tabulæ, ſive morum inſtituta, & in deteſtabilem progreſſa licentiam exempla: quorum plura commemorare nolo, quod veterem novamq; terrarum vel hoc vel ſuperiori ſeculo detectarum ac cognitarum hiſtoriam legenti illa non poſ-

ſint

sint non frequenter esse obvia. Videantur *Plutar. de Isid. & Osir. Juven. Sat. 15. Strab. lib. 8. Herod. lib. 1. Diod. Sicul. J. Cas. Ovid. Lactant. Tertull. Theodoret: Hugo Linscotanus, Josephus Acosta, Aloysius Cadamustus, Lud. Vartomannus*: ex quibus aliisq; compendium istiusmodi horribilium flagitiorum collegit *Georg. Calixtus in sua Epit. Theol. Mor. pag. 49. & seqq.*

XXIII. Superiora vero si pensiculatè examinata fuerint, tam impiè de Dei Providentia & Jure Naturali sentientes vel iis refutari posse existimaverim. Neminem enim fore puto, qui temere inficiaturus sit, Hominem naturâ esse animal sociale. Neminem quoque fore puto, qui neget, cujuslibet Societatis vinculum & munimentum esse aliquod Jus, Jurisq; communionem à communione Societatis segregari non posse. Neminem item fore puto, qui diffiteatur, esse quasdam Societates Naturales, hoc est, ad quas ineundas & colendas Providentia divina Homini instinctum inseverit, facultatesq; hanc ad rem necessarias addiderit: adeoq; neminem tandem fore puto, qui, si concesserit, esse quasdam Societates Naturales, easdem tamen contendat vinculo Juris à Natura esse destitutas. Si enim Providentia vult finem, ipsam Societatem, & bonorum pro cujusque Societatis conditione communionem; utique & illud simul largita est, sine quo ista haberi aut conservari nequeunt, ut scilicet certo Juris respectu & ordine omnia procedant, interq; membra Societatis sine injuria & illæsa pace ac concordia communicentur. Nihil ex his sine absurditate negari posse existimo, adeoq; omnes, quibus non læva mens est, rata hæc habituros esse confido. Hujus argumenti vim, qua

fuit ingenii judiciiq; præstantia, probè perspexit ὁ Ἐξηγητὴς, Alexander Aphrodisiensis, cujus pauca verba, licet omnia legi mereantur, hic adducam *ex lib. 2. de Anima. cap. 42. Si sociales*, ait, *ac communicabiles natura sumus; impossibile autem est durare Societatem sine Justitia, necesse est, Jus quoq; Naturâ esse. Qui, quoniam apud alios aliud jus est, propterea negant ipsum esse naturâ, certè id Naturâ docent esse, quod apud omnes idem est.* Confirmat idem Seneca *Ep. 48. Non potest quisquam beatè degere, qui se tantum intuetur, qui omnia ad suas utilitates convertit: alteri vivas oportet, si vis tibi vivere. Hæc Societas diligenter & sanctè observanda est, quæ nos omnibus miscet & indicat, aliquod esse commune jus generis humani.*

XXIV. Veritati tam perspicuæ multi multas nebulas offundunt, quibus lumen ei obstruant. Carneadem Jus omne sola Utilitate metientem jam refutavit Lactantius & Grotius. Verum sanè est, Juris Naturalis esse maximam utilitatem ad conciliandas, continendas & conservandas societates. Si tamen per falsam hypothesin fingas Hominem naturâ non esse Socialem, neque arbitraria conventione Societates inter se constituere, nihilominus Jus Naturæ ipsius Naturæ Rationali propter Honestatem, quam in se præcipuè habet, conveniret, eumq; ad hujus persecutionem & fugam contrarii obligaret. Hoc est quod his verbis significat Aristoteles *1. Rhet. 13. Est quoddam*, inquit, *quod profitentur omnes, natura commune justum, & injustum, etiamsi nulla Societas invicem sit, nullaq; pactio.* Bene etiam hac de re loquitur Sarrokius *cap. 2. de Offic. n. 10. Verissimum est magnam inesse his anticipationibus ad societates tuendas vim, & magnam proinde*

nde hominibus utilitatem ab iisdem provenire : Honestatem tutem naturâ procuratrice ortam consecuta est Utilitas; non u-ilitatem Honestas.

XXV. Alii vi veritatis adacti de Homine qui-lem, id quod est, sentiunt, videlicet, quod sit animal naturâ Rationale & Sociale; id tamen hac cavillatione enervare student, Hominem non actu, sed aptitudine antùm esse animal sociale. Notum est potentias naturâ priores esse operationibus; ut tamen tales operationes Homo libenter producat, quales à potentiis naturalibus proficisci queunt. Cum ergo Homo à Natura acceperit nclinationem ad societatem, etiam appetitu suo ad a-ctus sociales ducitur. Secus qui fecerit, à natura hu-mana illum discedere, & vel in Deum vel Bestiam de-generare ait Aristoteles *1. Polit. 2. sub finem.* Quia igi-tur Homo infans nascitur, & Rationis usus paulatim progreditur, eumq; non uno momento perficit, primùm quidem naturâ ad societatem aptus est, ut tamen mox actu societatem expetat, ineat, & actibus socialibus sibi alios, & se aliis devinciat. Atque eum appetitum DEus iam altè infixit animo hominis, ut nemo nisi mon-strosus huic ordini ac destinationi divinæ obniti velit, quandoquidem non individuis quibusdam eum inpres-sum, sed ipsi naturæ humanæ tributum esse cernimus.

XXVI. Si igitur Natura nihil facit frustra, eademq; à progressu in infinitum abhorret, necessum est, Appe-titus humanus ut aliquo bono adquiescat, cujus ipsius quoque Natura autor sit. Hoc vero non potest esse illud, quàm cujusque Societatis naturalis Finis natura-is. Si ergo Homo natura appetit Societates, vel ma-

ximè

ximè appetit etiam societatis finem: & si Societates naturales aliæ aliis sunt perfectiores, & fines earum uni fini ultimo sunt subordinati, hunc finem atque hoc summum bonum Societatis naturalis perfectissimæ maximè expetet, qui consistit in εὐπραξία & exercitio jurium naturalium. Non igitur appetitui Hominis Sociali satisfit, si incidat in qualemcunq; vitam socialem, sed talem, qualem DEus naturæ hominis sociali & rationali constituit, & qualem ipsa Ratio ei commonstrat. Esto igitur, quod Homo societates expetat etiam propter impatientiam solitudinis, nec non propter periculi damnive metum; eximiæ tamen ejus naturæ multo nobiliorem finem propositum esse, facilè hinc colligi potest.

XXVII. At, inquiunt nonnulli, hinc secuturum esse, quod Jus Naturæ ex mera appetitus humani inclinatione oriatur. Ego vero ex iis, quæ jam proposui, non nisi ineptè hoc consectarium confici existimo. Finis enim, ad quem appetitus humanus naturæ ductu excitatur, à Providentia divina, non autem arbitrio humano est constitutus, qui cum & ipse consistat in πράξει, qualis & naturæ humanæ & huic fini convenit, & quoque similibus actionibus obtineatur, hisq; omnibus Juris Naturalis regulis conformibus; à Deo quoque has ipsas sancitas, earumq; promulgationem usui rationis non corruptæ inditam ab eo esse, qui Rationem dedit, certissimum est.

XXVIII. Immeritò itaque vapulare videtur Grotius, quando Robertus Sarrokius aliiq; ceu minùs rectè ab ipso dictum cavillantur, Societatis custodiam Juris Naturalis fontem appellari posse. Legantur, si tanti visa fuerint, ejus verba *cap. 2. de Offic. n. 10.* Neque enim uspiam

am invenias, Grotium docuisse, appetitum & custodiam Societatis, esse Juris naturalis *unicos* fontes, qua vocula ejus sententiam corrumpit Sarrokius. Quem temere videtur secutus esse Dn. Osiander, qui in suis *ad Proleg. Grotii Annotatt. observ. 4.* ita loquitur: *Non satis accuratè dicitur, societatis custodiam esse fontem Juris naturalis, præsertim si exclusivè hoc intelligas.* Quæ enim ego suprà *th. XX.* conjungenda esse monui, ubi opus est, eadem nec Grotius disjungi voluit, ceu ex contextu verborum ejus cuivis obvium est. Nam quod ajunt, custodiam Societatis indifferentem esse ad bonam & malam Societatem, falsa nititur hypothesi. Grotius enim quando Jura Naturæ commonstrari ait à Natura hominis Rationali & Sociali, non certè talem Societatem etiam designavit, qualem inter se fortè habent latrones: sed penitus exclusit, quod hæc ipsius rationali naturæ minimè conveniat. Imò, si accuratè philosophari velimus, istiusmodi malorum hominum confluges, factio, ac globus, ne quidem Societatis nomen merebitur, ceu aliàs ostendimus. Quando igitur Dn. Osiander Grotium ita emendat, melius dici, fontem Juris Naturalis esse ipsum Deum, non solùm consentientem, sed & præeuntem habet ipsum Grotium. Hæc enim sunt illius verba *in Proleg. Sed naturale jus, sive illud sociale, quanquam ex Principiis homini internis profluit, Deo tamen adscribi meritò potest.* Et mox *lib. 1. de J. B. P. c. 1. n. 10.* Jus naturale refert ad autorem Naturæ Deum. Idem confirmat in Annotatis ad jam allata ex Prolegomenis verba testimonio Chrysostomi & Chrysippi.

XXIX. Sunt qui hac ratione ad evertendam Juris Naturalis existentiam utuntur, Hominem à Deo li-

bere esse conditum animal sociale, adeoq; etiam Jus inde arcessitum esse merè voluntarium. Quod enim naturâ justum est, illud utique ante voluntatem liberè præcipientis Legislatoris jam tale fuerit necesse est, sic ut ideo is illud voluerit & exegerit, quod suâ naturâ justum jam sit, non autem quod ex determinatione libera voluntatis demum justum esse cœperit. Si igitur dem, Hominem potuisse condi animal rationale, & quidem liberè sine appetitu sociali; non tamen sequitur, postquam Deo visum est, Hominem actu non minùs condere animal sociale, atque rationale, Jus naturale sociale esse voluntarium. Non enim hujus juris existentia apta est unicè à sociali natura hominis, quamvis hinc liquidius innotescere, & certiùs demonstrari possit. DEus enim illius autor est, qui licet juxta concessam hypothesin liberè hominem socialem creasset, Rationalem tamen dum creavit, eiq; divinæ particulam auræ communicavit, Leges naturales, tanquam radii à Justitia Dei essentiali emissi, in se semper & ab æterno fuere justæ, quæ cùm Hominis naturæ rationali non solùm, sed & sociali sint convenientissimæ, & DEus actu hominem socialem creaverit, non potuit non etiam Homo ad actus sociales jure naturæ debitos obligari. Simili ad destruendum Jus naturæ argumentatione usus fuit Joannes Szydlovius, Reformatus, contra quem prolixè disputat Dn. Osiander *Typ. Leg. natur. th. 21. & seqq.* Imo ipsis illius fratribus Riveto, Voëtio, Maresio & Amyraldo vehementer illa doctrina, unde non nisi absurdissimæ & detestabiles opiniones consequntur, displicuit. Audiamus paucis differentem hac de re Amyraldum in præfatio-

tione speciminis Animadversionum in Exercitationes *de Gratia Universali pag. 95. Docuerunt nonnulli Theologi, iiq; non incelebres, Vitium à Virtute non differre natura sua, & quidquid interest inter ea discriminis, id omne esse ex liberrima Dei voluntate profectum. Id & per se falsum est, & tale, ut sua sponte mens humana ab eo abhorreat. At præter diritatem quam in se habet, quis non videt ex eo sequi necessariò liberum Deo fuisse, non modo nullas nobis de Virtute deq; Vitio ferre leges, quo mentes & appetitus nostri soluti vagarentur, sed etiam præcipere, ut adfectibus nostris intemperanter indulgeremus: quod si fecisset, id, quod nos nunc appellamus Vitium, pia res atque sancta futura erat? Quin, quod cogitatu horrendum est, potuit Deus ex egregio dogmate, scilicet! ab hominibus exigere, ut Numen suum odio acerrimo prosequerentur? Id autem non maculam aliquam in religionem inducit, sed est ipsa religionis pernicies, & via latè strata ad perditissimam & desperatissimam impietatem.*

XXX. Dixi Jus Naturæ accomodatum esse Humanæ naturæ Rationali & Sociali. Addo jam, esse quoque idem conveniens ipsi Naturæ divinæ. Quia enim Homo ad imaginem Dei est conditus, illaq;, interprete Apostolo, consistit in Justitia & Sanctitate, decrevit DEus ab æterno, ut homo justitiam & bonitatem divinam agendo imitaretur. Nam sicuti Providentia divina quaslibet res dirigit cuique non solùm rei, sed & bonitati & gloriæ divinæ convenientem; ita ab æterno fuit in mente divina norma quædam concepta, cui res cæteræ & cumprimis homines obsequerentur ac subessent, & juxta quam Providentia curam universi, & speciatim actionum humanarum attemperaret. Illa norma solet

dici *Lex Dei aterna.* Intellectus enim Dei nihil nisi ab æterno concipit; siquid enim novi, inusitati, aut in tempore Deus conciperet, mutabilis foret ejus scientia, cujus tamen perspicacia intimè omnia penetrat.

XXXI. Illa Lex Dei ut Æterna cluet, ita quoque Immutabilis est. Deus enim propter scientiæ suæ infallibilitatem in eadem voluntate sua perseverat, neque à quoquam ejus decreta mutari possunt, quæ pro perpetua norma & ordine sunt sancita: adeoq; nisi illa primæva Imago divina per lapsum in homine fuisset exstincta, ubique is secundum legem Dei æternam voluntati divinæ paruisset atque satisfecisset. Atque hanc Legem Dei æternam credo Platonem significare voluisse per *αὐτοδικαιοσύνην*, quam inter Deos obtinere statuit. Cui gemina tradere videtur ejus discipulus *5. Nicom. 7. §. 6.* Planiùs de eadem Cicero, qui audiri meretur. *Hanc* inquit *lib. 2. de legg. video sapientissimorum fuisse sententiam, LEGEM neque hominum ingeniis excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum, sed aternum quiddam, quod universum mundum regeret imperandi prohibendiq; sapientia. Ita principem legem illam ac ultimam mentem esse dicebant, omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei, ex qua est illa Lex, quam Dii humano generi dederunt.* Idem paulò pòst: *Orta est Lex sempiterna cum mente divina. Quamobrem Lex vera atque princeps apta ad jubendum & ad vetandum, ratio est recta summi Jovis.* Idem: *Summa Lex divina mens est.* Libris de Finibus hæc ejusdem leguntur: *Dei ad naturam apta ratio vera illa & summa Lex à Philosophis dicitur.* Augustinus *lib. de catechizandis rudib. cap. 18.* dicit, Legem Dei æternam explicari per *congruentissimas leges admiranda dispositionis, quibus Deus creaturas ordinare nove-*

noverit. Et *lib. 1. de lib. arb. cap. 5.* ita ab eodem describitur: *Lex æterna & ratio in mente Dei existens, qua res omnes per consentanea media in suos fines diriguntur.*

XXXII. Est igitur inter Providentiam divinam & Legem Æternam maxima cognatio. Illa quaslibet res dirigit ad finem cujuslibet naturæ & quoque divinæ bonitati convenientem, ejusq; singularem curam habet. Hæc sub obligationis necessitate easdem ad suos quasque fines devincit. Aliter tamen homines intellectu præditi obligati sunt, aliter res creatæ ratione destitutæ. Hæ ad obedientiam inclinatione naturali necessaria ducuntur; hominum vero obsequium cum libertate est conjunctum. Etsi igitur omnia, præter Deum, huic Legi æternæ subsint, rationem tamen præcepti propriè non habet, nisi respectu liberè & cum ratione agentium. Hujus igitur Legis Æternæ radii sunt Leges Naturales, quas nobis Ratio, divinæ particula auræ, indicat, persuadet ac promulgat. Atque hinc est, quod, quidquid Jure Naturæ vel præcipitur vel vetatur, illud non bonum nec malum est ideo, quod Deus illud liberè voluerit præcipere, hoc vetare; sed quia intrinsecus illud omne bonum, & hoc omne malum est, Deus illud non potuit non præcipere, hoc vetare. Ut ita simul intelligas, quo pacto hoc jus divinum Naturale, à Jure divino arbitrario differat. *Grot. lib, 1. de J. B. P. cap. 1. n. 10. & 15. Guil. Grot. de prin. jur. nat. cap. 3. n. 2.*

XXXIII. Jam quidem ordinis ratio postulare videtur, ut Juris Naturalis definitio succedat, quæ à variis varia admodum fuit tradita. Inter has non est postremo loco ponenda illa Grotii, quæ legitur *lib. 1. de J. B. P. cap. 1. n. 10.*

Jus Naturale est dictatum rectæ rationis, indicans actui alicui, ex ejus convenientia aut disconvenientia cum ipsa natura rationali inesse moralem turpitudinem aut necessitatem moralem, ac consequenter ab autore naturæ Deo talem actum aut præcipi aut vetari. In hac descriptione quid fortè desiderari possit, aliàs demonstrabitur. Utar jam libertate, ut ex mea sententia illud ita describam: Jus Naturæ est Jus, à Providentia divina juxta ideam Legis æternæ profectum, Hominis naturæ rationali ac sociali accommodatum, quod in illius mente per Rectam Rationem promulgatum eum obligat, ut suas actiones ad hujus Juris normam componat, atque ita suam felicitatem consequatur. Variæ aliorum Definitiones aliæ circumferuntur, quarum nonnullas, veluti Gregorii de Valentia, Tanneri, Martini Bonacinæ, Roberti Sandersoni, & aliorum recenset atq; examinat Osiander *de Typ. leg. nat. th. 42. & seqq.*

XXXIV. Singulas hujus descriptionis partes pluribus illustrabo, ut tantò rectiùs de hujus Juris natura & proprietatibus constet, judicariq; possit, an secundum regulas dialecticas illa descriptio concinnata sit. Protinus verò id moneo, inter Jus Naturæ & Jus Naturale me nullum agnoscere discrimen, neque placere, quod istud ad Legem Dei æternam, hoc ad hominem referatur à Mevio in *Prodr. Insp. 2. n. 5.* Definitionem quod attinet, Jus omne cum rectè dividatur in Naturale & Legitimum, proximum genus Juris Naturalis constitui, quod sit aliquod jus, seu aliqua Juris in genere considerati species, & quidem propriè dictum Jus, quod obligat. Rejicienda igitur est illa Juris Naturalis divisio, qua in Obligativum & Permissivum dispescitur. Præter alios etiam Seldenum

hanc

hanc divisionem amplexum fuisse miror, *lib. 1. de J. N. G. ux. discip. Hebr.* Cum enim Obligatio, ipso fatente Selleno, Juris verè dicti sit caput & anima, illa, quæ à Jure Naturali normam non acceperunt, sed arbitrio hominum seu adiaphora relicta sunt, obligationis necessitati ab hoc quidem jure exempta, adeoq; hæc Juris nomine insignienda non sunt. Qua in re consentientem habemus Guil. Grotium *de prin. jur. nat. cap. 2. n. 10. & cap. 3. n. 3.*

XXXV. Dicas, majori autoritate hanc divisionem suffultam esse, putà Modestini, qui *l. 7. ff. de Legg.* ait, *Legis virtus est, imperare, vetare, permittere, punire.* Imò si veram philosophiam, & non simulatam adfectamus, neque hæc possunt omnino admitti, aut satis bene defendi. Nam per virtutem Legis aut Juris puto non malè intelligi vim & autoritatem obligandi, quæ vel disertè præcipiendo, vel prohibendo explicatur. Utriusque generis legibus cum præcipientibus tum prohibentibus Pœna tanquam subsidiarium præsidium ac telum servit, ut, cum Lex vel Jus primariò obliget ad faciendum, aut non faciendum, secundariò contraria facientes obliget ad pœnam.

XXXVI. Neque etiam, si ex vero res æstimabitur, Permissio Legis Jurisq; virtus erit. Primò enim diligenter secernenda esse monemus Permissa à Jussis Vetitisq;. Sunt quædam, ad actiones humanas pertinentia, quæ nulla lex neque jubens neque vetans determinavit, adeoq; circa ista Libertas humana cum non sit restricta, Licita & Permissa illa dici solent, Græcis ἀδιάφορα. De æquivocatione vocis *Liciti* vel *Licere vid. Guil. Grot de princ. jur. nat. cap. 2. n. 9.* Nemini non apparet, hujus generis Permissa cum non sint talia ex sanctione Legum, talem quo-

que

que Permissionem non posse esse virtutem legis. Unde rectè monet Mevius *in Prodr. insp. 2. n. 7.* multùm inter se discrepare Naturale jus, & Libertatem naturalem. Quandoque τὸ Permissum opponitur tantùm vetito. Ita v. g. Lex divina *Levit 18. v. 18.* vetat, ne quis conjugis suæ sororem isti superstiti superinducat uxorem; colligunt ergo hinc Sanchez & alii, permissum lege quidem divina esse, ista defuncta sororem ejus duci uxorem posse. Sed virtutem Legis & Juris quod attinet, hujus Permissionis illi oppositæ par cum superiori ratio est. Etsi enim ex illa lege vetante mihi constet de voluntate legislatoris, quod conjugium cum defunctæ conjugis sorore velit esse inter permissa, non tamen hoc est ex virtute legis, ut quæ ad tale conjugium nullo modo obligat, sed sine ulla determinatione juris hoc tali casu arbitrio humano permittit, nisi superveniens fortè lex arbitraria etiam circa tale matrimonium libertatem naturalem agendi restrinxerit. Minimè omnium Legis virtuti tribuenda sunt illa Permissa aut Licita vulgò dicta, quæ fortè in foro humano impunitatem habent, cum sint reapse injusta. Quò referri quadantenus potest illa Juris regula: *Non omne quod licet honestum est. l. 144. ff. de R. I.* Quod si vero lex quædam sanciat hoc modo permissa, ut hinc jus oriatur ita liberè agendi, ut agens in eo absque injuria impediri nequeat, v. sg. si legislator jubeat, luporum venationem cuivis subdito debere esse liberam ac permissam; hæc sanè permissio est à virtute legis. Obligat enim ejusmodi lex, ne quis eum, qui huic studio incumbere velit, impediat in eo: adeoq; illa lex est prohibitivè (liceat ita loqui) concepta circa aliquod, quod illa velit esse inter licita ac permissa

talia,

talia, in quibus nemo posſit jure impediri. Hoc expedire nonnulli ſtudent hac diſtinctione, quod alia ſit Permisſio Facti, alia Juris: & ajunt, Deum permittere plurima peccata, permisſione facti, iſta non impediendo: Permisſionem autem Juris includere negationem prohibitionis & præcepti. Deinde Permisſionem Juris iterum dupliciter conſiderant, ceu videre eſt apud *Oſiandr. in Annot. ad Grot. lib. 1. de J. B. P. obſ. 3. ad th. 9.* Sanè in rebus merè adiaphoris & à Jure non determinatis etiam non niſi iniquè impeditur quis ab alio; ſed hinc non ſanctio legis ſpecialis, ſed Jus Libertatis latiùs patens læditur.

XXXVII. Fortaſſis ergo non etiam eſt nullum diſcrimen, inter Permiſſa ſive Licita eſſe, & inter Permittere: vel ſinere, ut aliquid ſit inter permiſſa licitave, &, diſertè jubere, ut aliquid ſit permiſſum. Prius Legi & Juri propriè non competit, quod Obligare, & ſinere inter permiſſa eſſe, nullatenus conveniant. Ut vero aliquid inter Permiſſa jubendo referatur, Lege effici poteſt, quæ tum circa illa, tanquam ſingularem materiam eſt occupata, certo jure circa eam dictato. Atque hoc modo Permiſſa ſunt objectum Legis externum, ut tamen hujusmodi legis permiſſio obligationem contineat, vim fieri aut impedimentum ei injici vetans, qui ea agere velit, quæ lex permiſſa, hoc eſt, non injuſta eſſe voluit. Hoc eſt, quod paucis Grotius indicare inſtituit: *Permiſſio propriè non actio eſt legis, ſed actionis negatio, niſi quatenus alium ab eo, cui permittitur, obligat, ne impedimentum ponat. lib. 1. de J. B. P. cap. 1. §. 9.* Si quæ igitur ſanctione legis fuerint permiſſa, ab hoc objecto externo Jus Permiſſivum appellari, idq; Juri Obligativo contra diſtingui non convenit,

venit, cum & istiusmodi sanctioni obligationem inesse commonstraverim. Nam si vel hoc divisionis exemplum admittere, vel Modestino servire allubescat, aliud erit non solùm Jus Permissivum, sed & aliud Imperans, aliud Vetans, aliud Puniens. Quæ uti inconcinna sunt, ita minimè probari posse puto, quibus ἀκρίβεια placet. Add. Bœclerus ad Grotii *lib. 1. cap. 2. §. 9.* Guil. Grotius *de princ. Jur. nat.* ita hæc distinguit, ut dicat, plus esse *Concedere*, quam *Permittere. cap. 1. n. 10.* Atque hinc aliud constituit Jus Naturæ Præceptivum, aliud Concessivum *cap. 7. n. 1.*

XXXVIII. Sed nec illa Juris Naturalis in Primævum & Secundarium divisio toleranda est, quia non solùm in patrocinium erroris inventa, quo in communionem Juris Naturalis bruta ab Ulpiano admissa fuerunt, sed & omni solida ratione destituta est. Cum igitur *in proleg. ad Offic. Cicer.* §. 9. & quoque aliàs ostenderim, cur hæc divisio recipienda non sit, ipsaq; nostra definitio indicet, ad Homines tantùm Juris Naturalis obligationem pertinere; neque altera illa divisio Juris Naturalis in Animale & Rationale majoris pretii putanda est, quandoquidem & ipsam Hugo de Roy veteris erroris tegendi gratia cõmentus est. *lib. 1. de eo quod Just. tit 2. Mevius in Prodr. Insp. 2. n. 3.* Cum enim *Disp. de Jure in genere*, invictis argumentis demonstraverim, bruta nullius Juris propriè dicti ne quidem capacia esse, sequitur omnino, neque Juris Naturalis obligationem aut participationem ad illa extendi posse. *Add. Salmasius de Usuris. cap. 9.*

XXXIX. Videamus, quæso, quomodo cõtra hæc disputet Hugo de Roy, in libello, *De eo, quod justum est. Deinceps*, inquit,

inquit, *opponit alius, Juris nomen non meretur, quod ratione caret. Quod concedimus, quia omninò verum est. At ex eo nihil inferri potest contra Jus nostrum* (Animale) *naturale. Illud enim ratione non caret, neque ex parte sui quia nihil à Deo absque ratione conditum est.* Concedit ille veritati, & simul ei contradicit. Quis unquam dubitet, omnia à Deo sapientissimè & optima ratione condita esse, res non minùs inanimatas quàm animatas? hinc verò promiscuè rationis, & cum hac indissolubili nexu conjuncti Juris illas fieri compotes, absurdum est. Hoc ille prospiciens ita pergit: *Forsan instabit quispiam, ea, qua diximus, de ratione Juris non sufficere, atque insuper eorum, quibus conditum est, rationem requiret. Sed admittenda non erit instantia in terminis ullius juris, nedum Naturalis, quod rationem humanam in animalibus, quibus conditum atque insitum est, non requirit, sed capacitatem notitias Juris seu principia præfata recipiendi, & perfectionem illis convenientem, qua in brutis aquè ac ratiocinantibus reperitur & cernitur.* Principia illa naturalia ad unicum summum caput referri posse ait, *Se suaq; diligere;* hoc enim sub se continere cætera, qualia sunt, defendere vitam, tueri corpus, conjunctionem maris & feminæ appetere procreandi causa, curam gerere ejus quod procreatum est, sequi bona, vitare mala, eligere profutura, declinare nocitura. Imò vero illa instantia rectissimè se habet, & falsissimum est, quod nullius juris subjectum rationis debeat esse particeps. Nam per Jus propriè dictum libertas agendi certo modo adstringitur aut determinatur. Libertas vero agendi necessariò cohæret cum Ratione, qua cum bruta prædita non sint, cujusli-

bet juris, & cumprimis naturalis, capacitate etiam destituuntur. Et licet bruta nonnulla videantur simili modo peragere, atq; homines; non tamen ea fiunt cum ratione, neque liberè, etiamsi fiant *ἀχαλίνως*, *sine freno;* sed inclinatione merè naturali, eaq; necessaria. Atque hinc accidit, quod bruta se defendant qualicunque modo, sine jure, sine injuria, *l. 1. §. 3. ff. si quadr. paup. fecis. dic.* Homines verò defensionem adhibent vel justè, vel injustè, aut partim justè, partim injustè. Bruta procreandæ sobolis gratia conjungũtur quidem, sed sine fide, sine vitio adulterii, stupri vel incestus. Homines verò obligati sunt Jure Naturali ut hos similesq; actus secundum normam Legibus præscriptam exerceant. Si ergo brutis denegat rationem humanam, denegandum quoque illis est Jus omne humanum. Maximè vero Humanum jus est Naturale, sapientissimè à Deo solius Hominis naturæ Rationali accommodatum. Quod si inclinationem brutorum ad modò memoratas actiones velis appellare Rationem, id quod facit Hugo de Roy, & propter illam inclinationem Juris illa capacia facere, vocum æquivocatione lusus fit, & tam Rationis quàm Juris nominibus abutitur, cum hanc philosophiam tractantibus hoc cumprimis debeat esse propositum, ut rerum vocumq; proprietates, non autem similitudines Rationis Jurisq;, easq; multùm dissimiles, consectentur. Rectiùs igitur hæc ita explicat Rittershusius ad Oppiani *Cyneget. p. 28.* cujus hæc sunt verba: *Jus naturale definiunt ita JCti, non quod tam bardi essent, ut non intelligerent, ubi ratio non esset, ibi nec Jus verè & propriè acceptum poni posse; sed quod indicare vellent, nullo certiori argumento cognosci, quod aliquid sit Juris naturalis, quàm ubi hoc ipsum, quod homi-*

homines ratione duce faciunt, bruta quoque natura instinctu & inclinatione atque impetu faciant. Pari modo hæc interpretatur *Gerh. Joh. Voss. lib. 3. de Idolat. cap. 61.* Ingenuè fatetur Mevius, *aut ex secta sua studio errasse JCtos veteres, si verè Jus animantibus tribuerunt, aut vero impropria locutione tribuisse, cujus in iis materiam, vel imaginem & umbram conspicerent. Insp. 2. prodrom. p. 57.*

XL. Tam in brutis quàm hominibus convenientem perfectionem cerni ait Hugo. Quod uti verum quidem est, non tamen eadem est perfectio Hominis, & tot brutorum animalium. Neque etiam sequitur hinc, si bestiæ quæque suam à Providentia divina acceperunt perfectionem, ergo tam sunt compotes Juris Naturalis, atque Homines. Quod si bruta naturæ instinctu se suaq; diligere, defendere & similia agere videas, non tamen vera sunt simpliciter illa Hugonis: *Hæc natura justa sunt. Hæc omnibus animalibus bona & æqua sunt.* Et post: *Profectò non id de Jure Naturali, quin vero ne quidem de ullo in rerum natura jure quærendum est, an inclinatione naturali, an ratione humana ejus operatio fiat, sed an in se bonum & æquum spectandum est. Potest enim id, quod natura omnia animalia docuit, ita intelligi, ut operatio per rationem hominum propria sit, operatio autem per inclinationem cæterorum animalium naturæ adscribatur: nec tamen eo minus utraque ad eundem naturæ finem, & eundem justitiæ naturalis scopum tendat.* Hæc omnia falsæ hypothesi servire, nemo non videt. Verum est, Providentiam divinam quaslibet res creatas ad finem sibi convenientem condidisse, motuq; interno ad hunc obtinendum necessario instruxisse: quem suum finem si etiam bruta adipiscantur, hoc ipsis bonum

 est;

est, Finis enim & Bonum materialiter idem sunt. *1. Nicom. 1.* Et quamvis Justitia quædam, quæ Æquitas aliàs dici solet, etiam Æqui boni nomine veniat; ridiculum tamen est, velle hoc æquum bonum cum bono finali brutorum confundere, & hinc communionem Juris & Æquitatis etiam brutis vindicare. Sive autem quid fiat inclinatione naturali, sive ratione, non tamen ad Jus naturæ, imò ad nullum omnino Jus dignoscendum vel tribuendum inter hæc interesse, longè falsissimum est. Et licet quidam brutorum hominumq; actus videantur ad eundem finem contendere, non tamen simpliciter ille idem est, eodemq; ab utrisque modo obtinetur; Homines enim ad finem à Natura sibi propositum non solùm justè contendunt, sed & justum: cum brutis neque modus, neque finis à Natura sub qualitate Justi propriè dicti sit commendatus.

XLI. Quid multa? ludit hic Autor æquivocatione vocum & phrasium. Quando enim Brutis communionem Juris tribuit, Jus propriè dictum, quale nos quærimus, & quærere debemus, non intelligit: atque insuper Jus Naturale cum Lege Dei æterna, quæ etiam suo modo bruta attinet, perpetuo confundit. Hinc ait, in brutis cerni obligationis & juris vestigia: nolle hoc JCtos, bruta quidquam jure vel injuria facere, ut propriè sumuntur Jus & Injuria: cum cætera animalia rationis expertia in suo officio perstent, Hominem ratione præditum animal à suo officio exorbitare, & quotidie labi: se non credere, sed certò scire, hominibus præter communia naturæ communis, insuper nobilissima illa rectæ rationis principia cum anima rationali indita esse: Legem naturalem nobiliori modo hominibus inditam esse: cum de Jure Na-

turæ

turæ agat, se non eam legem intelligere, quæ ad moralem doctrinam pertinet, & soli humanæ menti, ut tali, indita est, ad discernendum bonum à malo, ad dijudicandum æquum ab iniquo, justum ab injusto, honestum à turpi. Si igitur, fatente Hugone, bruta propriè dicti Juris capacia non sunt, & Lex Dei æterna propriè tantùm obligat ratione utentes libereq; agentes, bruta vero modo multùm diverso ad suos fines ordinat, cur ergo ille vitilitigat?

XLII. Fortunius Garcias, JCtus Hispanus, Jus Naturale distribuit in Gubernatum & Gubernans. Quorum illud brutis, hoc hominibus attribuit. Prius ideo, quoniam juris naturalis moderamen non brutorum esse inquit, sed Dei omnia gubernantis. Posterius hanc ob causam, quoniam in hominibus ratio est, qua duce omnia faciunt, quæ Juris naturalis haberi solent. Hæc distinctio præ cæteris Hugoni de Roy placet, ut tamen eadem hactenus displiceat, quod quamvis rationi omnia pareant, ac consequenter etiam ea, quæ juris naturalis sunt, ipsa tamen Ratio à Deo omnia gubernante dirigatur æquè, ac inclinatio naturalis brutorum. Hæc animadversio rectè se habet, ipsamq; illam distinctionem destruit. Si enim omnia omninò à nutu cuncta moderantis Dei præcipuè apta sunt, etiam Ratio sub Providentiæ divinæ regimine continebitur, atque hactenus omne Jus Naturale erit Gubernatum. Quamvis etiam bruta inclinationes naturales à Deo acceperint, Providentia divina in quibusque illas conservet, atque ad convenientes fines ordinet, non tamen brutorum operationes hoc instinctu excitatæ aut perfectæ justæ sunt dicendæ, nisi æquivocatione ludere velis, imò ne quidem capaces sunt Juris Naturalis, neque

ullius

ullius alius propriè dicti, etsi Legi Dei æternæ hi motus, inclinationes, & operationes sint consentaneæ. Scilicet errorem errore tegendum esse multi putant, ne perpluat. Si tanto studio in scrutanda veritate uterentur, quanto inveteratos errores defendere satagunt, longè rectiora docuissent.

XLIII. De Jure Naturæ Reductivo seu Negativo (cui Naturale Positivum quidam opponere solent) item quod Jus Naturæ quædam disponat directivè, quædam coactivè: item quod aliquod Jus Naturæ sit ἁπλῶς, aliud secundum quid, vel ex certa hypothesi; videatur Guil. Grotius *de prin. Jur. nat. cap. 2. n. 1. 4. 5. & 6.* De altera illa distinctione, quod Jus Naturæ vel illuminet intellectum, vel obliget conscientias, videatur Idem *cap. 4. n. 1.* Quod aliud sit Juris Naturæ positivè, aliud privativè, legere est apud. *Mev. in Prodr. insp. 2. n. 6.* ubi vulgo hoc discrimen acceptum fert.

XLIV. His ita discussis, vera & notatu digna Juris Naturalis divisio superest in Generale & Speciale. Utrumque non nisi homines obligat, quod ex superioribus manifestum est; hoc tamen discrimine, quod istud omnes obliget homines, & quidem quà tales, in quacunq; vixerint Societate: hoc vero non absolutè omnes homines Societate humana universali comprehensos, sed illos omnes, qui speciali Societate aliqua naturali continentur, sibiq; invicem pro diversa natura talium Societatum propter specialem necessitudinem vel respectum ad peculiaria Juris Naturalis officia obligati sunt. Tales Societates sunt inprimis Conjugalis, Paterna, Herilis, & ex his conflata Civilis, de quibus plura deinceps.

XLV. Pro-

XLV. Providentiæ divinæ cum acceptum tulerim Jus omne Naturæ, ab illa quoque ejus proficiſcitur obligatio; ut adeò, ſi qui appetitum Societatis ejusq; conſervationem Juris Naturalis fontem unicum eſſe exiſtiment, fruſtra ſint futuri. Si enim omnis Juris obligatio principaliter ſuam autoritatem conſequitur à Deo, vel maximè eandem ab eodem autore habet Jus Naturæ, uti pluribus demonſtravi *in prolegom. ad Offic. Cicer. & Diſp. de Jure th. 11.* Quia vero Homo non ſolùm ad ineundam Societatem variis cauſis externis impellitur, ſed inſita appetitione Societates inprimis naturales deſiderat: & vero Natura hanc cupiditatem ideo Homini indidit, quod illas ſuas Societates ejus naturæ planè convenientes eſſe ſciret, inq; harum finibus ſuam felicitatem & perfectionem adſecutus adquieſcere poſſet, ideo ſimul illas Societates certo jure atque ordine inſtruxit, qui ejus naturæ rationali exactè reſponderet, ut cum ſui ſimilibus honeſtè, feliciter & ſumma cum voluptate in iis vivere poſſet. Non igitur placet illa quorundam à Sarrokio repetita genealogia: *Indigentia abavia genuit metum, Metus avia genuit ſocietatem, Societas ejusq; cuſtodia genuit dictamina de officiis, adeoq; ſe matrem juri naturali pulchrè comprobavit. cap. 2. de Offic. n. 10.* Deus enim condidit Hominem animal rationale & natura Sociale. Idem Societates naturales inſtituit, & quidem Hominum bono: quod ut eſſet verè tale, non ſola utilitate externa commendabile, ſed perfectum atque perpetuum, etiam hominem cum homine in Societatibus certo jure conjungere & ſibi invicem obligare voluit.

XLVI. Ex his rectè poterit colligi, quanta ſit Juris Naturalis obligatio, quantaq; autoritas. Nam Ariſto-

 teles

teles loco suprà citato ajebat, quòd ubique eandem vim obtineat, sicuti ignis apud Græcos & Persas, alibiq; terrarum urit. Unde & ipsi & aliis Græcis hoc Jus dicitur *κοινὸς νόμος*, seu, *τὸ κοινὸν δίκαιον*, *Communis lex*, seu, *Commune jus*; *Commune jus humanitatis*, Ciceroni & Apulejo: *Commune jus generis humani*, Senecæ: *Commune jus gentium*, Cornelio Nepoti: *Communis omnium lex*; Demostheni, Isocrati & Quintiliano. Pertinet huc textus ex *1. Rhet. 13. pr.* ἔστι, ὃ μαντεύονταί τι πάντες φύσει κοινὸν δίκαιον καὶ ἄδικον, κἂν μηδεμία κοινωνία πρὸς ἀλλήλους ᾖ, μηδὲ συνθήκη. *Est quoddam, quod profitentur omnes naturâ commune justum, & injustum, etiamsi nulla societas invicem sit nullaq; pactio.* Cum enim hujus juris capita sint stricturæ ipsius Justitiæ divinæ, & Providentia divina appetitum humanum, libertatis compotem, iis obligaverit, ipsorum hominum bono, ut hanc normam secuti, veram solidamq; beatitatem consequi possint, & illa omnia hominum naturæ rationali & sociali convenientissimè condiderit, ipsaq; Ratio promulgationem eorundem sentiat, agnoscat, intelligat, uti paulatim actus Intellectus primus in secundum invalescit, ideo his juribus omnes omnino homines obligari par est, eò quod sint tales.

XLVII. Itaque verissimè post alios dixit Justinianus *d. §. 11. Inst. de J. N. G. & C.* quod Jura Naturæ non solùm apud omnes gentes peræquè observentur, sed divina Providentia constituta *semper firma & immutabilia* permaneant. Aristoteles quidem rem ipsam vidit, sed causam ejus adsequi haut potuit, ut qui, Providentiam divinam quod attinet, parùm sibi constare videtur. Verba ejus ex Sophocle petita notatu dignissima, & cum iis,

quæ

quæ proximè præcedenti thesi recitavi, cohærentia hæc sunt: οὐ γάρ τι νῦν τε κἀχθὲς, ἀλλ' ἀεί ποτε ζῇ τοῦτο, κοὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου φανείη. *Non etenim id nunc, & heri, sed semper fuit. Et nemo scit, unde ejus ortus sit 1. Rhet. c. 13.* Quid ergo prodest tibi, mi Philosophe, omnis tua scientia, utcunque magna & admiranda, si hoc cum Sophocle nescis? Lex quidem Dei æterna ab æterno fuit in Dei intellectu, ejus vero præcipua pars, Jus Naturale, declarari & promulgari cœpit cum genere humano, ex quo etiam ejus obligatio effectum nacta cum ipso genere humano durabit. Sed hæc ignorasse videtur Aristoteles, recteq; se scire putavit, Mundum esse ab æterno.

XLVIII. Neque audiendus hic est M. Ant. Majoragius, qui *ad d. l. Rhet.* scribit, sibi videri, Philosophum per δίκαιον τὸ κοινὸν, *commune jus*, non solùm Jus Naturæ, sed & Gentium complecti voluisse: quam ad rem infirmo ibi utitur argumento, & facilè ex textu Aristotelis integrè collato redargui poterit. Est ergo hoc Jus adeò firmum & immutabile, ut ne DEus quidem illud velit aut possit immutare. Non vult, quia constanti hoc ordine Societates naturales ejus Providentia regere decrevit. Non potest, quia ut hoc jure & ordine actiones humanæ in Societatibus procedant, omnino Dei justitiæ est consentaneum, ut si ab illo jure recessum fuerit, non possit non violari Justitia divina, quæ cum Deo essentialis sit, DEus sibimet non repugnabit. Multò minus ergo quidquam in his mutare poterit Homo, quisquis ille fuerit, sive imperans, sive parens, imò ne universum quidem genus humanum vel tantillum in iis mutare poterit, etiamsi gigantea protervia contra Deum fero-

ciens conspiret. Peregregiè Cicero hac de re loquitur apud Lactantium *lib. 6. cap. 8.* *Huic Legi* (de Naturali sermo est) *nec abrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero aut per Senatum, aut per Populum solvi hac lege possumus. Neque est quarendus explanator, aut interpres ejus alius: nec erit alia lex Roma, alia Athenis: alia nunc, alia posthac. Sed & omnes gentes, & omni tempore, una Lex & sempiterna & immortalis continebit: unusq; erit communis quasi magister & imperator omnium DEus ille, Legis hujus inventor, disceptator, lator: cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis adspernabitur: atque hoc ipso luet maximas pœnas, etiamsi cætera supplicia, qua putantur, effugerint.* Sunt hæc profectò auro contra cara, dignaq; quæ attentè expendantur; nihil enim in iis frustra aut temere positum est.

XLIX. Viderit ergo Dn. Osiander, quomodo verum esse, & defendi queat, quod ille & *in Typo Leg. natur. th. 44. 45. & in Annot. ad Grotii lib. 1. de J. B. P. c. 1. th. 10. obs. 5.* tam confidenter adseverat, Legem Naturæ in statu integritatis non eandem esse cum Lege Naturæ in statu corruptionis. Hoc, ni fallor, ita ipsi excidisse videtur, quod Legem Naturæ per Habitum definivisset, & ceu quiddam Habituale, uti ipse ait, Hominis animo insidere dixisset, ut adeò nec Legum Naturæ in se & in abstracto, nec animum hominis qualis esse debeat, sed hunc corruptum, & istum habitum (scilicet!) vitiorum illuvie contaminatum & quasi submersum consideraverit. Neque etiam distinguendum est cum Martino Schokio *de Jur. Nat. th. 56.* inter præcepta Juris Naturalis Universalia, & Particularia, quasi ista nequeant, hæc vero mutari

tari

tari queant. Neque enim fieri posse ait, ut ex cujusquam animo penitus deleatur hoc generale principium, Bona esse facienda, & Mala fugienda; etiamsi nonnulli homines aut populi putent, furtum, adulterium & similia alia non esse turpia. De his enim quid sentiendum sit mox audiemus. Perquam vero ridiculus est Gratianus, qui *decret. dist. 5.* profitetur quidem Jus Naturæ esse immutabile, ut tamen suam sententiam protinus mutasse videatur, siquidem illius sunt, quæ ibi leguntur verba: *Cum Naturale jus in Lege & Evangelio dicatur esse comprehensum, quædam autem contraria his, quæ in lege statuta sunt, nunc inveniantur concessa, non videtur Jus Naturale immutabile permanere. In Lege namq; præcipiebatur, Ut mulier, si masculum pareret, quadraginta: si vero feminam, octuaginta diebus à templi cessaret ingressu: nunc autem statim post partum ecclesiam ingredi non prohibetur.* Addit insuper alia æquè insulsa, & refutatione indigna.

L. Nec est quod quis objiciat contraria Juribus Naturæ patrata facinora & exempla, quorum nonnulla suprà recensui. Nec enim in his spectandum est, quid factum sit, sed quid fieri debuit; uti omnino plurimùm à Facto Jus distat. Locum hic habere potest, quod Cicero in Tusculanis Quæstionibus de Natura dixit: *Nunquam naturam mos vincet; est enim semper invicta.* Scitè etiam distinguendum est inter id, quod Normæ & Regulæ vice actionibus est præscriptum, & inter Actiones ipsas, quæ ad amussim ejusmodi examinatæ ei modò conveniunt, modò ab illa longissimè abeunt: adeoq; res diversissimæ invicem distinguendæ sunt, Jus ipsum ejusq; observantia aut neglectus. Sicuti ergo non mutatur lex humana factis

 fortè

fortè subditorum contrariis solis; multò minùs Lex Naturæ, etiamsi pravo more corrupti integri populi contrarium fecerint, mutationē hinc recipit. Illustrari hæc & superiora possunt perinsigni disputatione Socratis de Legibus Naturalibus instituta apud Xenophontem *lib. 4. memorab. An quasdam, mi Hippia, non scriptas leges esse nosti? Eas, ait, quæ ubivis locorum eodem modo observantur. Hasne dicere potes, ait, ab hominibus esse conditas? Qui possim? inquit, cum homines universi convenire non possint, nec eodem sermone utantur. Quosnam igitur, ait, leges hascondidisse arbitraris? Equidem, ait, has leges hominibus à Diis ferri existimo. Nam apud homines universos hoc primùm lege receptum est, Deos esse colendos. Annon & Parentes ubique locorum receptum est honore prosequendos esse? Etiam hoc, ait. Non & illud, quod neque parentes cum liberis, neque liberi cum parentibus consvescere debeant? Illa mihi lex, ait, mi Socrates, non jam amplius esse Dei videtur. Quamobrem? inquit. Quod enim advertam, nonnullos hanc non observare. At enim, ait Socrates, etiam alia multa contra leges committunt. Verùm qui leges divinitus conditas violant, pœnas dant, quas homo nulla ratione potest effugere, quemadmodum nonnulli leges latas ab hominibus transgredientes, quò minus pœnas dent, vel latendo, vel vim adhibendo effugiunt. — — Sentio tecum, inquit, hac etiam in parte. Quid autem? de bene nobis facientibus vicissim bene merendum esse, annon ubivis gentium legibus consentaneum est? Est, inquit. Et committitur etiam adversus hoc. Quo fit, ut & illi, qui in hoc delinquunt, pœnas dent.* Memorabilis est textus in *lib. 1. magn. moral. cap. 34. Justorum quædam natura, quædam lege sunt. Verum arbitrari ita oportet, ne putemus nunquam*

exci-

excidere quæ natura sunt, quæ sanè etiam mutationem subeunt: ut, inquam, si jaculari omnes semper sinistra annitamur, tandem sinistra manu æquè ac dextra utemur. Atqui à natura sinistra est: at dextra nihilominus natura potiora sunt, sinistris, tametsi cuncta sinistra, sicut & dextra, facimus. Neq; quod mutari hæc queant, ob hoc à natura non sunt: verum si ut plurimum diutiusq; ita permaneant, & sinistra est sinistra, & dextra dextra, id quod à natura est. Idem in à natura justis, si nostro usui immutentur, non ob hoc à natura justa non fuerint, imò equidem fuerint. Nam quod ut plurimum perdurat, id propalam justum à natura est: quod vero nos constituimus, legeq; sciscimus, id certè justum, atq; etiam ex lege justum nuncupamus. Præstat igitur justum, quod à natura est, illi, quod ex lege. Hæc si Aristotelis sunt, merentur conferri cum iis, quæ leguntur *5. Nicom. 7. §. 5. & seqq.* ubi ita loquitur: *Id quod constat natura, immobile atque immutabile est, & ubique eandem vim habet; quemadmodum ignis & hic & apud Persas urit. Jura autem quotidie vident immutari. Sed hoc non est ita, cum sit tamen aliqua ex parte. Quanquam apud Deos fortasse nequaquam ita habens. Sed ut ut hoc habet, apud nos certè est aliquid quamvis naturale, tamen mutabile, etsi non omne. Veruntamen hoc non obstante Jus aliud natura valet, aliud non natura. Porro quodnam & quale etiam eorum, quæ aliter evenire, quæq; mutari possunt, natura constet, & quod rursum non natura valeat, sed lege & consensu, siquidem ambo peræquè sunt mutabilia, facilè intelligitur. Ac cæteris quoque rebus poterit eadem distinctio accommodari. Manus enim dextra valentior est sinistrâ naturâ. Atqui evenire potest, ut aliqui sinistra perinde ut dextra utantur.* Hæc ille, cujus sententiam aliàs planiùs exposuimus.

LI. Ra-

LI. Ratum ergo sit, quod Cicero ait, neque factis contrariis, neque sanctionibus humanis Jus Naturæ posse *Abrogari*, hoc est, obligationem ejus omnino tolli & antiquari: neque posse ei *Derogari*, hoc est, obligationi ejus aliquam partem nova lege detrahi. *l. 102. ff. de V. S.* neque illi *Obrogari*, hoc est, legis naturalis infirmandæ causa novam ferri, uti Festus explicat: vel, ut aliquid ex prima lege mutetur, ceu hoc interpretatur Ulpianus *Instit. tit 1. § 2.* neque etiam *Exrogari*, id est, ex lege naturali eximi quidquam per legem novam, uti hanc vocem Festus accipit. *Surrogandi* vero potestas hominibus, quatenus id prudenter, vel saltem sine temeratione juris naturalis fit, competit, hoc est, ut aliquid per legislatores juri naturali adjici queat: qua de re pòst exactiùs erit dicendum. *Add. Barn. Brisson. de form. & Gœdd. ad d. l. de V. S.*

LII. Objiciat mihi quis autoritatem JCti, qui *l. 6. ff de J. & J.* disertè ait, per jus civile arbitrarium Juri naturali non solùm aliquid addi, sed & detrahi. Atque idem exemplis confirmari posse existimet, quod Legislatores Romani Pacta nuda noluerint esse efficacia ad agendum, adeoq; illorum obligationem naturalem sustulerint. Primum quod attinet, notum est, à nonnullis Juri Naturali solere accenseri, quæ sunt libertatis naturalis. Atque hi ipsi cum perspicerent, non esse hæc Juris propriè naturalis capita, cœpit Jus naturæ dividi in Obligativum, quod est propriè tale, & Permissivum, quod καταχρηστικῶς tale dicitur. Quando igitur JCtus ait, Jure arbitrario detrahi Juri naturæ, commodissimè hoc accipi poterit de iis, quæ sunt Juris hujus Per-

permiſſioni. Ita cum Natura cuivis licentiam venandi indulſiſſet, Jure civili poſitivo iſti detractum, atque hactenus libertas humana valdè fuit reſtricta. Neque alterum etiam argumentum nobis obſtat. Etſi enim cum Franciſco Connano non faciamus, negante, pactis obligationem ad agendum naturaliter efficacem ineſſe; non tamen id hinc conſequetur, Juris naturalis obligationem per jus arbitrarium tolli. Pacta enim ſigillatim conſiderata, quæ fortè Titius cum Sempronio init, non naturalis, ſed arbitrarii juris partem conſtituunt, etiamſi obligatio eorum fundamentum habeat in hoc generali Juris naturalis præcepto, Fides data pactisq; conſtituta eſt ſervanda. Deinde & hoc ſpectandum eſt, pacta eſſe leges privatorum, quorum certè placita non poſſunt legibus publicis aut poteſtati legislatoriæ præjudicare. Neque etiam verum eſt, quod omnis Pactorum obligatio tollatur aut perimatur, etiamſi Legislator lege poſitiva impediat & vetet, ne illa obligatio naturalis ſortiatur certum effectum civilem, ut inde in foro Romano agere liceat. Cum enim Obligationes naturales non ſint omnino ejusdem generis, quibusdam Jus Romanum adhuc multos effectus civiles tribuit, etiamſi efficaciam in foro Romano agendi iisdem ademerit. Ita ex naturali obligatione debitum poteſt compenſari. *l. 6. ff. de compenſ.* conſtitui. *l. 1. §. pen. ff de conſt. pec.* novari. *l. 1. in fin. ff de novat.* ejusdem per errorem ſoluti nomine competit retentio. *l. 10. ff. de O. & A. l. 19. ff. de cond. indeb.* Poteſt & fidejuſſor huic obligationi accedere. *§. 1. Inſt. de fidejuſſ.* & pignus. *l. 5. ff. de pignor.* Sunt aliæ naturales obligationes, quæ planè juris civilis poſitivi auxilio deſti-

G tuun-

tuuntur. Qualis est illa, quæ ex beneficio accepto oritur, & ad ἀντίδωρα devincit. *l. 25. §. 11. ff. de hered. petit. l. 54. §. 1. ff. de furt.* Unde Cicero pro Plancio, *Alia*, inquit, *est debitio gratiæ, alia pecuniæ.* Quæ ita explicat Seneca *lib. 3. de benef. Cum res honesta sit, referre gratiam, desinit honesta esse, si necessaria est,* hoc est, si exigi actione possit. Similiter si is, cui bonis interdictum est, quid promiserit, Jure civili Ro. adeo nulla hæc habetur obligatio, ut ne quidem fidejussorem admittat. *l. 6. ff. de V. O.* Nec major vis est transactionis de alimentis factæ *l. 23. §. 2. ff. de cond. indeb.* Et quamvis ex intercessione mulierum oriatur obligatio, actionem quidem pariens; hunc tamen fœtum in ipso partu enecat perpetua SCti Vellejani exceptio. *l. 40. ff. de cond. indeb. l. 9. C. eod.* Ex quibus omnibus apparet, obligationes naturales à Jure civili Ro. non fuisse penitus sublatas, sed ex his alias omni juris positivi præsidio fuisse destitutas, alias certos quosdam in foro civili effectus obtinuisse, quosdam vero iis denegatos fuisse, ut interim ex his naturalibus obligationibus debitæ præstationes cujusque religioni conscientiæ commissæ, non autem peremptæ fuerint.

LIII. Numquid vero adeò immutabile est Jus Naturæ, ut ne quidem Dispensationi locus sit? Antequam ad hanc quæstionem respondeatur, primò omnium vox illa explicanda est. *Dispensare*, est obligationem legis, universaliter alioqui conceptæ, atq; ita universaliter obligantis, certis casibus relaxare, ejusq; vim & effectum, quem absque dispensatione habitura in iis esset, suspendere. Unde protinus illud rectè colligitur, tale quid invito legislatore fieri non posse, imò potestatem dispensandi cum ipsa pote-

potestate nomothetica inseparabili nexu cohærere, neque illam cuiquam nisi Legislatori competere. Quæstionem igitur propositam quod attinet, sequitur, saltem Homini non esse fas aut integrum, ut sibi dispensandi autoritatem velit sumere in Jure Naturali; etiamsi contrarium fortè adfectent Tyranni, aut is qui his in terris pro Vicedeo se gerit. Dionysio Syracusano, matri stuprum intentanti, & legibus solutam potestatem obtendenti, illa respondit: *Civilia illum posse jura mutare, at minimè naturalia:* Præclara vox est T. Quintii ad Antiochi legatos apud Livium *lib. 24. Honesta aut prima aut sola pensare decet principi orbis terrarum populo & tanto Regi.* Sed nec ipse Deus dispensatione in his uti vult, aut potest, propter easdem, quas paulò antè exposui, rationes. Sic enim saltem interdum, & certis casibus, Deus sui Juris, imò suæ Justitiæ effectum impediret: id quod est absurdum, & contradictionem quandam implicat; dicere, Deum esse, & tamen ejus attributum essentiale saltem quibusdam casibus cessare atque exspirare: quod perinde est, ac si dicas, Deum istis casibus Deum non esse. Liquet hinc, illum ViceDeum etiam ipsa autoritate divina majorem sibi arrogare, eamq; ad infringendam æternam Dei voluntatem & immutabilem justitiam pessimè usurpare. Manifestum quoque ex his est, quàm malè sibi suæq; causæ consulant ii, qui Polygamiam contra Jus naturæ esse contendentes, ubi ipsis exempla Sanctorum veterum objiciuntur, ad sacram Dispensationis anchoram confugere solent, ac si Deus Jus naturæ, polygamiam, ut ipsi opinantur, omnino vetans, singularibus causis motus in gratiam illorum patrum relaxaverit, hoc est, Justitiæ suæ æternæ &

 immu-

immutabili necessarium effectum dempserit. Ita scilicet evenit, ut falso uno posito, necessariò plura sequantur.

LIV. Vix dici potest, quàm grandes multosq; errores pepererit hæc de Dispensatione disputatio. Nam Guilielmus Occamus, Andreas de Castro novo, Gerson, Petrus de Aliaco, & alii docuerunt, Deum circa omnia præcepta Decalogi, adeoq; circa Jus Naturæ etiam dispensare posse, hac cumprimis ratione moti, quod nihil per se sit bonum malumve, sed demum propter liberam Dei voluntatem illa censenda esse talia. Pestilentissimum hoc dogma recoxit haut ita pridem Jo. Szydlovius, de quo suprà. Adducuntur quoque in argumentum istiusmodi persuasæ Dispensationis exempla ex S. Scriptura, de Naamane in æde Rimnonis tempori serviente: de juramentis per creaturas permissis: de præcepto Sabbathi relaxato: de Jehu contra regem & regiam familiam arma capiente: de Abrahamo filio, & Simsone sibi necem parante: de Osea meretricem sibi jungente: de Israëlitis vasa aurea & argentea commodatò accepta amoventibus: de obstetricibus mendacii præmium meritis.

LV. Joannes Duns Scotus, cum & ipse minùs rectè vocem Dispensationis accepisset, ita existimavit: quod præcepta Primæ Tabulæ Decalogi prorsus indispensabilia, Secundæ verò Tabulæ per divinam potentiam dispensationem recipiant; ut tamen in præcepto de Sabbatho aliquid positivum adgnoverit. Durandus illud tantùm de quarto & quinto præcepto adfirmat, de reliquis, sive adfirmativis, sive negativis, negat. Joannes Major eò propendet, quod omnia præcepta adfirmativa sint dispensabilia, non autem negativa, nisi quod ex his quintum de

non

non occidendo excipiat. Rectiora docuit Thomas, eumq; secutus Dominicus Soto: ut adeò inter Scotistas & Thomistas ea de re exstiterit contentio: quorum hi Jus Naturæ omne à Dispensatione intemeratum esse volunt. Idem contra superiores defendunt ex Pontificiis, Cajetanus, Richardus, Tostatus, Ludovicus Molina: ex Reformatis Cregutus & Autor Anonymus Belga *diss. Epist. de Justo & Decoro. p. 52.* ex nostratibus Meisnerus, & tot alii, viri pii & doctissimi.

LVI. Nuper quoque animadverti, bonum dormitasse Homerum. Quippe Mevius in suo *Prodr. insp. 2. n. 38.* grandem errorem inculcat, *quod Jus Naturæ sit quidem immutabile, non tamen supra Deum sit evectum, ut Deus ei subsit, & aliquando ex malo bonum efficere non possit.* Mox ita loquitur: *Dispensando potest Deus indulgere, quæ alias naturaliter improba, imò & injungere, multò magis facere.* Nimis hæc sunt φορτικὰ, quæ summo alioqui Viro excidisse nollem. Imò ne quidem hoc ulcus tetigissem, nisi periculum esset, lectorem eo vel infectum, vel saltem offensum iri. Neque igitur Jus Naturæ ita est comparatum, ut propter qualitatem internam unquam ejus obligatio cesset aut deficiat: neque illud mens humana penitus ejerare, aut ex conscientia expellere potest: neque vi aliqua externa humana abrogari, imò ne quidem ab ipso Deo mutari vel omnino, vel ex parte potest, etiamsi ejus veritas ab istorum injustitia detineatur, aut hujus absolutam potentiam accersas. Nunquam enim hac Deus utetur, aut uti potest, ut permittat & approbet peccata, suæq; Justitiæ sibiq; ipsi repugnet: quod absurdum dictu est atque impium. Vide prolixè hac de re disputantem, & objectionibus

suprà *th. 54.* motis sigillatim respondentem *Osiandr. typ. leg. nat. th. 48. & seqq. & ad Grot. lib. 1. de J. B. P. c. 1. th. 10. obs. 3. p. 180. seqq.* Addatur quoque ipse Grotius *d. l. n. 10.*

LVII. Alii alia etiam ratione illam hujus juris Immutabilitatem impugnant. Cum enim illud Jus normam det actionibus humanis, harum verò singularia & circumstantiæ infinitis modis varient, sic ut legum naturalium norma alia atque alia illis sit applicanda, & actionibus specie licet iisdem eadem tamen lex applicari nequeat; ideo putant, ipsum Jus naturæ in se esse mutabile. At sicuti verissimum est, actiones humanas plurimis mutationibus esse obnoxias; non tamen hinc colligendum est, perinde quoque ipsa jura, & quidem naturalia mutari. Poscit quidem illa actionum varietas diversam jurium applicationem, ut tamen illa jura in se & citra applicationem sint immutabilia. Nam illa varia juris naturalis applicatio hoc nobis argumentum seu indicium præbet, quod ejus obligatio ad actiones multùm dissimiles non uno modo pertineat, non quod ipsa illa obligatio mutationem in se recipiat, ut modò obliget, modò non obliget, etiamsi actiones planè eodem modo se habeant. Nam propter hanc actionum humanarum varietatem Jus etiam Naturæ non una aut paucis sed multis admodum Legibus est proditum, quas Prudentia Judiciaria ita interpretatur & applicat, ut cuique actioni suum conveniens jus dictitet, non ut jura ipsa mutet aut pervertat. Neque enim Prudentia Judiciaria adversa est Prudentiæ Nomotheticæ, sed huic ista subservit, sic ut diversa jura diversis actionibus convenienter applicando quarumlibet legum obligationem potius conservet, quàm

quàm mutet. Nam, ut verbo dicam, diversas leges diversis actionibus applicare, non est mutare leges, sed demonstrare atque dijudicare, quas actiones quæ leges adficiant, suaq; obligatione quomodo & quatenus concernant aut complectantur. Ut adeo materia Juris Naturalis externa ab ipso illo probè sit discernenda.

LVIII. Hinc proclive jam est varias inter Jus Naturale & Arbitrarium differentias arcessere. Illud unicè à Providentia, hoc à legislatorum libera voluntate originem & autoritatem habet. Illud suapte natura vel debitum vel illicitum est: hoc ex arbitrario placito & instituto. Illud omnes obligat homines, hoc sua natura non item. Illud est immutabile, hoc multam mutationem recipit. Illud juxta ideam Legis divinæ æternæ est conditum, hoc statui civitatis aut alii speciali vel privato bono accommodatum esse solet. Illud cum ipso genere humanò cœpit, cumq; ipso durabit: hoc diverso tempore & cœpit, & durat. Illud à Deo promulgatur in animis hominum singulari prorsus modo, per Rectam Rationem, divinæ particulam auræ: hoc vel viva voce, vel scriptura, expressa aut tacita approbatione, & voluntate legislatoris, vel immediate, vel aliorum ministerio significata. Illud pro fine præcipuè habet Honestatem, ut per actiones justas & honestas homo & adquirat suam felicitatem, & similibus actionibus eandem retineat & excerceat: hoc sibi propositam habet præcisè considerandam Utilitatem. *Gifan. ad lib 5. Nicom. cap. 7. verb. τὰ δὲ κατὰ συνθήκην. p. m. 404.*

LIX. Quanta sit Juris Naturalis autoritas, & quantùm hactenus etiam sit inter hoc & Jus Arbitrarium discri-

crimen accepimus. Quemadmodum vero in tanta Juris Arbitrarii varietate unum alteri sæpe cedere cogitur, sic ut dignioris autoritas nervum minus præstantis, obligationem, planè incidat, & vel omnino vel ex parte tollat, vel saltem, eam suspendat; ita Juris Arbitrarii omnis nulla est autoritas, quoties illud Juri Naturali repugnat. Vid. Autor anonymus Belga *differt. Epistol. de Justo & Decoro. p. 18.* Cum enim Juris in genere considerati condendi potestas à maximè diversis proficiscatur autoribus, non potest non etiam diversa tam multiplicis juris esse autoritas. Vel enim pares inter se jure ex placito pactoq; consociantur: vel superior obligat inferiorem, sic ut hic parendi necessitate adstrictus, alter imperandi potestate sit præditus. Et vicissim qui certis fortè hominibus superior est, ut illis juris normam præfinire possit, alii fortè parere necesse habet. Tandem vero eò res redit, ut omnis arbitrarii juris legisq; latorum autoritas omnipotentis & justissimi Numinis imperio subsit, juxta illud Poëtæ:

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Dei.

LX. Non minus utile quàm jucundum fuerit, specimina quædam istius Jurium subalternationis (ut ita appellare liceat) attentiùs intueri. Ordiemur à Testamentis. Testamentum est lex quædam privata. *Nov. 22. cap. 2.* Et quamvis testandi liberam facultatem esse velint; nihil enim est, quod magis hominibus debetur, quàm ut supremo voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt, liber sit stylus, & licitum quod iterum non redit arbitrium, *l. 1. C. de SS. eccles.* Nemo tamen potest

in

in ſuo teſtamento cavere, ne Leges in ſuo teſtamento locum habeant. *l. 55. ff. de legat. 1.* id quod ibi pluriniis exemplis declarat Dion. Gothofredus. Cum igitur teſtator voluiſſet, ne ſcriptus heres Falcidia uteretur, reſpondit JCtus, privatorum cautione legibus non eſſe refragandum. *l. 15. pr. ff. ad l. Falcid.* Itaque licet in dubiis id ſemper agendum eſt, ut quam tutisſimo loco res ſit bona fide contracta, hanc tamen exceptionem ſuggerit JCtus, niſi cum apertè contra leges ſcriptum eſt. *l. 21. ff. de reb. dub.*

LXI. Tranſeamus ad Pacta, quæ item ſunt leges privatorum. Hi ergo ſi quas inter ſe conventiones inſtituant, cavere debent, ne illæ legibus publicis obluctentur. Nam pacto publicum jus infringi non poteſt. *l. 20. ff. de relig.* Jus publicum privatorū pactis mutari nō poteſt. *l. 38. ff. de pact.* Itaque contra juris civilis regulas pacta conventa rata non habentur. *l. 28. ff. eod.* Nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus ſubſecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente, inquiunt Impp. *l. 5. C. de legg.* Et ideo Prætor pacta conventa adverſus leges, plebiſcita, ſenatusconſulta, edicta principum inita, ſe ſervaturum eſſe negat. *l. 7. §. 7. ff. de pact.* Et generaliter quoties pactum à jure communi remotum eſt, ſervari hoc non oportet. *l. 7. §. 16. ff. de pact.* Multò minùs aliquod jus parere poſſunt illa pacta, quæ bonis moribus repugnant. *l. 6. C. de pact. l. 30. C. eod. l. 4. C. de inutil. ſtipul. l. 1. §. 7. ff. depoſ. l. 14. §. 1. ff. ſolut. matrim. l. 61. ff. de V. O. l. 35. §. 1. & l. 134. ff. eod.* Minimè omnium obligandi vim habent illa pacta, quæ turpitudinem continent, aut quovis modo Juri Naturæ refragantur. Si

igitur ob maleficium, ne fiat, promissum sit, nulla est obligatio ex hac conventione. *l. 7. §. 3. ff. de pact.* Nam pacta, quæ turpem causam continent, non sunt observanda, veluti si paciscar ne furti agam, vel injuriarum, si feceris; expedit enim timere furti, vel injuriarum pœnam. *l. 27. §. 4. ff. eod.* Generaliter novimus, turpes stipulationes nullius esse momenti. *l. 26. ff. de V. O.* veluti si quis homicidium, vel sacrilegium se facturum promittat. Nam etiam officio Prætoris continetur, ex hujusmodi obligationibus actionem denegari. *§. 23. Inst. de inut. stip. l. 27. & 123. ff. eod.* Imò istiusmodi pacta & conditiones pro impossibilibus rectè reputantur. Facta igitur quæ lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, &, ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est. *l. 15. ff. de condit. instit.* Itaque non videtur defectus conditione, qui hujusmodi parere conditioni non possit. *l. 8. §. 7. ff. eod. Guil. Grot. de princ. Jur. nat. cap. 4. n. 8.*

LXII. Non magis etiam Magistratibus, quàm privatis, istiusmodi conventiones inire licet: unde Hadrianus rescripsit, conventione Duumvirorum jus publicum mutari non posse. *l. 1. §. 9. ff. de magistrat. conven.* Quò igitur major est Legislatoris cujusque autoritas, eò minus ejus voluntati & sanctionibus obniti aut detrahere possunt illi, qui illorum imperio parent. Maxima vero obsequii gloria hæc est, quo Juri Naturæ ejusq; autori reverentia & obedientia præstatur, ad quam etiam summi in terris Principes ac Respublicæ, imò totum genus humanum sine ulla refragandi licentia obligantur. Hinc profitetur JCtus, Jura sanguinis nullo jure civili dirimi posse. *l. 8. ff. de R. I.*

Ita-

Itaq; licet jure civili Ro. cum servis non matrimonium, sed tantùm contuberniū contraheretur, hactenus tamē etiam serviles cognationes observandas esse monet JCtus, quod in contrahendis matrimoniis naturale jus & pudor inspiciendus sit. *l. 14. §. 2. ff. de rit. nupt. l. 42. ff. eod. l. 197. ff. de R. I.* Cum igitur Lex sit inventum ac munus Dei, juxta Demosthenem, debeatq; esse regula justorum atque injustorum, juxta Chrysippum, *l. 2. ff. de legg.* summam curam, sollicitudinem ac prudentiam Legislatores in condendo jure arbitrario adhibeant, ne quid Juri Naturali videantur delibare aut detrahere. Si quæ enim tales leges fuerint latæ, quæ isti juri adversentur, Providentia divina protinus intercedit, suiq; juris autoritatem non solùm conservat, sed tali juri arbitrario omnem obligandi vim demit, subditosq; ad contraria adstringit. Quod si fortè tyrannica vi legislator istiusmodi juribus autoritatem asserere velit, summum illud jus summa erit injuria, locumq; habebit id, quod ait JCtus: *Contra legem facit, qui id facit, quod lex prohibet. l. 29. ff. de legg.*

LXIII. Cum vero non rarò eveniat, ut inter alias satis bene prudenterq; latas leges quædam deprehendantur, quæ Juri Naturali repugnant, quales etiam in systemate legum Romanarum occurrunt; tantò major cautio à Legislatoribus adhibenda est, quò latiùs illarum vitium grassatur. Peccant enim ea re non solùm ipsi Legislatores, sed & peccare jubent subditos, dum parere ejusmodi legibus eos volunt. Sed & gravius peccare faciunt Judices, qui juxta talium legum normam actiones examinant, examinatas dijudicant, & pro re nata puniunt; cum tamen istiusmodi leges normæ vicem sustinere nequeant, & harum legislator

Avius à vera longè ratione vagetur.

Hinc sœpe pugna oritur inter Jus Naturæ & Legitimum, inter strictum rigidumq; jus & Æquitatem, inter praxin fori interni & externi: ex quibus quænam prævalere debeat, in thesi dijudicatu facile est. Ubi vero ad hypothesin ventum est, hæret sæpe aqua, hæsitat conscientia. *Guil. Grot. de prin. Jur. nat. cap. 6. n. 12.* Nam & in alteram partem proclivis est lapsus, ut opinione æquitatis, & rationis naturalis, facilè quis errare possit: qua de re jam conquestus olim fuit Celsus, & nos illud pluribus ostendimus *Disp. nostra de Æquitate. Mevius in Prodr. Insp. 2. n. 20. seqq.* qui etiam Legum Naturalium subordinationem ibi commendat *n. 43. seq.*

LXIV. Superiora quod attinet, nonnullis illa declarabimus exemplis. In quodam Germaniæ opido hoc Statutum obtinet, ut in concursu omnibus creditoribus extraneis incolæ istius opidi jure civitatis præferantur. Hujus opidi civi cuidam, præter alios tempore aliisq; rebus posteriores creditores etiam pecuniam credidit vidua quædam, quæ cum domicilium alibi haberet, ut de credito securior esset, à magistratu illius opidi pretio dato civitatem sibi adquisiverat. Cessione bonorum à debitore facta contentio, uti fit, inter creditores ratione prærogativæ exstitit, volentibus viduam sibi postponere creditoribus iis, qui illius opidi cives erant, quamvis nullo alio jure illa potiores, & tempore etiam posteriores essent. Secundum hos judicatum fuit à tribus JCtorum collegiis, propter privilegium Statuto tributum, & quod vidua non omnia omnino munera & onera exemplo creditorum civium, qui isthic domicilium habebant, sustinuisset, ne-

que

que adeò omnes numeros civis implesset. Mihi non solùm hoc durum, sed periniquum fuit visum. Si enim hoc Statutum cum Jure Naturæ contendatur, vix ac ne vix quidem juris autoritatem habebit, quod videatur Juri Naturali inimicum esse. Hujus enim juris regula est, Solve quod debes. Cumq; contractuum commoda, quatenus à Jure Naturæ definita sunt, non magis ad indigenas vel cives, quàm extraneos pertineant, tam his quàm istis pecunia mutuò data est solvenda. Itaque si à pluribus creditoribus sub hypotheca bonorum istius opidi civi pecunia sit credita, quorum creditorum alii sint item cives, alii extranei, & isti nulla alia nisi civitatis, hi vero temporis prærogativa nitantur, horum sanè jus prius & potius etiam jure naturæ quæsitum, solo civitatis jure non videtur posse absorberi, nisi istos cum horum injuria velis locupletiores facere. *l. 206. ff. de R. I.* Atque istis per hos iniquam conditionem inferre. *l. 74. ff. eod.* Sanè si causas illas, propter quas creditores alii aliis præferri solent, expendas, nonnullas earum etiam naturali ratione commendari deprehendes. At ut solo jure civitatis jus lege naturæ creditori extraneo quæsitum auferatur, non solùm iniquum, sed & ingrati erga exteros benefactores animi argumentum est. Ut vero ad hypothesin redeamus, nonne viduæ jus civitatis à magistratu, & quidem cum onere, adquisitum, saltem ad hoc prodesse debuit, ne à civibus postponeretur, solo jure civitatis, quibus illa tempore & jure prior erat? Etsi enim non omnia onera civica sustinuit, regeri potest, quod neque omnia commoda civitatis perceperit, cum alibi haberet, ibique plerasque suas fortunas possideret. Velim me ferant dissentientem æquo

animo diſſentientes, locumq; dent Græcorum proverbio: *ἄφθονοι τῶν μϰσῶν θύραι.*

LXV. Si injuria laceſſitus ſuum adverſarium ad duellum provocet, eumq; confodiat, quæri ſolet, an ordinaria L. Corneliæ pœna ſit adficiendus? ſiquidem non niſi animo ulciſcendi provocatio ſit facta, cum Judicis non deeſſet præſidium, Jus Naturæ illum homicidam talionis pœnæ ſubjiciendum eſſe monet. Moribus tamen & praxi aliud receptum eſſe tam ſuo quàm plurimorum aliorum ſuffragio comprobat *Carpz. p. 1. pr. crim. q. 29. n. 75. ſeqq.* Quia vero hæc provocatio propoſitam habet omni jure prohibitam vindictam, neque quisquam ſibimet jus dicere, ſed legitimis remediis uti debet, noſtram ſententiam ceu rectiorem jam confirmarunt *Bachov. ad Weſenb. ad l. Aquil. n. 4. & Hahn. ibid.*

LXVI. Plurima ejus generis exempla ſuppeditari poſſent, & ſubinde talia JCtis & Judicibus decidenda exhibentur, ubi ejusmodi Juris poſitivi & Naturalis conflictus cernitur. Quod ſi diças, non omnium, quæ à majoribus conſtituta ſunt, rationes reddi poſſe: imò rationes eorum, quæ conſtituuntur, inquiri non oportere, alioquin multa ex his, quæ certa ſunt, ſubverſum iri, *l. 20. & 21. ff. de legg.* Reſpondeo, me nullo modo ſuadere, imò diſſuadere, ut temere quis a norma juris poſitivi recedat, etiamſi ejus ratio ſit obſcura, aut incerta, aut illud habeat quid etiam incommodi: at ſi evidens ſit inter illud & Jus naturæ pugna, hujus autoritatem omninò prævalere volo, & iſtius tunc eſſe nullam dico, ut adeò Judices talibus caſibus Juri Naturæ, non vero ei adverſanti juri poſitivo, ſuam ſententiam attemperare debeant.

Bene

Bene Jacobus Gothofredus, Utrum aliquando jus civile à naturali jure recedere possit, ne quidem quæri posse, ait ad *l. 8. ff. de R. I. n. 4.*

LXVII. Si quis hominem sanum & valentem telo lethifero doloq; malo percutiat, glande fortè plumbea transverberet, aut gladio transfodiat, isq; protinus in terram concidens mortem oppetat, & non inspecto vulnere sit sepultus, quæri solet, an homicida ordinaria pœna homicidii sit adficiendus? Multi id negant, Carpzovius pernegat. Carolus V. Imp. noluit sanè inspectionem vulneris à Judicibus negligi, ceu videre est ex *Art. 149. constitt. crimin.* Si tamen is conferatur cum *Art. 147.* perspicuè significatur, discrimen quoddam esse habendum, an ulla ratione dubitari possit, fueritne vulnus lethale, nec ne. Non equidem repugno, ut utroque casu legitima fiat vulneris inspectio, si tamen posteriori casu negligatur, & ex vulnere accepto protinus quis obierit, talionis pœnam Jus Naturale exigere, & peccare illos puto, qui homicidas hoc obtentu ab ordinaria pœna liberare satagunt. *Brunnem. de proc. inquis: cap. 7. n. 20.*

LXVIII. Docent nonnulli, cautos debere esse patronos, homicidii reum quempiam acturos, ut in libello simpliciter proponant, homicidiũ esse perpetratum, qualitatem vero cædi nullam adjiciant; hoc enim si factum fuerit, non solum homicidium, sed & qualitatem ei adjectam ab accusatore esse probandam. Hactenus bene. Quod vero insuper inculcant, si qualitas adjecta probari nequeat, fortè quod dolo dicatur fuisse commissum homicidium, quamvis de ipsa cæde, & culpa homicidæ constat, illum tamen simpliciter esse absolvendum, neque

reum

reum denuo propter culpam vel accusari, vel puniri, imò ne quidem civiliter conveniri posse; id juri naturæ planè repugnat. Hæc tamen tanquam *cautela elegans & aurea, mentiq; summè infigenda* commendatur, *per quam quis onus probandi in accusatorem transferre, & se à pœna homicidii eximere potest, etiamsi maximè aliquem dolosè occiderit.* Ita loquitur *Berlich. p. 4. concl. 14. summ. & n. 2.*

LXIX. Solent etiam patrato homicidio id agere homicidæ, eorumq; advocati, ut cum occisi vidua, liberis vel propinquis, pecunia data aliisve rationibus transigant, atque hi accusationi juriq; suo ita renuntient. Hoc ubi impetratum fuerit, contendunt nonnulli, homicidam illum ordinariæ pœnæ eximendum esse. Malè. Quoties enim ita decernitur, invito hoc fit & Jure Naturæ, & Divino arbitrario. Per istiusmodi enim delicta duplex ferè committitur læsio, quarum altera Justitiam Universalem, altera Particularem offendit. Utraque suam sibi poscit satisfactionem, sic ut privata transactio vel satisfactio minimè præjudicare possit Reipublicæ, quò minùs illa propter leges violatas pœnam de facinoroso sumere queat. *l. 2. C. res int. alios act.* Ut vero homicidæ magis sint securi de supplicio evitando, alii etiam hanc insuper cautionem iis commendant, ut curent, à magistratu transactionem illam cum privatis initam confirmari. Sanè Jus Naturæ non repugnat, ut hoc ita fiat; at ut hac autoritate privatæ transactioni & satisfactioni à magistratu accommodata publica vindicta detrimentum accipiat, & Justitiæ Universali debita satisfactio denegetur, Juri Naturæ adversum est. Pleniùs hanc iniquitatem exhibet *Oldekop decad. 2. qu. crim. 1.*

LXX. Ex

LXX. Ex definitione suprà tradita etiam inprimis diligenter explicandum est, quid sit Recta Ratio, & quomodo per eam in animis hominum Jus Naturæ promulgetur. Guil. Grotius *de prin. Jur. nat. cap. 3. n. 5.* Nullum enim jus cum effectu obligat, nisi ubi promulgatum, & per promulgationem iis, à quibus obsequium exigitur, cognitum fuerit. Illustrari hoc ipsum poterit verbis Ludovici Molinæ *de Just. & Jur. tom. 5. tract. 5. disp. 70. Quo fit, ut Promulgatio, de qua nobis hoc loco est sermo, non sit solùm conditio, sine qua lex non obligat; sicut applicatio ignis ad stupam est conditio, sine qua vis ignis naturalis, quam jam ignis ante eam applicationem integram in se habet, stupam non inflammabit; sed sit quidpiam Legis completivum, atque adeò completivum vis seu virtutis Legis ad subditos obligandum.* Quæ sit Recta Ratio, paucis hic repetam, quod aliàs de ea exactiùs egerim. Ratio seu Intellectus significat ipsam illam in homine facultatem, quæ ratiocinandi & intelligendi potentiam essentialiter habet atque possidet. Ut vero sit Recta, per suam Virtutem obtinet. Virtus enim hoc præstat, ut Facultatem illam, cujus virtus est, & dicitur, perficiat, & illam ad munus suum rectè, promptè ac facilè obeundum instruat. Hæc Rationis ὀρθότης, non ut ipsa Ratio seu ratiocinandi Facultas, nobis connascitur, sed industria aliisq; adminiculis adquiritur. Cumq; Ratio vel in rebus Necessariis, vel Contingentibus, atque his vel πρακτοῖς, vel ποιητικοῖς, *activis vel effectivis*, versetur; non poterit in tam dissimili materia rectè se gerere, si una virtute perficiatur, sed conciliabunt hanc rectitudinem omnes illi habitus, quibus in necessariis & contingentibus rectè possumus ἀληθεύειν, *verum colligere.*

 Istius-

Istiusmodi habitus recensentur ab Aristotele *6.Nicom.3.§.2.* quinque: Intelligentia, Scientia, Sapientia, Prudentia & Ars. Tres priores perficiunt intellectum Theoreticum, ut debito modo in necessariis possit ἀληθεύειν. Prudentia perficit Intellectum Practicum, strictè hic accipiendum; nam interdum etiam Effectivum solet latiori significatione usuq; comprehendere, ut in rebus agendis, seu quid in vita sequi, quid fugere conveniat, rectè se gerat. Hinc ita Aristoteles *6. Nicom. ult. §.17. Recta Ratio est ea, cui Prudentia moderatur.* Et §. 21: *Recta de talibus rebus Ratio est ipsa Prudentia.* Denique Ars perficit Intellectum Effectivum, ut in effectivis dextrè suo munere fungatur. Si itaque Rectam Rationem distinctè cognoscere lubeat, erit illa triplex, Theoretica, Practica, Effectiva. Adeoq; si cui Recta Ratio absolutè & simpliciter tribuatur, necessum est ut omnibus his Intellectus virtutibus perfectè instructus sit, ad veritatem in qualibet materia, theoretica, practica, vel effectiva, feliciter indagandam. Si igitur fortè à quibusdam Philosophis Recta Ratio tantum referatur ad Intellectum Practicum Prudentiæ habitu instructum, fit illud respectu substratæ materiæ moralis, quam tractant, cum alioqui non hoc uno habitu circa quamlibet materiam, sed tantùm circa τὰ πρακτὰ, *res agendas*, Intellectus humanus perficiatur.

LXXI. Quemadmodum vero conformitas actionum humanarum cum legibus naturalibus non sola absolvitur Prudentia, sed Prudentia & Virtute morali; sic ut per Prudentiam legum naturalium promulgatio fiat, & actiones ad earum normam dirigantur: appetitus autem virtute mo-

morali perficiatur ad obſequium legibus præſtandum. Ita enim Philoſophus *6. Nicom. 12. §. 16. & 17.* docet: ἔτι, τὸ ἔργον ἀποτελεῖται κατά τε τὴν φρόνησιν καὶ τὴν ἠθικὴν ἀρετήν. ἡ μὲν γὰρ ἀρετὴ τὸν σκοπὸν ποιεῖ ὀρθόν. ἡ δὲ φρόνησις, τὰ πρὸς τοῦτον. *Præterea ex Prudentia & Virtute morali opus abſolvitur. Virtus enim ſcopum propoſitum agenti rectum efficit: Prudentia vero ea, quæ ad ſcopum ducunt.* Quodnam quæſo hic intelligitur hominis ἔργον, opus proprium, & quale hoc eſt ejus ἀποτέλεσμα, perfectum opus? Proprium hominis opus eſt, agere ſecundum virtutem & rectam rationem. ἔστιν ἔργον ἀνθρώπου, ψυχῆς ἐνέργεια κατὰ λόγον, καλῶς πραττομένη, *Eſt opus hominis, operatio animæ ſecundum rationem, & bene ſeu ſecundum virtutem moralem perfecta. 2. Nicom. 7. §. 41. & 43.* Perfectum idem opus inde cernitur, ſi actiones humanæ exactè conveniant cum norma legum naturalium. Sicuti enim opificum ad amuſſim compoſita opera ἀποτελέσματα appellari conſueverunt; ita actiones ad regulam Prudentiæ & Virtutis compoſitæ ſuum in illa convenientia ἀποτέλεσμα conſequuntur. ἕκαστον εὖ κατὰ τὴν οἰκείαν ἀρετὴν ἀποτελεῖται, *Quodlibet opus perfectè ſecundum propriam ſuam virtutem perficitur. 2 Nicom. 7. §. 43.* Proprium igitur Hominis opus cum ſit, Honeſtè juſteq; vivere per virtutes ſuæ naturæ maximè proprias, Prudentiam & Virtutem, etiam hujus ſui operis perfectionem harum præſidio adſequitur.

LXXII. Diſſerueram jam antehac de Recta Ratione in Prolegomenis ad Officia Ciceronis, oſtenderamq; commonſtrari quidem homini per eam poſſe, quæ ſint naturâ Honeſta & Juſta, vinculum tamen Obligationis, quod Juri Naturali ineſt, ab ea non ſatis aptum, ſed ipſum

Deum, principem ejus autorem constituendum esse. Hæc à se lecta cum Vir quidam doctissimus probasset, illud tamen in me desiderat, quod certiora non suggesserim §. 46. adeoq; §.55. ad Deum tandem recurrerim. Disputaverat ille de Natura Honesti: cumq; jam instituisset quærere normam Honesti, dicit eam non posse esse Rectam Rationem, quia Honestum considerari velit, *quatenus obligationem aliquam subinfert, hominesq; omnino omnes adstringit, ut sic & non secus agant.* §. 14. Mox ait, ideo me tutiora adferre nequivisse, quod §. 33 fundamentum Honesti destruxissem, Legem Naturæ cum Recta Ratione miscuissem, τὰς ἐννοίας κοινὰς adnatas inficiatus fuissem, ac Apostolum auxilio Thomæ Aquinatis à suo sensu ac scopo detorsissem; nam distincta illa duo esse, Legem Naturæ & Rectam Rationem: illam principia practica communissima nobis per generationem insita complecti; Rationem autem rectam conclusiones inde deductas indigitare. Doleo sanè, illum neque se neque me loquentem satis intellexisse. Primò quidem in eo labitur, quod Honestum omnino cum obligatione intellectum velit. Etsi enim sæpe Honestum cum Justo quasi συνωνύμως conjungatur, revera tamen Honestum à Justo secerni potest, & pro re nata debet: ceu jam tum indicavi in iisdem Prolegomenis §. 15. Quæ enim inter Virtutes Morales omnes & Justitiam Universalem differentia est, eadem inter Honestum propriè dictum & Justum ferè cernitur. *Vid. diss. mea de Justitia Univ.* Deinde quamvis verum sit, Rectam Rationem differre à Lege Naturæ, commentitia tamen explicatione illud discrimen incrustat. Non minus enim Jus Naturæ ex conclusionibus, quàm principiis quibus-

busdam universalioribus constat. Et Recta hic Ratio significat Intellectum Practicum Prudentiâ perfectum, quæ quascunq; Leges naturales, sive principii sive conclusionis instar habentes nobis promulgat. Quod enim alibi ait, Deum Leges naturales promulgare, quoties illas naturali generatione posteris adgnasci patiatur; ipsius quidem hypothesi servit, at mihi verisimile non fit. Cum enim ipso fatente Promulgatione voluntas legislatoris patefiat, ut Leges promulgatæ cum effectu obligent, sequetur, protinus homini, ubi nascitur, Leges naturales innotescere, eumq; hinc efficaciter jam tum obligari. Quod experientiæ manifestè refragari nemo non videt. Tertiò dixi, Honestatis & Juris naturalis originem patefieri nobis posse per Rectam Rationem: obligationis vero, quæ Juri inest, principium ad ipsum Deum referendum esse. Prius fieri posse ostendi, si naturæ nostræ dignitatem & finem probè consideremus, usus phrasi Ciceroniana. Humanæ naturæ dignitas consistit in eo, quod sit Rationalis & Socialis. Si igitur homo rectè judicaverit, quid ad finem societatum naturalium ducat, quibus officiis & juribus illæ contineantur & conserventur, quidque item suæ rationali naturæ conveniat, hanc posse honestatis esse normam & cynosuram adfirmavi. Quid ille adhæc? *Utcunque hæc argumentum præbeant movendi atque incitandi hominem ad honestatem, nondum tamen jus aliquod obligativum inducunt.* Ego vero istis hoc primùm significare volui, quomodo nobis per Rectam Rationem innotescere & commonstrari possit Honestas & Jus Naturæ. Ut vero homo huic commonstrationi adsensum præbeat, sciatq; , se omnino ad talia officia obligatum esse,

ad Deum illum duxi his verbis: *Quam obligandi autoritatem parendiq́ necessitatem ut sciant homines sibi sanctissime esse colendam & observandam, meminerint divinæ Providentiæ opus esse, quod naturam non solùm rationalem sed & socialem acceperint: cumq́ Societatum fines minime teneri possint absq́ Juris ordine & vinculo, hujus temeratores gravissimè Deum offendere, ejusq́ iram in se provocare. § 55.* Hoc vero quomodo accipit? *Memoria ergo,* inquit, *ejus, quod quis rationalem ac socialem à Deo acceperit vitam, ultima erit ratio, quæ ex illius mente honestum firmabit.* Sane non exspectassem istiusmodi verborum aucupium, inanesq́;, quos sibi ex his verbis facit, ludos: neque quidquam tam commodè dici potest, quod cavillationem omnino effugiat.

LXXIII. Quæ natura honesta vel justa sint, homini innotescere posse dixeram præsidio Prudentiæ, & inspectis diligenter societatum naturalium finibus: ne vero ille existimet, arbitrio suo permissum esse, velit nolit actiones suas his componere; quin potius ut omnino certus sit, parendi & hoc modo agendi necessitatem sibi impositam esse, jubeo hominem hoc quoque diligenter expendere atque ad animum revocare, societates naturales earumq́; jura autorem habere Deum, eundemq́; appetitum socialem insevisse homini, ut actiones suas ad harum societatum fines dirigat, nisi Deo, illiusq́; ordini & juribus repugnare, suæ naturæ rationali vim facere atq́; obniti, adeoq́; gravissimè peccare velit. Quæ omnia per se manifesta Veritatiq́; consentanea sunt, & ex integra hac dissertatione illustrari ac confirmari poterunt. Qua vero tandem in re consistit illa criminatio destructi à me fundamenti Honestatis? Quod profiteri noluerim, Leges naturales seu principia

cipia practica nobis habitualiter connasci; has enim normam præbere Honestati. Ego vero uti illis, qui hac opinione delectantur, vim fieri nolim; ita quoque philosophandi libertatem mihi quoque integram esse existimo, & planè committere nequeo, ut vel experientiæ vel meo intellectui adversa probem. Itaque tantum abest, ut Apostoli verba à suo sensu ac scopo detorquere voluerim, ut potius genuinum eorum sensum exponere, eoq; fine Thomam adsciscere voluerim, quo dubito an ullus mortalium in rebus moralibus dijudicandis subtilior & exactior fuerit. Neq; tamen ille tantum, sed plurimi alii de textu Apostoli, & principiis practicis idem senserunt: ceu videre licet ex iis, quæ suprà disserui *th. 17 & 18.* ut adeò si vel rationibus, vel numero contendere velim, grave crimen sublati Honestatis fundamenti amoliri à me queam. Monet Aristoteles, etsi Voluptatis desiderio facilè quis in vitium prolabi possit, non tamen propugnandam esse hanc sententiam, omnes voluptates esse malas: ubi enim apparuerit, ipsum hujus doctrinæ autorem non ab omnibus abstinere voluptatibus, primum falsitatis eam suspectam reddet, & mox, si quid veri contineat, id quoque simul evertetur *10. Nicom. 1. §. 12.* Idem videtur evenire illis, qui, ut rectius scilicet illorum philosophia stabiliatur & procedat, habitualiter hominibus principia practica & leges naturales connasci confidenter dictitant, adeoq; id docent, quod planè aliter se habere vel parari, usus & experientia affatim testatur, & cuiq; suum experimentum fidem facit: ut sanè, quibus hoc commentum tantopere placet, suum dogma maximè suspectum reddere, & iniquè mihi, quasi minus tuta suggesserim

Hone-

Honeſtatis Jurisq; naturalis fundamenta, dicam ſcripſiſſe videantur. Quapropter cum idem alibi hæc mea recitaſſet: *Natura ordinem imperantium & parentium instituit*: *hic vero ſine εὐνομία conſiſtere nequit*; hanc quæſtionem ſubjicit: *Honeſtatem autem connatam* (habitualiter) *ſi tollas, quàm εὐνομίαν habebis?* cui ego viciſſim hanc oppono: Qualis hæc eſt conſequentia? ſed de diverticulo redeamus in viam.

LXXIV. Cum igitur facultatem Intellectus Practici perficiat Prudentia: facultatem Appetitus Virtus: utriusque perfectio non momento, non uno impetu, non omnino atque ex aſſe adquiritur; ſed paulatim, magno labore, ſedulitate, ſtudio, diverſis adminiculis, diverſoq; gradu obtinetur. Uti ergo Intellectus rectitudo per Prudentiam, Appetitus rectitudo per Virtutem paulatim promovetur, ſuisq; adminiculis utraq; adjuta creſcit atque augeſcit; ita iisdem gradibus & æquis paſſibus Recta Ratio in promulgandis legibus naturalibus, & Appetitus per Virtutem bene diſpoſitus in adſenſu, ut & obſequii facilitate ac ſtudio proficit. Quos progreſſus tantò rectiùs adſequi & metiri licebit, ubi Prudentiæ & Virtutis incrementa, cauſas & adminicula ſcrutati fuerimus. Atque hoc ipſum cum duabus aliis Exercitationibus, *de Virtute Morali & περὶ εὐφυΐας, de Bona Indole*, exſecuti ſimus, potuiſſent quidem illæ huic inſeri, ejusq; argumentum iis non parùm illuſtrari: Ne vero à propoſito nimis videamur diſcedere, neq; etiam Lectoribus quidquam invidere, mantiſſæ loco illas huic Diſſertationi ſubjungemus, & de ſingulis diſtinctè ac ſeorſim agemus.

LXXV. Hoc tamen circa Promulgationem Juris Naturalis etiam diligenter eſt notandum, quod cum Lex omnis

omnis ſit propoſitio quædam univerſalis, & Leges naturales ſint leges non ſcriptæ, hæ per Rectam Rationem promulgantur propoſitionibus modò ſimplicioribus ac conciſioribus, modò plenioribus, & ſæpe reſtrictione limitatis. Quamvis enim generatim hæ Leges Naturæ in animo hominis promulgentur: Parentibus eſſe obediendum, Magiſtratibus eſſe parendum, Depoſitum eſſe reddendum; ſi tamen vel iſti quid iniquum & Deo adverſum juſſerint, aut furioſus gladium depoſitum repetierit, Recta Ratio promulgationem iſtarum legum pro re nata limitat, reſtringit, eiq; Juris Naturalis conditiones inſerit, quæ ſunt tales, ut iſtis parendum ſit, ſi non injuſta præceperint, & ut quodvis depoſitum ſit reddendum, ſi nemo eo ad alterius injuriam ſit abuſurus. Unde apparet, cur Ariſtoteles Æquitatem dixerit corrigere Jus Legitimum, non autem Naturale. *5. Nicom. 10.* Lex enim Naturalis cum ſcripta non ſit, eo quoque nomine deficere non poteſt; nunquam enim tota auditur, niſi omnes addideris exceptiones, quibus additis, nihil ei deeſſe videbimus: inquit Guil. Grotius *de Princ. Jur. Nat. cap. 3. n. 11.* Cumq; Leges Naturales ſint vel Præcipientes, vel Vetantes, circa has non perinde eveniunt hujusmodi exceptiones ſeu limitationes. Semper enim veræ ſunt hæ leges & ſine exceptione, Adulteria, furta, & ſimilia alia, eſſe turpia, & ſemper fugienda. Unde Scholaſtici ita ſolent loqui, Præcepta Juris Naturæ negativa obligare ſemper & ad ſemper, Affirmativa vero obligare ſemper, ſed non ad ſemper. *Guil. Grot. de princ. Jur. nat. cap. 2. n. 11.* & inprimis *cap. 3. n. 9. & 11.*

LXXVI. Dicas, ſi ita comparatum ſit cum Juris

Naturalis promulgatione & cognitione, eam fore incertam, dubiam, tenuem fluxamq;. Si quis animum rectè advertat, facile intelliget, Promulgationis darigradus atque progressus, initio exiguos & infirmos, quos paulatim promovebit & stabiliet homo, si bonam indolem fuerit nactus, eiq; cultura doctrinæ & sedula adsuefactio accesserit; tunc enim in cognoscendis legibus naturalibus felicissimè adsurgere, & solidam certamq; earum notitiam & adsensum sibi comparare potest. Quemadmodum enim Vitium principii delendi ac perimendi vim habet, *6. Nicom. 5. §. 16.* ita Prudentia Veritatem practicam facilè pervidet, & Virtus appetitum ita instruit, ut libenter morem gerat, & intellectus practicus legibus naturalibus adsentiatur. Si enim Vitium, & quidquid vitii causa est, prava indoles, neglecta disciplina, vita adfectuum perturbationibus adsueta, & cumprimis voluptatibus dedita, judicium intellectus corrumpit, pervertit atque exstinguit, ut honesta à turpibus, justa ab injustis discernere nequeat, legibusq; naturalibus, vivendi principiis, debitum adsensum deneget, Prudentiam & Virtutem, earumq; causas contrarios producere effectus certum est.

LXXVII. Quid quod judicium intellectus practici etiam aliis argumentis certum reddatur, & Recta Ratio ipsa sibi de sua rectitudine testimonium perhibere queat. Hoc ut evidentiùs ostendam, hoc primò est monendum, Jura Naturæ omnia vel esse Principia, vel Conclusiones. Ista sunt vel Prima & Immediata, vel Mediata. Hæ sunt vel principiis primis propiores, vel ab iis remotiores. Guil. Grotius *de princ. Jur. nat. cap. 2. n. 7.* Quæ distinctio quàm sit notabilis, duobus exemplis declarabo. Juri

Natu

Naturalis, quod & Univerſale appellitant, ignorantiam non excuſare, & Ariſtoteles *3. Nicom. 5.* §. *19.* & JCti docent *t. t. ff. & C. de jur. & fact. ignor.* Hoc autem locum vix invenit, ubi fortè ignorantur Juris Naturalis concluſiones à principiis ſuis longiùs diſtantes; qua in re tantò faciliùs hallucinatio contingere poterit, ut quisque Prudentiæ & Scientiæ habitu minùs fuerit inſtructus. Secus qui ſenſerit, vel ab omnibus promiſcuè exactam Prudentiam requiret, quod eſt ἐκ τῶν ἀδυνάτων, vel exiſtimet neceſſe eſt, facile cuivis eſſe, quaslibet concluſiones ex ſuis nectere principiis: quæ certè opinio grandem argueret ἀπαιδευσίαν. Plura hac de re dixi *Tract. meo de Principio act. moral. diſp. 2. th. 36. ſeqq.* quæ cum his conferri merentur. Alterum hoc eſt. Grotius cum belli poteſtatem feciſſet in illos, qui Jus Naturæ violaſſent, (quam ſententiam hic non diſputabimus, ſed in medium relinquemus) diſtinguit mox inter Leges Naturæ evidentes, & quæ non ſint tales, vultq; propter iſtarum læſionem belli pœnalis jus competere, propter harum autem violationem non item. Vide illum *lib. 2. de J. B. P. cap. 20.* §. *47. & proximè præcedentibus.*

LXXVIII. Docui aliàs pluribus, rerum moralium etiam Scientiam dari, quæ cum animum reddat ἀμετάπτωτον, & de ſuis demonſtrationibus certiſſimum, utique Juris Naturalis promulgatio non omnis erit incerta, ſed quædam certiſſima, & adſenſum mentis ſolidè conſtringens. *Mev. in prodr. Inſp. 2. n. 26.* Cum enim in quaque ſcientia requirantur tria, Subjectum, de quo aliquid demonſtratur: Adfectio, quæ de ſubjecto demonſtratur: & Principium, cujus virtute adfectio ſubjecto ineſſe vel

adhærere ostenditur; ita quoque tria hæc in Scientia Juris Naturalis, quæ aliàs Philosophiæ Moralis titulo insigniri solet, deprehenduntur. Nam subjectum sunt Actiones humanæ morales; de quibus adfectiones hæ demonstrantur, quod sint vel Justæ vel Injustæ, Honestæ vel Inhonestæ: idq; ex principiis, quæ sunt ipsæ Leges Naturæ, principia ut vivendi, ita & actionum, quibus vita moraliter constat, demonstrandi. Aristot. *3. Rhetor. cap. 17.* Etsi vero idem Philosophus in Analyticis requirat, ut principia demonstrandi sint Immediata; hoc tamen tantùm est intelligendum de primi ac præcipui generis demonstrationibus: ex quibus quando justa serie secundum regulas Analyticas progredimur, primæ & immediatæ demonstrationis conclusio fit principium sequentis, donec illa demonstrationum series & catena tandem conclusione aliqua singulari terminetur. Unde Aristoteles *6. Nicom. 11.* docet Intellectum non minus Practicum quàm Theoreticum versari circa duum generum extrema, τῶν ἐσχάτων ἐπ' ἀμφότερα *§. 11.* Cumq; Intellectus practici virtus sit Prudentia, & hæc τῶν ἐσχάτων ἐπ' ἀμφότερα dirigitur, hoc est, in adsensu terminatur primo aliquo & immediato Principio, in descensu teminatur singulari quodam. Utraq; enim via Intellectum uti, ostendit Philosophus *1. Nicom. 4.* & exemplo διαύλε, de quo Pollux in Onomastico consulendus, idipsum illustrat.

LXXIX. Dicas, paucis id contingere, ut per demonstrationes ipsis evidenter Jura Naturæ innotescant & promulgentur; quod non nisi pauci fidem & adsensum illis principiis practicis tribuant. Imò vero omnes illis principiis adsensuri sunt, quotquot illa Prudentiæ & Virtutis

tutis

tutis præsidia & adminicula acceperint atque adhibuerint, quorum suprà mentionem feci, putà, qui ingenio non fuerint distorto, disciplinæ capaci, benè educati, bonisq; actionibus adsuefacti. *Nam verè de singulis rebus judicat vir bonus, & ei statim, quod in unaquaque re veri est, elucet. Ex uniuscujusque enim habitu honestá & jucunda finguntur. Atque eo ipso fortassè longè præstat reliquis vir bonus, quod singulis in rebus verum perspicit; quasi earum norma sit & mensura. 3. Nicom. 4. §. 10. seqq.* Etiamsi igitur improbi homines longè sint plures probis, atque isti omnes aliter de principiis practicis seu legibus naturalibus judicent, atque boni; istorum tamen per vitia & voluptates corruptum judicium minimè cum bonorum judicio conferendum, multò minus ei præferendum est. Nam ut corporibus bene constitutis salubria sunt ea, quæ revera talia sunt: morbosis autem & ægris alia, itemq; amara, dulcia, calida; ita quoque boni rectè de honestis & inhonestis sentiunt, & ista facienda, hæc fugienda judicant: improbi vero propter ἀφρωσίαν mentis contrario judicio utuntur. Proinde licet Leges naturales in se sunt certæ, respectu tamen hominum & cognitionis humanæ possunt esse vel obscuræ, vel incertæ, vel perspicuæ: ut, sicuti JCti ad arbitrium boni viri, ita merito Philosophi ad judicium boni viri, cujus καλοκἀγαθία cum Prudentia individuo nexu conjuncta intelligitur, tanquam mensuram actionum humanarum provocent, qui adeò optimè omnium discernere norit, sintne Legibus naturalibus à Prudentia promulgatis illæ conformes nec ne.

LXXX. At, inquis, cur principiorum practicorum seu Legum naturalium non eadem vis est convincendi

Intellectum, quæ est principiorum theoreticorum, quæ non minùs improborum quàm proborum adsensum extorquent? Scilicet magnum est Theoreticorum & Practicorum principiorum discrimen, quemadmodum etiam Veritatis theoreticæ & practicæ. *6. Nicom. 2.* Hæc enim cum non absolvatur speculatione veri, sed ut illud ipsum actione exprimatur, necessum utique est, ut juxta veritatem practicam acturi intellectus practicus aliter sit dispositus, quàm intellectus theoreticus, qui sola contemplatione terminatur. Hic enim suum adsensum principiis merè theoreticis tribuere potest, sive animus ejus bene sive moraliter malè sit adfectus, cum è contrario practicis principiis adsensum tribuere nequeant, nisi qui animum bene excultum, & ad res bene agendas bene etiam præparatum habeant. De Veritate practica aliàs dixi *Exam. meo Probabil. Jesuit. cap. 9. reg. 9.*

LXXXI. Sed præter Demonstrationes Intellectus Practicus etiam aliis utitur κριτηρίοις, per quæ item Jus Naturæ perspicuè promulgatur, ejusq; veritas & autoritas confirmatur. Est vero κριτήριον, ᾧ ἡ ἀλήθεια τῶν πραγμάτων γινώσκεται, *per quod veritas rerum cognoscitur,* ceu de Dialectica idipsum in specie dicitur apud Laërtium *in Zenone.* Illa κριτήρια sunt Experientia, & Conscientia. Itaque cum Aristoteles Principia colligi dixisset vel Inductione, vel Sensu, vel Adsuefactione, addit his Eustratius Experientiam, fortè ab Inductione non differentem. *1. Nicom. 7. §. 56.* Experientia quomodo generetur, eleganter docet Philosophus *2. post. Anal. c. ult.* Animalia, inquit, habent quandam δύναμιν κριτικὴν σύμφυτον, *facultatem judicandi congenitam,* quam *Sensum* appellamus. Unde idem *2. Topic.*

pic. ait, τὸ δὲ αἰσθάνεσθαι, κρίνειν ἐστι, *sentire est judicare.* Ista ergo facultas sentiendi objecta sensilia percipit, & dijudicat, diverso tamen effectu in brutis, & in homine; quin & in istis. Alia enim bruta sola vi τοῦ αἰσθήματος, *sensus*, reiq; sensilis impressione adficiuntur, nullam autem ejusdem memoriam recondunt: At in aliis post actum sentiendi remanet quoddam simulacrum sive species, quā memoria sua continent. Homo vero non solùm sentit, & percepta sensu memoria complectitur, sed & species illas vi intelligente inter se comparat, earumq; differentias ratiocinando investigat. Hinc ita colligit Aristoteles d. l. Ex Sensu fit Memoria. Ex Memoria sæpe ejusdem rei facta, fit Experientia, h. e. ex repetita sæpius memoria ejusdem rei existit Experienria: quæ nihil est aliud, quàm congeries quædam multarum numero memoriarum, de rebus singularibus ejusdem speciei factarum. Præterea ex Experientia, per rationem, existit in Intellectu, & manet, Universale quoddam unum præter multa, ut loquitur Philosophus, hoc est, mente quidem conceptum, & à multis, imò omnibus illis singularibus abstractum; revera tamen in omnibus illis singulariter unum & idem existens, quod postea Principium fit demonstrandi, vel Practicum, vel Theoreticum. Cum quo Philosophi textu & alter ejusdem conferri meretur ex *1. Metaph. cap. 1. Ad agendum* (πρὸς τὸ πράττειν) *nil videtur Experientia differre ab Arte: quinimo videmus, expertos magis id, quod intendunt, consequi, quàm illos, qui rationem, absque Experientia tenent. Causa est, quod Experientia singularium, Ars autem universalium cognitio est.* Hinc cum Philosophus *6. Nicom. 7. §. 23. & cap. 8. §. 22.* Prudentiam dispescuisset in Universalium

& Sin-

& Singularium, atque hæc nihil aut parùm discrepet ab Experientia, utramque præstantem esse ait, sic ut qui utraq; sit præditus, solidè Prudens sit censendus; interim senum consiliis aut adsertionibus non minùs tribuendum esse monet, quàm sapientum demonstrationibus, quod isti habeant τῆς ἐμπειρίας ὄμμα, *Experientiæ oculum. 6. Nicom. 11. §. 22.*

LXXXII. In societatibus itaque naturalibus agentes quando usu deprehendimus, aliis actionibus per se fines illarum obtineri ac conservari, aliis & quidem contrariis per se turbari illas & destrui, hac experientia instructus Intellectus Practicus prioris generis actiones expetendas, posterioris esse fugiendas concludit. Sed cum Experientia sit singularium, ejus disciplina sic progredi videtur. Si quis v. g. viderit emptionis venditionis contractum corrumpi & dissolvi modò dolo Titii emptoris, modò dolo Sempronii venditoris: nunc errore Caji, nunc errore Mævii, atque hinc inæqualitatem enormem, ex inæqualitate hac querelas, ex querelis diffidia, ex diffidiis solutionem societatum existere, atque ita indigentiam destitui; has experientias Intellectus Practicus à suis singularibus abstrahit, & inde principium universale conficiens hunc in modum colligit: Quidquid est causa inæqualitatis, querelarum, & ut tandem impediatur aut dissolvatur contractus, adeoq; indigentia expleri nequeat, illud à contractu Emptionis Venditionis abesse debet: Talia vero cum sint Dolus & Error, hæc ab illa abesse debent. Præterea Experientia cum perspiciat, non solo contractu emptionis venditionis indigentiã humanam sublevari, & simul usu comperiat, quemlibet contractum lædi,

pertur-

perturbari & infringi Dolo atque Errore, Intellectus Practicus illud universale principium etiam producit atque extendit ad omnes alios contractus, sic ut ab omni contractu Dolum abesse, & quemlibet contrario ejus requisito, Bona fide, stabiliendum & muniendum esse concludat. Sed & ubi Experientia deprehenderit, alios contractus aliis magis subvenire indigentiæ, hunc vero finem obtineri non posse, nisi in his Bona fides ad præstanda ea, quæ ex hujusmodi contractibus debentur, uberiùs attendatur, & adeò amplior ad Æqualitatem comparata mensura adhibeatur, quàm in aliis; colligit hinc Intellectus Practicus, non omnes omnino contractus eadem libra vel trutina ponderandas, sed quemlibet ex suo genio ad Æqualitatis stateram esse examinandum. Pari vel suppari modo in aliis rebus explorandis experiundo procedit Ratio recta, eaq; à singularibus abstracta Universalia conficit, quæ ad demonstrandum adhibita Principiorum autoritatem habent, & generalis vivendi regulas actionibus singularibus præbent. De errore in contractibus quod dixi, velim commodè & citra cavillationem accipi, cum non ignorem, quid de eo aliàs disputari soleat. Confer *l. 9. & 14. ff. de contr. empt. & l. 21. §. 2. ff. de act. empt. l. 62. §. 1. & l. 11. §. 1. ff. de cont. empt. Cujac. lib. 2. obs. 4.*

LXXXIII. Harum itaque rerum Experientia cum magnam partem hautquaquam sit difficilis; nulla enim vitæ pars caret officio, & Juris Naturalis exercitio: cumprimis iis, qui ad cognitionem & observantiam Jurium Naturæ necessaria præsidia attulerint, εὐφυΐαν, institutionem, ut à Doctrina sint exculti, & decentem Educationem; accidit etiam, ut complures eadem Juris Na-

turalis decreta, eorumq; autoritatem experiendo didicerint, agnoverint, iisq; adsensum tribuerint. Nam eorum & Intellectus practicus & Appetitus per εὐφυΐαν ad Juris illius reverentiam bene fuit dispositus, atque iste per Doctrinam eruditus, hic per Adsuefactionem bene præparatus. Atque hinc existit ille bonorum prudentumq; in cognoscendis legibus naturalibus Consensus, cui adeò plurimùm, qui bene de his judicant, non immeritò tribuunt, ceu vel ex iis liquet, quæ paulò antè à nobis prolata sunt: quibus omnino addenda sunt ea, quæ *in Proleg. ad Offic. Cicer. & in Exam. Probabil. Jesuit. cap. 8. pag. 43. seqq.* prolixiùs disserui. Unum solum inde repetam Ciceronis testimonium: *In re consensio omnium gentium Jus Naturæ putanda est. lib. 1. Tusc. qu.*

LXXXIV. Quicunque igitur eo, quo dictum est, modo singularium τῶν πρακτῶν experientiam multiplicem collegerunt, & principiis hinc confectis de rebus practicis rectè ratiocinati sunt, illorum quoque Ratio fuit Recta, ejusq; διάνοια à singularibus ad universalia, & vicissim ab his ad ista rectè progressa est. Ubi igitur Rectæ Rationi plurimum tribuitur, aut ipsæ Leges Naturales dictamina rectæ rationis appellantur; hinc tamen argutandi occasio non est arripienda, quod quælibet philosophorum secta sibi Rectam Rationem sit vindicatura, & nemo ex iis cum ratione se insanire, vel insanivisse, libens profiteri velit. Si enim consideres in quàm diversas & opiniones & scholas illi secesserint, certè omnes Recta Ratione usos non fuisse, nimis est manifestum. Ubi igitur in dogmata Atheorum, Stoicorum, Epicureorum, Cynicorum aliorumq; incidèris, primò omnium inquirendum est

est, sintne illorum scita placitaq; Rectæ Rationis dictamina. Talia vero existimabis, si illa deprehenderis cum legibus naturalibus Societates naturales continentibus & conservantibus convenire, vel saltem iis non repugnare. Hoc enim quoties fit, dictamen id non Rectæ, sed corruptæ & depravatæ Rationis est, ὀρθὸς γὰρ λόγος περὶ τοιούτων ἡ φρόνησίς ἐστι, *Recta enim de talibus rebus Ratio est ipsa Prudentia. 6. Nicom. ult. §. 21.*

LXXXV. Etiamsi igitur Diagoras, Theodorus, aliiq; Deum esse negent, protinus quisque deprehendet, hoc non esse dictatum Rectæ Rationis, si modò ejus aliquam rectitudinem habuerit. Quo enim vinculo societates continebuntur, aut homo homini obstringetur, si omnis fidei, juris & obligationum summum autorem ac principem sustuleris? *Deos esse inter alia sic colligimus, quod omnibus de diis opinio insita est, nec ulla gens usquam est adeò extra leges moresq; projecta, ut non aliquos Deos credat;* inquit Seneca *ep. 117.*

LXXXVI. Ingressi Epicuri hortum, si ibi doceri audiamus, Deum rerum humanarum nullam habere curam, adeoq; sanctissimum Providentiæ numen proculcari, facilè agnoscas, neque hoc esse dictatum Rectæ Rationis. Si enim adhibeatur κριτήριον Experientiæ, intelliges, per Providentiam quaslibet res, & inprimis etiam Hominem, ad suos fines ordinari. Cum vero non quibuslibet actionibus, sed honestis & Juribus Naturæ conformibus suum finem adsequatur Homo, per has Deum habebit propitium, per contrarias infensum. Absque hac rerum humanarum cura si esset, tolleres à Deo bonitatem & justitiam, cum nihil magis Deo conveniat, quàm ut pro

bonis bona, pro malis mala rependat. *Qui Providentiam tollit, etiam Deum esse negat. Qui autem Deum esse profitetur, & Providentiam simul esse concedit. Alterum enim sine altero nec esse prorsus, nec intelligi potest. Lactant. lib. de Ira Dei. cap. 9.*

LXXXVII. Quod si eodem modo examinaveris Stoicorum decretum, Providentiam quidem graviter adserentium & propugnantium, sed talem, quæ omnia fatali & indeclinabili necessitate impellat moveatq;, sublata erit omnis moraliter agendi libertas & facultas. Si itaque *κριτήριον* Experientiæ consulueris, tali necessitate fatali posita, frustra sunt omnes omnino leges, pœnæ ac præmia. Ut meritò ludibrium debeant Ulpianus, aliiq; JCti Stoici, qui interpretationi Edicti perpetui, & tot jurium naturalium explicationibus omne ingenium, studium tempusq; impenderunt, siquidem palmarium illud Stoicorum placitum amplexi sunt, fatali necessitate omnia ferri. Uti ergo experientia & bona ratio hoc dogma absurditatis damnabit, ita nec verè boni & prudentis hominis consensum ea in re Stoici obtinebunt. Vide præclarè contra hoc Stoicorum dogma disputantem Alexandrum Aphrodisiensem *lib. de Fato.*

LXXXIIX. Fuerunt quoque, neque desunt hodie, qui Immortalitatem animæ pro commento habent sed ubi *κριτήριον* Experientiæ adsciveris, & animadverteris, multos improbos homines, præprimis quorum improbitas autoritate & potentia civili est subnixa, impunè omnia hic patrare, & cum indignissima fecerint, nil tamen suis sceleribus dignum, dum vixerunt, passos fuisse; & tamen hanc esse divinæ Providentiæ & Justitiæ supre-

mam

mam legem, ut quisque præmia vel pœnas, ut fuerit suis actionibus meritus, sit relaturus: non poterit Recta Ratio aliter colligere, quàm Animam à corpore solutam fore superstitem. Non ergo quenquam turbet Aristotelis autoritas, ita decernentis *3. Nicom. 6. §. 14. Omnium rerum nihil horribilius est morte. Nam ea omnium rerum est extremum. Nihilq; reliquum esse mortuo videtur neque bonum, neque malum.* Nam Experientia & recta ratione edocti non solùm prudentiores, sed & integræ nationes veram rectamq; de Anima habuerunt sententiam, illam esse immortalem. *Quædam natura nota sunt, ut immortalitas animæ penes plures, ut Deus noster penes omnes. Tertull. de resurr. carn.* Addantur ea, quæ ad hanc rem evincendam congessit Grotius *de Veritate religionis Christianæ*, aliiq; peculiaribus de hoc argumento commentariis scripserunt.

LXXXIX. Et vero frequenter videas, sapientissimos quosque Philosophos ad hoc Experientiæ documentum provocare. Unum jam duntaxat ejus exemplum proponemus ex Seneca *lib. 4. de benef. c. 18.* ubi ille Ingratitudinem, quam vulgò dicimus, Juri Naturæ valde adversam esse, Gratitudinem vero ab illa exigi, his ostendit verbis: *Ut scias per se expetendam esse grati animi adfectionem, per se fugienda res est, ingratum esse, quoniam nihil æquè concordiam humani generis dissociat ac distrahit, quàm hoc vitium. Nam quo alio tuti sumus, quàm quod mutuis juvamur officiis? hoc uno instructior vita, contraq; incursiones subitas munitior est, beneficiorum commercio. Fac nos singulos, quid sumus? præda animalium & victima, ac vilissimus & facillimus sanguis: quoniam cæteris animalibus in tutelam sui satis virium est. Quæcunque vaga nascuntur, & actura vi-*

tam segregem, armata sunt. Hominem imbecillitas cingit: non unguium vis, non dentium, terribilem cæteris fecit. Duas res dedit, quæ illum obnoxium cæteris, validissimum facerent, Rationem & Societatem.. Itaque qui par esse nulli posset, si diduceretur, rerum potitur. Societas illi dominium omnium animalium dedit: Societas terris genitum in alienæ naturæ transmisit imperium, & dominari etiam in mari jussit. Hæc morborum impetus arcuit, senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolores dedit, hæc fortes nos facit, quod licet contra fortunam advocare. Hanc tolle, & unitatem generis humani, qua vita sustinetur, scindes. Tollitur autem, si efficies, ut ingratus animus non perse vitandus sit. Egregiè hæc cum iis, quæ paulò antè proposui, conveniunt, & simili modo de aliis vitiis ab Experientia argumentum ducere, & demonstrare licebit, perinde uti Ingratitudinem & hæc Societates naturales evertere, adeoq; tanquam Juri naturali contraria perse quoque vitanda, virtutes vero earumq; officia, ceu Societatum vincula ac præsidia, per se expetendas esse.

XC. Videamus jam quanta vis sit alterius κριτηρίου, Conscientiæ, ad cujus tribunal ipse Apostolus provocat. Verba ejus hæc sunt *cap. 2. ep. ad Rom. Cum gentes, quæ legem non habent, natura, quæ legis sunt, fecerint, ea legem non habentes si ipsis sunt lex. Qui ostendunt, opus legis scriptum in cordibus suis, simul attestante illorum Conscientia, & cogitationibus inter se accusantibus in eo die, cum judicabit Dominus occulta hominum.* Chrysostomus ad populum Antiochenum ita loquitur *Orat. 12. Ab initio rerum cum formavit hominem Deus, ipsi indidit legem Naturalem. Et, quid est Lex Naturalis? Conscientia nobis explicavit, & ex se pate-*

patefecit notitiam rerum tum honestarum, tum earum, quæ ejusmodi non sunt. De Conscientia longè aliter docent Casuistæ & Theologiæ moralis doctores, atque Aristoteles, aliiq; veterum. Istorum doctrinam aliàs proposui, examinavi, refutavi. Illi Conscientiam principium constituunt actionum moralium, ego propriè dictam conscientiam illas sequi existimo. Itaque Conscientia mihi est, quæ actiones bene vel malè perpetratas solet sequi bona vel mala: unde etiam rectè Conscientia alia dicitur Bona, alia Mala. Utramque libet hoc generali definitione complecti, quod Conscientia sit judicium Intellectus Practici, quo actiones in vita bene vel malè peractæ examinantur, pro istis gaudium & tranquillitatem, pro his dolorem & perturbationem ingerens.

XCI. Disputant nonnulli, sitne Conscientia actus, an potentia, an vero habitus. Quæ quæstio etsi huc parùm attinere videatur, hoc tamen indicandum est, solere à multis dici, quod sit actus Synteresεos. *Cæl. Rhodig. Lib. 2. lect. antiq. cap. 26.* Synteresin vero Damascenus vult esse habitum, ad mores pertinentem, nobisq; per naturam competentem, seu, esse habitum natura nobis insitum principiorum ad mores pertinentium, attendentem leges naturæ, easq; servantem, instigantem homines ad bonum, revocantem à malo. *Piccolom. phil. mor. grad. 2. cap. 2.* Aristoteles quidem etiam constituit habitum principiorum, quem ille Nᾶν, Intelligentiam appellat *6. Nicom. cap. 6.* Sed ad illum non minus cognitionem principiorum theoreticorum, quàm practicorum refert, & Habitus nobis nullos connasci, suprà jam monuimus; ut adeò nihil opus sit, nova vocabula novosq; habitus commi-

comminisci, modò constet, hanc vim Intellectui Practico inesse.

XCII. De utraque Conscientia in eandem sententiam loquuntur omnes veteres, quorum verba exscribere longum, & hic congesta legere fortè tædiosum foret. Nota est Poëtarum de Furiis fabula, qua veros malæ conscientiæ cruciatus & pavores significant: ceu illam pridem interpretatus est Cicero *pro Sex. Rosc. Nolite*, inquit, *putare, quemadmodum in fabulis sæpe videtis, eos, qui aliquid impiè sceleratèq; commiserint, agitari & perterreri Furiarum tædis ardentibus. Sua quemque fraus, & suus terror maximè vexat, suæ malæ cogitationes conscientiaq; animi terrent. Hæ sunt impiis adsiduæ domesticæq; Furiæ.* Nolo aliorum autorum similia adjicere testimonia. Christiani Patres, Conscientiam vermi adsimilantes cùm S. Scriptura, quærere solent, utrum vermis hujus supplicium animam graviore dolore lancinet rodatq;, quàm ignis urat: & concludunt, ex isto graviorem doloris sensum existere, quam ex hoc: cujus sententiæ explicationem videre licet apud *Cæl. Rhodig. lib. 19. lect. ant. cap. 14.* Sed cum fortè nemo gentilium rectius perspectam habuerit utriusque Conscientiæ vim, quàm Aristoteles, ejus verba prætermittenda non sunt. Is cum docuisset, grande esse discrimen inter Bonos & Malos, interq; amicitiam Bonorum & Malorum; virum enim bonum perinde erga suum amicum, atque erga se esse adfectum, Improbo autem neque sibi secum rectè convenire, multò minùs cum amicis suis, posterius ita declarat *9. Nicom. 4. §. 27. seqq. Qui penitus vitiosi & scelerati sunt, semper secum pugnant ac dissident, aliaq; concupiscunt, alia volunt, perinde ut inconti-*

nentes,

nentes. Iis enim spretis ac rejectis, quæ sibi bona esse opinantur, jucunda sequuntur, & quæ sunt damnosa sumunt. Alii propter ignaviam ac desidiam de earum rerum, quas sibi optimas esse ducunt, actione longè se removent. Jam qui multa & atrocia facinora admiserunt, propter improbitatem vitam oderunt ac fugiunt, sibiq; manus adferunt. Et vitiosi homines atque improbi quærunt, quibuscum dies totos traducant, seipsos autem fugiunt. Multa enim gravia atque horrenda recordantur, taliaq; altera, cum soli sunt, expectant: tantisper autem, dum cum aliis sunt, obliviscuntur. Et cum nihil sit in eis amabile, nullo erga se amoris adfectu commoventur. Non igitur, qui tales sunt, secum ipsi aut lætantur, aut dolent. In eorum enim anima discordiæ & seditiones concitantur. Et interdum homo improbus propter pravitatem dolore adficitur, abstinens à quibusdam rebus, interdum lætatur: & una pars huc ipsum trahit, altera illuc, tanquam ipsum divellendo ac distrahendo. Quod si fieri non potest, ut quis simul doleat ac lætetur, at certè paulò pòst, quod lætatus sit, mœrore conficitur, nolitq; sibi hoc voluptatem attulisse. Quod si ita adfectum esse, valde est miserum, acerrima contentione fugienda improbitas est, operaq; unicuique danda, ut sit probus. Idem Philosophus *9. Nicom. 8. §. 33. seqq.* ita docet: *Improbus sese minimè amat. Nocet enim hic & sibi ipsi, & proximis, adfectibus pravis indulgendo. Sanè improbi hominis facta ab iis, quæ facienda erant, plurimùm discrepant.* Neque etiam hujus Conscientiæ vis ignorata fuit veteribus JCtis, ceu videre licet ex *l. 15. pr. ff. qui & à quib. l. 3. ff. de bon. eor. qui ant. sent. mort. sibi consc.*

XCIII. Bonæ vero Conscientiæ effectus præclarè nobis depingit idem Philosophus *d. c. 8.* in iis, qui pro-

 pter

pter Virtutem sunt φίλαυτοι: cujus laudabilis φιλαυτίας proprietates cum prolixè ibi exposuisset, concludit §.32. *Optimum quemque oportere sui amantem esse. Jam vero is, qui talis est*, ait, 9. *Nicom.* 4. §. 18. *seqq. secum vult habitare, secumq; vivere; id enim libenter facit. Nam & rerum actarum memoria est ei jucunda, & spes futurarum bona: quæ quidem etiam est jucunda. Præterea rerum plurimarum perceptione & cognitione mens ejus abundat, doletq; & lætatur unà secum maximè. Nam omni ex parte idem ei molestum est, idemq; jucundum, neque aliàs aliud; cum, penè dicam, nihil agat, cujus eum pœnitere possit, &c.* Addam unum à Seneca bonæ conscientiæ perhibitum testimonium. *Talis*, inquit *ep.* 59. *est animus viri Sapientis, & nullius mali sibi conscii, qualis mundi status super lunam: Semper illic serenum est. Sapiens nunquam sine gaudio. Gaudium hoc non nascitur, nisi ex virtutum conscientia.* Exemplis idem confirmare, & utriusque Conscientiæ effectus illustrare velle, fortè fuerit otio abuti; sunt illa in mundo, & cuivis historiarum monumenta volventi obvia; ex quibus tamen pauca deinceps attingam.

XCIV. Magis inserviet proposito nostro, si commonstravero, unde sit illa Conscientiæ vis, ut bonis animæ tranquillitatem ac singulare gaudium, magnam felicitatis humanæ partem, conciliet: è contrario improbos vexet, terreat, cruciet, semperq; attonitos habeat. Dixi Conscientiæ examen, accusationem, testimonium, absolutionem aut condemnationem, esse actus Intellectus Practici. Hæc vero Potentia nobis est à Natura, hoc est, Providentia divina, data. Quælibet vero naturalis facultas & potentia est concessa ad certum aliquod munus & fun-

& functionem. Natura enim nihil facit frustra. Quemadmodum ergo Providentia divina Intellectum Practicum non solum hominibus indidit, ad apprehensionem & cognitionem legum naturalium, rerumq; practicarum, nec non ad debitam de iisdem ratiocinationem; ita quoque aliter colligi nequit, quàm quod actus illi judiciales ab Intellectu Providentiæ divinæ consilio & decreto expediantur, quibus actiones vitæ nostræ explorantur, examinantur & dijudicantur. Ut adeò nihil sit aliud Conscientia, quàm Providentiæ divinæ radius, quo bonorum mentes illuminantur, excitantur, recreantur; quemadmodum solari lumine aliæ res creatæ foventur, aluntur, lætæq; redduntur. At in improbos alia qualitate & effectu agit idem ille radius, ut illos urat, torreat, torqueat, ut animus varia perturbatione æstuans nullam tranquillitatem, nullumq; solatium aut levamen inveniat, sed pavores, terrores, cruciatusq; sentiat. Est enim diversus Providentiæ divinæ effectus, pro diversa conditione objecti, ut boni bonitatis divinæ, mali vero (qui ideo Apostolo *αὐτοκατάκριτοι* dicuntur) ultricis justitiæ divinæ flammam vimq; sentiant. *Ita Natura plerumq; ipsa armatur adversus naturæ violatores. Plato 4. de legg.*

XCV. Hujus monitoris, testis atque judicis nutus dictatusq; boni ceu Providentiæ divinæ decreta reverentur, fugientes mala, & ex actionibus legibus naturalibus conformatis solatium gaudiumq; percipiunt. Mali vero illius sensu expavescunt, atque exhorrescunt, *συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων*, convicti testimonio conscientiæ, accusati damnatiq; Intellectus practici ratiocinationibus: uti lo-

 quitur

quitur Apostolus *cap. 2. ep. ad Rom.* Ubi obiter notetur, vocem λογισμῶν ibi non denotare simplices *cogitationes*, uti vulgò accipi solet. *Animus impurus diis hominibusq; infestus, neque vigiliis neque quietibus sedari potest; ita Conscientia mentem excitam vastat. Sallustius de bell. Catil.* Cumprimis hæc Conscientiæ dira vis illos vexat, qui potentia ad injurias impotenter abusi sunt. Exemplo sit Tiberius, de quo ita Tacitus *lib. 6. Annal. Insigne visum est earum Cæsaris literarum initium. Nam his verbis exorsus est. Quid scribam vobis P.C. aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore, Dii me Deaq; pejus perdant, quàm quotidie perire sentio, si scio. Adeo facinora atq; flagitia sua ipsi quoq; in supplicium verterunt. Neq; frustra præstantissimus sapientiæ firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse adspici laniatus & ictus: quando ut corpora verberibus; ita sævitia, libidine, malis consultis, animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris suasq; ipse pœnas fateretur.* Nero quoque, alteri isti desperata improbitate nihil concedens, imò vincere illum studens, occisa matre Agrippina per Anicetum, nec sceleris conscientiam (quanquam & militum & senatus populiq; gratulationibus confirmaretur) aut statim, aut unquam postea ferre potuit: sæpe confessus, exagitari se materna specie, verberibus furiarum, ac tædis ardentibus. *Xiphilin. ex Dio. Cass. in vit. Neron. sub fin. lib. 61.* Cur Carolo IX Galliæ Regi nocturni horrores plerumque somnum interrupere, eiq; conciliando Symphoniaci pueri adhibiti fuerunt? Hoc ferali lanienæ Parisiensi, & malæ hinc conscientiæ contractæ acceptum fert Historicorum hujus ævi princeps Thuanus *lib. 57. p. m. 67.* Ni-

97. Nihil est igitur *miserius, quàm animus hominis malè conscius.* Neque fallax hoc est κριτήριον, etsi quandoque effectus suos suspendat, & tanquam flammula sub cineribus latens forte seriùs vim suam explicet. Quis enim unquam malæ conscientiæ pavoribus fuit exterritus, nisi qui gravium scelerũ reatu se teneri crediderit? Quod si exempla objeceris hominum non omnino improborum, quorum tamen conscientia misere fuerit excruciata; primùm quidem responderi poterit, humanitatis quidem esse, ut quàm optimè de quibuslibet sentiamus, cum tamen certum sit, sæpe latentium peccatorum conscientia nonnullos exagitari, qui cæteroquin boni aliis videantur, & quos suorum facinorum graviter pœnitet. Imò licet revera sint boni, qui ita vexantur, fit tamen id saltem propter opinionem mali à se perpetrati. E contrario bona Conscientia suavissimum perhibet testimonium, ut, qui eam habet, Numen quoque se sentiat habere propitium; adeoq; nihil sit, quod metuat, sed securitate ac tranquillitate animæ perfruiscens lætetur & triumphet, planè ut, licet fractus illabatur orbis, impavidum feriant ruinæ.

XCVI. Quæ cum ita sint, quatuor Pœnarum gradus nonnulli constituunt: quorum primus est in ipso Vitio & Peccato. *Prima illa & maxima peccantium est pœna, peccasse: nec ullum scelus impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est; nullum enim detrimentum majus excogitari potest, quam quod omnino infertur à vitio. Sen. ep. 93.* Alter Pœnæ gradus ponitur in Conscientia, de cujus vi diximus: quò refero illa Socratis apud Xenophontem *lib. 4. memorab. Leges ipsas delinquentium pœnas continere, id vero mihi cujusdam esse præstantioris legislatoris videtur, quàm*

ut in hominem cadat. Hæc enim in animis hominum vis divina se exserens communem aliquam causam arguit, quæ non potest alia esse, quam communis lex seu jus omnium hominum. Tertius Pœnæ gradus consistit in Metu pœnæ: de quo iterum bene Seneca *ep. 98. Multos fortuna liberat pœna, metu neminem.* Et post Euripidem rectè dixit Plato, *Timorem adsiduè angere animum viri improbi.* Quartus Pœnarum gradus in Suppliciis collocatur, facinorosis irrogari solitis, cum dolore & plerumque etiam cùm infamia conjunctis. *Fr. Piccol. grad. 9. Phil. mor. cap. 53.* Neque, ut paulò antè fuit monitum, ideo quisquam Conscientiæ κριτήριον dubium aut fallax esse reputet, quod injustissimi quidam homines & fœdissimis vitiis contaminati vel nullam sentiant Conscientiæ pœnam; vel non nisi admodum serò. Hoc enim est scrutari arcana Dei consilia & decreta, & rationis decempeda sapientiam & justitiam ejus impiè velle metiri. Admirari vel potius venerari Dei decreta, non protervè rimari addecet. Quàm enim in irrogandis pœnis sit admirabilis DEus, etiam gentiles agnoverunt, ut eo nomine Pindarus eum appellarit Aristotechnam. Et licet DEus interdum lentè ad vindictam procedat: unde laneos habere pedes Dii veteri adagio dicebantur; hoc immensæ ejus bonitati acceptum ferendum est, qui spatium resipiscendi indulget, aut singulari ejus & abstrusæ sapientiæ tribuendum est, quando tarditatem supplicii gravitate compensat. Certum interim est illud Poëtæ;

Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Nec minùs certum est, omne peccatum mereri pœnam, etsi

etsi exsecutio ejus nonnunquam differatur à Deo non solùm in annos, sed & post vitam, cum propter animæ immortalitatem non sit speranda omnino impunitas. Vide differentem *Cæl. Rhodig. lib. 6. lect. antiq. cap. 14: Quæ sit ratio tarditatis supplicii ex divina providentia.* Cum igitur Conscientia tam indubitatum sit κριτήριον promulgati & fortè violati Juris Naturalis, Nicolaus Hemmingius talem construxit definitionem: *Lex Naturæ est divinitus impressa mentibus hominum notitia certa principiorum cognitionis & actionis, atque conclusionum ex istis principiis demonstratarum, proprio fini hominis congruentium, quas ex principiis necessaria consequentia ad humanæ vitæ gubernationem exstruit ratio, ut homo ea, quæ recta sunt, cognoscat, velit, eligat, agat: vitetq; contraria: quorum omnium & testis & judex Conscientia hominibus divinitus est attributa. Add. Guil. Grot. d. l. cap. 1. n. 9. & cap. 4. n. 3. seqq.* ubi & ipse eadem Juris Naturalis κριτήρια adgnoscit, quamvis singula non æquè perspicuè explicat.

XCVII. Promulgationem legum naturalium non uno modo nec ordine fieri dixi, ejusq; rei causas ostendi, quod non in omnibus eadem sit naturæ inclinatio & dispositio, neque eadem adhibeatur animi cultura atque institutio, ut nec eadem morum adsuefactio. Quatenus vero hæc Promulgatio per Doctrinam perficitur vel adjuvatur, fit illud duplici modo: vel officio Prudentiæ, vel Scientiæ. Illa sua dictata suggerit, prout in vita humana aliæ atque aliæ leges naturales subinde actionibus humanis sunt exprimendæ, atque hæ istis conformandæ. Hæc vero certa methodo, principiisq; utitur, ex quibus, ceu genuinis caussis, demonstrationes practicas colligit.

Nam

Nam qui rectè velit docere, causas suæ doctrinæ debet proponere, & ex genuinis ac domesticis principiis demonstrationes arcessere. *Omnis enim doctrina & omnis disciplina ratiocinativa fit ex antecedente cognitione. 1. post analyt. cap. 1.* Et Scire est rem per causam cognoscere, & quod illa sit conclusionis causa, neque aliter ea se habere possit. *2. poster. analyt. 2.* Cumq; Scire sit per demonstrationem quid cognoscere, hujusmodi singulares aut particulares scientiæ practicæ sunt plurimæ, ex quibus unum quoddam systema integramq; disciplinam multi concinnare instituerunt, alii aliis feliciùs, methodo autem tam varia usi, ut potiùs conjecturas & sæpe vanas opiniones pro vera scientia practica venditaverint. Rectè autem monet Aristoteles, nihil vetare, quò minùs quis rem demonstratam partim discat, partim ignoret. *1. post. anal. cap. 1. in f.* Neq; enim quilibet demonstrationis vim, & necessitatem conclusionis ex principiis arcessitæ omnino pervidet, adeoq; non omnino veritatem demonstrationis adsequitur, neq; ei ἀμετακινήτως adsentitur. Quod si vero temere adsentiatur veræ licet demonstrationi, ut tamen non perspiciat causam demonstrationis, quod propter illam res ita se habeat, neque aliter habere posfit, ille sibi comparat scientiam κτ' συμβεβηκὸς, *per accidens,* uti scitè loquitur Philosophus *2. post. 2. pr.* Si igitur non est cujusvis, ut vim demonstrationis penetret, neque etiam debita docendi methodus in tradenda Juris Naturalis scientia fuit adhibita; nemini non liquet, cur quidam partim sciant, partim ignorent jura naturæ, aut eorum scientiam ex eventu habeant.

XCVIII. Videbimus igitur deinceps, quo ordine non-

nonnulli in Juris Naturalis disciplina tradenda fuerint usi, ut tamen nec nostram sententiam simus dissimulaturi. JCti præ cæteris commendant hæc Juris præcepta: *Honestè vivere, Alterum non lædere, Suum cuique tribuere. l. 10. §. 1. & §.3. Inst. de Just. & Jur.* Sed si verum amamus, quælibet Lex est præceptum Juris. Quælibet enim lex certam juris formulam dictitat, juxta quam actiones humanæ sint componendæ. Quod nec JCti in dubium vocabunt. Cur vero Ulpianus horum præcipuè mentionem faciat, varias ineunt rationes interpretes, ex quibus quam sibi JCtus proposuerit, cum hæc scripsit, vix hariolus conjectabit. Mihi commodissima ratio hæc visa fuit, quam etiam Feldio probatam fuisse pòst deprehendi: ut primo illo præcepto, *Honestè vivere*, comprehendere voluerit omne officium, quod Justitia Universalis exigit: altero officium Justitiæ Particularis *συναλλακτικῆς*, ut nemo lædatur sive in synallagmate spontaneo, sive invito: Tertio officium Justitiæ Distributivæ. Huic vero enarrationi quid desit, ex nostra sententia deinceps proposita perspici poterit. *Guil. Grot. de prin. Jur. nat. cap.9.* ubi ille hæc tria præcepta latiùs examinat. Notum est, ex quibus laciniis Pandectarum opus sit consarcinatum, ut illius particulæ ex Ulpiano decerptæ non possit exigi aliqua methodica ratio. Imò JCti veteres etsi tantum non ubique admirabilis sui ingenii exempla exhibeant, in conclusionibus Juris Naturalis felicissimè derivatis: fontes tamen & principia earum quod attinet, veluti Arethusæ aquæ magnam partem ea videntur delituisse.

XCIX. Tria alia summa Juris Naturalis capita commendavit J. C. Scaliger *in præf. lib. 1. Epidorp.*

Natura tribus legibus agitantia vitam,
Nutu rationis, luce calitus parata,
Vult fulta: quasi has dedit esse commeatum.
Numen cole summum. Tibi prima, ultima meta hac.
Ne prodige te, nec tua prodige negligendo.
Nę cui facias, qua tibi facta non placerent.
Istis tribus omnis capitur beatitudo.
Quam qui nihili fecerit, exibit inanis.

Hæc quamvis satis latè pateant, multisq; actionibus applicari queant, sunt tamen longè plures vivendi regulæ à Natura proditæ, quas distinctè cognoscere interest; has vero si ad universaliora quædam principia revocare lubeat, alia via incedendum esse, ex sequentibus parebit.

C. Cum vero præ aliis JCti & Theologi quidam Angli in digerendis Legibus Naturalibus se exercuerint, illos adibimus. Primum inter eos locum meretur Joannes Seldenus. Is explicaturus Jura Naturæ, septem illa exhibet præceptis: quorum Primum agit de cultu Dei extraneo: alterum de Maledictione nominis divini seu Blasphemia: Tertium de effusione sanguinis seu Homicidio: Quartum de turpitudine ex illicito concubitu: Quintum de furto ac rapina; Sextum de Judicis regimine forensi, & obedientia civili: Septimum de membro animalis viventis non comedendo. Sed & in hoc ordine & numero multa desiderari possunt, quæ tamen Seldeno imputanda non sunt, ut qui non ex suo judicio, sed juxta disciplinam JCtorum Hebræorum hunc ordinem numerumq; definivit, neque adeò absolutè Jus Naturæ, sed determinatè juxta disciplinam Hebræorum tradidit: qui Jus Naturæ appellant Jus Noachidarum, atque illa septem præ-

præcepta posteris Noachi, hoc est, generi humano, tanquàm illustriora data esse existimant. Inter quæ uti non desunt, quæ Juri Arbitrario rectiùs accenseas, ita multa eaq; gravissima Juris verè Naturalis præcepta reliquis addi ab Ebræis debuerunt. *Guil. Grot. de prin. Jur. nat. cap. 3. n. 10. & 17. Osiand. typ. leg. nat. th. 46. & 47.*

CI. Seldeni dum memini, simul Illustrissimi Domini Joannis Christiani, Liberi Baronis de Boineburg, recordor. Is, qua erat erga omnis generis studia singulari propensione, solebat viris doctis identidem eximia suggerere argumenta, in quibus ingenia sua exercerent. Itaque cum pro sua insigni humanitate variis aliis de rebus ad me scriberet, tum etiam mihi aliquoties significavit, se desiderare, qui ad imitationem Seldeni de Jure Naturæ juxta disciplinam Christianorum commentaretur. Exstat erudita Differtatio, præmissa Ethicis Jo. Cirelli, qui est Crellius ille Socinianus, qua Virtutis Ethnicorum, Hebræorum & Christianorum differentia proponitur, multisq; argumentis ostenditur, tam superari Hebræorum virtutes à Christianis, quam illæ Gentilium Virtutes superant. Credo autem Mæcenatis quondam nostri desiderium hujus discriminis demonstratione non potuisse expleri, sed inprimis hoc illum voluisse, ut ex optimorum Theologorum, & inprimis Ecclesiæ Patrum, scriptis ostenderetur, quid ipsi crediderint Juris esse Naturalis: quibus argumentis quæque capita adstruxerint & illustraverint: quomodo illa disciplinæ Christianæ vel consentire, vel hanc Jure Naturali præstare & præ illo multa eximia habere existimaverint. Cum itaque hoc argumentum nemo feliciter tentare, nedum perficere tantum opus possit,

nisi qui & Naturalis & Revelatæ religionis Christianæ exactam cognitionem sibi comparaverit, Theologis sanè hoc relinquendum est. Et quia imprimis in disciplina Christiana tantopere commendatur & Lex Charitatis & Lex Patientiæ, notumq; sit, cum ab aliis tum à Grotio his multos singulares effectus tribui solere, hortatus sum, imò rogavi nonnullos, ut his Legibus explicandis aliquam operam navarent: docerentq;, quatenus illæ cum Jure Naturæ convenirent, aut ipsi præcellerent. Sed quod hactenus obtinere non potui, denuo illis etiam atque etiam commendo, atque hoc cum Autore laudatæ Dissertationis voto utor: *Utinam tot Quæstiones subtiliores Theologorum acerrimis ingeniis disputatas, diffinderent sæpius optima diludia in moralibus disquisitionibus? Utinam per Officiorum Christianorum attentiorum considerationem emolliantur tot polemica scripta! ultro citroq; commissa tam impotenter, ut styli mucrones in gladios porrecti fuerint; sæpissime vero calami vocesq; si non sanguine maduere, livido tamen felle ac nigro loliginis succo tinctæ fuerint. Sic Fides ad conscientiam rectam tanquam ad metam directa secundum præscriptum Apostolicum, speculationes actionesq; redderet accuratas magis quàm curiosas.* Quod igitur Mæcenati Germaniæ, cum viveret, studium præstare non potui, illud saltem aliis me post ejus obitum sedulo ac publicè commendasse tumulo ejus inscribo,

—— —— *ubi mollis amaracus illum*
Floribus, & dulci adspirans complectitur umbra.

CII. Secundum locum teneat Robertus Sharrock, qui scripsit Hypothesin de Officiis secundum Jus Naturæ. Illius Hypotheseos hanc facit synopsin. Finem Hominis esse

esse docet, ut sine conscientiæ stimulis in animi tranquillitate & gaudio versetur. Media ad hunc finem obtinendum esse ait, si Naturæ leges & placita studiosè observentur, quæ jubent, Ut nemo alterum innocentem lædat, Ut quisque fidem servet, Ut bene de se merenti par retribuat, Ut sibi ipsi, Ut proli, Ut consanguineis benefaciat; quorum primum ipsi φιλαυτίας nomine venit: Ut sanguine disjunctis prosit. Neque dictas tolli existimat obligationes: nisi aut 1. solverit debitum; Aut 2. impossibilitas solvendi emerserit, Aut 3. remiserint eam personæ, quarum intererat obligationem fuisse præstitam. Denique si Homo peccaverit, vult illum studere, quò 1. Damnum à non præstita obligatione natum reparet, 2. Ut Numen offensum placet. Præterquam vero, quod in his non deprehendatur summum Obligationis Fidei, Juriumq; principium; neque hæc speciatim recensita capita Juris Naturalis disciplinam exhauriunt, neque diversa satis distinctè proponuntur, neque denique apparet, quomodo ex sola Juris Naturalis disciplina Numen offensum omnino sit placandum, quamvis inde quidem constet, offensum illud placandum esse.

CIII. Tertium locum occupet Edoardus Baro Herbert de Cherbury & Castri insulæ de Kerry, Regni Anglicani Par, qui Religionis Naturalis communes notitias ad quinque hæc capita redigit: 1. Esse aliquod supremum Numen, 2. Illud esse colendum, 3. Virtutem & pietatem esse præcipuas partes cultus divini, 4. Resipiscendum esse à peccatis, atque illa qualiacunque per Pœnitentiam expiari debere, 5. Præmium pœnamq; post hanc vitam dari. Cum vero hic Autor id cumprimis agat illo suo

librò *De veritate, prout distinguitur à Revelatione, Verosimili, Possibili & Falso*, cui alium attexuit *de Causis errorum & Religione Gentilium*, ut omnem autoritatem & fidem Revelationi subducat, non est quod ei multum tribuamus, cui consilium est, rejecta omni revelatione, Atheismum stabilire, etiamsi Juris Naturalis præcipua capita videatur venerari. Neque enim illum hoc seriò agere existimandum est, ut Religionem Naturalem ex Jure Naturæ descendentem confirmet, sed ut his cuniculis actis malitiam suam tegat, & sub specie defensæ religionis naturalis revelatam religionem labefactet atque opprimat. Neque enim ignorare ille potuit, nimis imperfectam esse religionem naturalem, ut per eam quis salutem adipiscatur: deinde quod illa religio in plures diffundatur leges, æquè necessarias scitu, & non minùs, atque istas à Natura promulgatas. Et quomodo item ille probabit, quomodo Jure Naturæ sit placandum Numen offensum, an sola pœnitentia, & quali illa, præsertim si quis in eadem peccata sæpius fuerit relapsus? *Videsis Osiandr. de Typo leg. Nat. th. 61.* Et inprimis eruditam *Disp. Dn. D. Cristoph. Franckii*, Collegæ & Amici nostri conjunctissimi *de Religione Naturali*, qua sibi etiam illum Herbertum refutandum delegit.

CIV. Huic succedat Richardus Cumberland Theologus, cujus Disquisitio Philosophica de Legibus Naturæ Anno 1672 Londini typis exscripta est. Ille ita docet, *Benevolentiam latissimè diffusam esse, officiorum nostrorum principium, mensuram, regulam, unicamq; legem: quin etiam eandem actionum nostrarum finem, amplissimum quod expetimus præmium, summum denique hominis bonum.* Hæc officia benevolentiæ præstanda esse ait in toto *Systemate Rationali*, cujus

cujus partes facit Deum & Homines. Cumq; hanc tractationem comparationibus subinde à Mathesi desumptis illustrare destinasset, summulam tum præceptorum omnium Legis Naturalis, tum sanctionum eis annexarum (Sanctionum voce tam Præmia quam Pœnas complectitur) in summo illo principio, ejusq; consectario de oppositis contineri sic breviter ostendit. Subjectum illius est studium, pro viribus nostris, Communis Boni totius Systematis Rationalium. In hoc autem exprimitur Amor erga Deum & Homines universos, qui scilicet sunt partes hujus systematis. Deus quidem est pars præcipua: Homines sunt partes ei subordinatæ: erga utrosque Benevolentia Pietatem & Humanitatem complectitur, hoc est, utramque Legis Naturæ tabulam. Prædicatum vero illius propositionis est conducens ad bonum singularum ejus partium, quo nostra, velut partis unius, felicitas continetur: quæ obsequii præmium est summum, uti miseria ex oppositis actibus consequens pœna est summa nequitiæ. Nexus vero prædicati cum subjecto naturalis & fundamentum est Veritas propositionis, & indicium naturalis nexus inter obsequium & præmia, nec non inter transgressionem & pœnas. Si igitur, inquit, concedatur, manifestam esse necessitatem, si beati esse volumus, amicitiam cum Deo Hominibusq; colendi, statim agnoscitur Sanctio Legis illius Naturalis generalissimæ, purà, quàm de Benevolentia proposuit. Ea enim unica & Religionem totam naturalem, & omnia ad humani generis felicitatem necessaria stabilit: Ea vero sunt præter Pietatem, 1. pacifica inter Gentes diversas commercia, quò spectant Jura Gentium omnium: 2. Societatis

tatis civilis constitutio, aut conservatio, quò collimant Leges Civiles: 3. Domesticæ necessitudinis & amicitiæ omnis firmitas, de quibus tum generales regulæ, quæ Gentium pacem firmant, tum speciales œconomicæ præcipiunt. His positis Lectorem rogat, ut ea non separatim tantùm sed conjunctim consideret, ut ex omnibus conjunctis unum exsurgat argumentum, sanctionem Legis Generalissimæ inde evincens, quod homines necessariò excident summa sua felicitate, quæ in actione seu usu facultatum suarum proprio & adæquato consistit, nisi eas exerceant in colenda cum Deo Hominibusq; amicitia, ad quem effectum præ cœteris omnibus à natura adoptantur, quod quidem Legis transgressoribus excusationem nullam relinquit. Quapropter cum certo præsciri possint hi effectus ex hoc studio secuturi, neminem latere posse ait, in iis contineri Religionis solamina gaudiaq; præsentia, cum beatæ immortalitatis spe ubique terrarum conjuncta, multaq; insuper pacati cum exteris commercii commoda, omniaq; Regiminis Civilis & Domestici, nec non Amicitiæ emolumenta huic studio velut præmia annecti, eaq; non alia ratione, quæ in nostra sit potestate, adquiri posse, ipsumq; adeò qui Boni Communis curam rejicit, eatenus rejicere has suæ felicitatis causas, & miseriæ seu pœnæ imminentis causas amplecti. Hoc studium Communis Boni prudentibus suppeditare regulam inquit, cujus ope actibus suis & adfectibus certum statuat modum, in quo Virtus consistit. Hoc opus prudentis quidem judicio demandasse Aristotelem in definitione Virtutis, verum judicii ab eo ferendi normam non indicasse: suam vero propositionem normam sumendam esse docere à natu-

natura finis optimi maximiq; habito scilicet respectu ad omnes partes totius Systematis Rationalium, seu Civitatis illius, cujus Caput est Deus, membra omnes Deo subditi. Ab hoc fonte derivandum esse monet ordinem illum inter Leges Naturæ speciales, secundum quem prior posteriorem quodammodo limitat, quod posteriores prioribus, & speciales omnes Generali subordinentur, ut tamen certum sit, de illarum nulla unquam à Deo dispensatum esse, sed in iis casibus, in quibus posterioris obligatio tolli videatur, materiam ita mutari, ut priori tantùm Legi observandæ locus sit. Pauca ex multis attuli, ipsius Autoris verbis ex Prolegomenis huc adductis. Ipsum Opus in sequentia capita partitus, primò *de Natura Rerum*. II. *de Natura Humana & Recta Ratione*, III. *de Bono Naturali*, IV. *de Dictaminibus Practicis*, V. *de Lege Naturæ ejusq; Obligatione*, VI. *de iis, quæ in Lege Naturæ generali continentur*, VII. *de origine Dominii & Virtutum Moralium*, VIII. *de Virtutibus Moralibus sigillatim*, IX. *de Consectariis* agit. Est certè Liber ille lectu dignissimus, cujus dogmata pleraque veritati, & quoque fini à Natura homini proposito sunt consentanea. Cum autem præcipuum ejus fuerit consilium, ut Hobbesianam Philosophiam Moralem & Civilem everteret, Legem illam Naturalem generalissimam Statui lupino naturali Hobbesiano maximè adversam opposuit, indeq; suas demonstrationes petiit: in quo tractatu nihil ferè desidero, nisi concinniorem methodum, & perspicuitatem. Quæ si adhibitæ fuissent, tantùm non ubique nobis consentientem eum deprehendere liceret. Ita scilicet fit, ut diversis sæpe viis ad eundem finem iter instituatur.

CV. Postremum locum dabimus Thomæ Hobbes; occupat enim extremum scabies. Ille cum perperam Jus Naturæ definivisset, quod sit *dictamen rationis circa ea, quæ agenda vel omittenda sunt ad vitæ membrorumq́; conservationem, quantum fieri potest, diuturnam*; post hoc ordine Leges Naturales proponit *cap. 2. & 3. de Cive*. Prima, inquit, & fundamentalis lex naturæ est, quærendam esse pacem ubi haberi potest; ubi non potest, quærenda esse belli auxilia. Mox addit: Legum naturalium à fundamentali illa derivatarum unam esse, jus omnium in omnia retinendum non esse, sed jura quædam transferenda, vel relinquenda esse. II. Pactis standum esse. III. Est de vitanda Ingratitudine, Nec eum, qui fiducia tui tibi prior benefecerit, eam ob rem deteriore conditione esse patiaris: sive ne accipiat quisquam beneficium, nisi animo nitendi ne dantem dati meritò pœniteat. IV. Ut quisque se præstet commodum cæteris. V. de Misericordia, Oportere alterum alteri, sumpta cautione futuri temporis, præteriti veniam petenti & pœnitenti concedere. VI. In ultione seu pœnis spectandum esse, non malum præteritum, sed bonum futurum. VII. Ne quis vel factis, vel verbis, vel cultu, vel risu, alteri ostendat, se illum vel odisse, vel contemnere. VIII. Vetat superbiam, Ut unusquisque natura unicuique æqualis habeatur. IX. Ut quæcunque jura unusquisque sibimet ipsi postulat, eadem etiam unicuique concedat cæterorum. X. Ut unusquisque in jure aliis distribuendo, utrique parti æqualem se præbeat. XI. Quæ dividi non possunt, communiter (si fieri potest) utenda esse, idq́; (si quantitas rei permittat) quantum quisque velit. Sin quantitas rei non permittat, tum præfinito, & proportionate ad nume-

numerum utentium. XII. de sorte dividendis. XIII. de Occupatione & Primogenitura. XIV. Pacis mediatoribus præstandam esse incolumitatem. XV. de constituendo Arbitro. XVI. Neminem debere esse arbitrum vel judicem suæ causæ. XVII. Neminem arbitrum esse oportere, cui commodi vel gloriæ spes aliqua apparet major ex victoria unius partis, quàm alterius. XVIII. de Testibus. XIX. Nullum pactum vel promissum intercedere, inter ipsum & partes, quarum arbiter constitutus est, cujus vi teneatur in gratiam alterius partis pronuntiare: neque cujus vi teneatur ad id pronuntiandum, quod æquum est, vel æquum esse censeat. XX. Est contra crapulam, eaq; quæ rationis usum impediunt.

CVI. Plurima in his aliisq; desiderari possent, ex quibus tantùm pauca delibabimꝰ. Primo ille præsupponit Statum aliquem Naturæ, in quo unicuique jus sit datum in omnia, hoc est, ut absque pacto cuique liceat facere quæcunque, & in quoscunque. *cap. 1. n. 10. In statu merè naturali, si occidere cupis, jus habes ex ipso statu*; ait *cap. 2. n. 18.* Fingit ille homo statum Naturæ qui à Natura damnatur, &, qui non Naturæ, sed Diaboli status est. De Jure Naturæ enim qui velit rectè docere, necessum est, primò omnium advertat, quis sit illius autor: deinde hoc cognito, necessum est talis præsupponatur status, ejusq; talis finis, cui talia jura à tali autore lata sint accommodata. Itaque cum à Providentia divina Jus Naturæ sit profectum, illud naturæ humanæ rationali, sociali, tranquillitatisq; cupidæ est accommodatum; non autem naturæ corruptæ, vitiosæ, malitiosæ, cujus instinctu homo homini sit lupus.

CVII. Quid vero illum impulit talem Statum fingere? Primò quidem, quod in Statu naturæ mensuram juris naturalis Utilitatem fecerit. Deinde quod primam legem hanc Homini datam esse putet, ut cumprimis quærat conservationem sui. Denique quod quis fecerit in statu merè naturali, id injurium esse homini quidem nulli. Primum indubiè falsum est. Nam licet à Jure Naturæ Utilitas non absit, sed maxima illud sequatur; non tamen hæc ejus est mensura, sed ut Voluntati divinæ conformetur voluntas hominum, id quod fit, si legibus naturæ ab æterno & intrinsecus bonis obtemperent. Principaliter igitur Utilitas est mensura Juris Arbitrarii, Naturalis Honestas. Alterum quod attinet, est quidem homini conservatio sui commendata à Natura, sed ut id fiat citra injuriam alterius. Si enim velis conservationem sui primam in hoc statu lupino facere regulam, & simul profiteri Hominem non esse animal sociale, neque injuriam in hominem committi in hoc statu, quæ omnia ita cumulat hic αὐτοκατάκριτος scriptor, cœlum gehennæ miscebitur, & teterrimis flagitiis fenestra aperietur. Nam, inquit, injustitia erga homines supponit leges humanas, quales in statu naturali nullæ sunt. Docet ille homo, esse quidem leges naturales, ut tamen ex illarum læsione nulla in homines redundet injuria; hanc enim tantùm existere ex illarum legum læsione, quas ipsi homines inter se condiderint. Plurimas vero leges naturales DEus condidit immediatè hominum bono inservientes, sic ut officia hinc debita ab homine homini sint præstanda. Hæc igitur si tu neglexeris, aut contraria feceris, Deum certè offendis, harum legum autorem, ut tamen etiam

etiam homini damnum aut injuria inferatur, quatenus illi non præstatur id, quod ex lege naturali ipsi præstandum erat.

CVIII. Cum igitur falsissimis hypothesibus Hobbesiana somnia sint subnixa, explosa dudum & solidè refutata ab ipsius cumprimis civibus, non merentur reliqua illius placita operosam disputationem, sed potius istiusmodi fanatica dogmata ex numero philosophicorum scriptorum, imò toto orbe saltem Christiano sunt proscribēda. Cur vero illas suas leges naturales eo ordine aptaverit, hinc colligere licet. *Præcepta,* inquit, *hoc loco ea tantùm tradidi, quæ pertinent ad conservationem nostram, contra pericula quæ à discordia oriuntur.* Unde vero uberior discordiæ seges, & plura gravioraq; pericula emergere poterunt, quam si talem Naturæ statum comminiscaris, ubi omnibus in omnia & omnes jus sit datum? Nonne hoc posito lex ejus fundamentalis evertetur, Pacem diligentissime esse quærendam, & dissidiis bellisq; frequentissima imò perpetua occasio præbebitur? Cumq; omnis mali, quod in ipsius commentitio statu naturali cernitur, remedium velit esse in pactis, ut his belluina licentia refrenetur, à statu isto naturali omnem removet justitiam, qua verus status naturæ maximè est munitus; quanquam etiam Pactorum vim enervat, ceu mox audiemus. Pleraque ex reliquis præceptis cum item sint comparata ad corrigendum illum statum efferatæ licentiæ, bono fine ac fundamento destituuntur, quæ extra tale propositum alioqui pro genuinis naturæ legibus reputanda sunt, ut tamen hæc sola minimè Jus Naturæ omne exhauriant, imò multa ejus capita istis enumeratis longè præstantiora magisq;

 neces-

necessaria sint. Ut verò sorte fiat divisio, neque jubet neque vetat Naturæ jus, sed arbitrio hominum relinquit. Primogenituræ jus etsi fortè non repugnet Juri Naturali, non tamen inde, sed à placito hominum obligationem accepit. Arbitri officium etsi in variis negotiis possit esse occupatum, illud tamen una Justitiæ regula, suum cuiq; tribuendum, est definitum.

CIX. Nunquam, fateor, incidi in ullum Scriptorem, qui absurdiora ac tetriora placita orbi exposuerit: ut sanè sæpius miratus fuerim, quomodo ullius viri docti boniq; suffragium mereri potuerit. Qui enim doctrina vel leviter tinctus, & non omnino hospes fuerit in Philosophia practica, (de hac enim sola nobis jam sermo est) facilè deprehendit, quantopere ille impostor suo ingenio ad adstruendum atheismum, tyrannidem, omneq; improbitatis genus abusus sit. Idem si bonus fuerit, (conjungi enim cum doctrina bonitatem cupimus) non poterit non impia hæc & insulsa dogmata detestari, maloq; genio adscribere. Vel ergo utroque, vel saltem alterutro si quis sit destitutus, & fortè temeraria novitatis cujuscunq; cupiditate insuper accensus, has divinæ vindictæ primitias sentit, ut pestilentissimis etiam mendaciis facilis tribuatur adsensus, atque etiam per talia exempla verbi divini autoritas stabiliatur. Ita enim inquit Apostolus 2. *Thess.* 2. *v.* 11. & 12. *διὰ τοῦτο πέμψει αὐτοῖς ὁ θεὸς ἐνέργειαν πλάνης, εἰς τὸ πιστεῦσαι αὐτοὺς τῷ ψεύδει. ἵνα κριθῶσι πάντες οἱ μὴ πιστεύσαντες τῇ ἀληθείᾳ, ἀλλ' εὐδοκήσαντες ἐν τῇ ἀδικίᾳ. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio. Ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt injustitiæ.* Add. ibi annotatio Bezæ. Cum igitur hæc nova philosophia Hobbesia-

besiana in Gallia, Belgio, imò & in Germania à nonnullis avidè fuisset excepta; Veritatis, Pietatis ac Justitiæ studio excitati præter alios inprimis fuere in ipsa Anglia multi Viri docti boniq;, qui larva huic philosophiæ detracta monstrosam ejus deformitatem detexerunt, ne quid vel Respublica vel morum probitas hinc detrimenti caperet. Ex his nonnulli omnem philosophiam Hobbesianam, alii tantùm civilem & moralem destruxerunt. Inter istos referendus est Sethus Wardus, in Academia Oxoniensi Astronomiæ Professor, qui hæc duo Hobbesianæ philosophiæ practicæ fundamenta esse dicit, eaq; convellit: *Alterum est, esse vel fuisse quendam hominum statum, quem vocat Naturalem, ubi sine lege aliqua soluti vagabantur. Alterum est, pactis eos in societatem & Regnum coiisse, Regnum sive imperium absolutum, quod nullam iis omnino relinquat libertatem.* Posterius si quis fortè in dubium vocet, (prius enim nimis manifestè nimisq; frequenter inculcat) ac si alibi aliter hac de re loquatur, is velim probè attendat, Hobbium *doctrina sua infami sæpe nebulam offundere, &, ut contradictionibus, sine quibus vivere non posse videtur* (verba sunt Sethi Wardi) se expediat, quidvis quocunque modo moliri.

CX. Cumberlandius vero paulò antè laudatus, ut Jus Naturæ cumprimis adsereret, calamum strinxit in *Hobbii malè moratam philosophiam, in qua omnis impietatis, injustitiæ, nequitiæ, discordiæ denique jacta sunt fundamenta:* Quibus instituuntur ejus sectatores in *Atheismi mysteriis:* Quod S. Scriptura ille hypocrita fuerit abusus, *cujus autoritate animitus moveri nequiverit, quippe quam à voluntate singularum Civitatum totam derivari statuerit, adeoq; earum*

arbi-

arbitrio esse mutabilem: hic validam, alibi nullam esse docuerit: Quod sua doctrina *sibimet adeò repugnet, ut in Atheismum ruat, & neget Leges ullas Divinas vel à Natura disci posse, vel è Sacris Scripturis, nisi Revelatio cuique particulariter detur, quia Scriptores sacri fuerint Prophetæ:* Quod *Leges Civiles sint unica regula discernendi inter Bonum & Malum*: Quod *sibi apertè contradicat, dum Jura Naturæ valida esse contendit quod ad actus externos; Leges autem Naturæ eo in statu ad actus externos non obligare.* Præterea ostendit, Hobbii doctrinam esse talem, *Ut jus det unicuique committendi crimen læsæ Majestatis: Tolli per illam omnem obligationem, omnemq; adeò usum fœderum: Tolli Legatorum & Commerciorum omnium securitatem: Imperiorum omnium fundamenta subrui: Principum naturam illum depingere naturâ ferarum ferociorem & crudeliorem: Doctrinam ejus de jure omnium ad omnia non pati, ut quisquam societatem civilem inire possit: ejus sententiam cives armare ad rebellionem: Hobbianam doctrinam de Pactis, & Juramentis Imperiis summis perniciosam esse: Hobbium omnia Principibus adimere, quæ adulationis causâ videri vult illis tribuere ultra alios philosophos; imò pessimorum flagitiorum illos incusare, dum nullis legibus eos adstrictos esse contendit: Omnem Principibus sapientiæ & justitiæ laudem adimere: quæ Hobbius iis tribuit, ab ipsis Principibus rejici, & ab ipso Hobbio iisdem denegari: Imperantes pactis non obligari, ideoq; nullam suis subditis, imò nec aliis Civitatibus injuriam facere posse.* Ecce flosculos ex Hobbesianis scriptis à Cumberlandio excerptos? De cujus fide non est quod quispiam dubitet: aut certè si dubitat, fortè quod existimet, sanæ mentis homini talia in mentem nunquam venire potuisse; ipsum diligentius inspiciat Hobbium, & vera locutum depre-

deprehendet Cumberlandium. Exempli loco postremum dogma ipse Hobbius suis confirmabit verbis, quæ leguntur *cap. 13. de Cive. §. 7. Status* inquit, *Civitatum inter se Naturalis, id est, Hostilis est. Neque si pugnare cessent, idcirco Pax dicenda est, sed respiratio: in qua hostis alter alterius motum vultumq; observans, securitatem suam non ex pactis, sed ex viribus & consiliis adversarii æstimat. Atque id Jure Naturali, quod pacta in statu Naturali, quoties justus metus intercedit, sunt invalida.* Et in Leviathane (monstrosam doctrinam monstrosus indicat Titulus) *cap. 13. Reges*, inquit, *& persona summam habentes potestatem, omni tempore hostes inter se sunt. Et bello omnium contra omnes consequens est, ut nihil sit dicendum injustum. Nomina Justi & Injusti locum in hac conditione non habent. Vis & Dolus in Bello Virtutes Cardinales sunt.* Quod justus metus liberet à Pactis, alibi ita explicat: *Quænam autem sit justa causa metuendi, ne altera pars non præstitura sit, quod promisit, ea, qua metuit, erit judex.* His ex Orco protractis dogmatibus speciosum sæpe fucum illinit, & cumprimis hanc hypothesin præstruxit, Hominem natura duce studere conservationi sui, adeoq; expetere bona, & declinare mala: qua cum ille pessime fuisset abusus, sic de eo judicat Osiander *d. tr. th. 30. In Diaboli sensu hac adhibuit sua opinioni confirmanda, & ad mentem illius, qui pater mendacii, ad sua traduxit. Nunquam ergo eidem subscribet veritatis studiosus, nunquam probabit Jus Naturale esse illam incircumscriptam libertatem. conditionem hominum extra societatem civilem aliam non esse quàm bellum omnium contra omnes, atque in eo esse jus omnibus in omnia: primam originem coëuntium in unum esse mutuum metum, nec legem natura aliud intendere, quàm sui con-*

servationem. Fingit enim homines sine dependentia ad commune quoddam caput, Stirpem universi generis humani. Fingit hominem liberum ab omni nexu fraternitatis. Fingit hominem ab ipso Deo conditum ad diffidentiam. At quis hæc à veritate & recta ratione dissona concedet huic Philosopho?

CXI. Prodiit quoque Londini superiori, ni fallor, anno Idea Theologiæ Leviathanis, autore Joanne Templero S. T. D. & Prof. qua præmittitur erudita Exercitatio de Sacro Canone, ostenditurq; S. Scripturam in omnibus ad Salutem necessariò spectantibus esse perfectam regulam. Exhibetur deinde Syllabus plurimorum dogmatum ex Theologia Hobbesiana depromptorum, quæ ab hoc autore refutantur, & omnium Christianorum judicio damnari merentur. Insperguntur vero etiam quædam alia, ad Jus Naturæ pertinentia, veluti, *Nihil est bonum & malum simpliciter: Quod ad actionis honorem attinet, modò actio magna & ardua sit, & proinde magnæ potentiæ argumentum, utrum justa aut injusta sit, parùm refert: Religionis semen naturale consistere in metu spirituum, ignorantia causarum secundarum, cultu eorum quæ timemus, & sumptione fortuitorum pro prognosticis: Status Naturæ est Status belli: Unicuique jus esse, omnibus viis & modis seipsum conservandi. Juris Naturalis summa est: Si multi homines contra Civitatis potestatem summam crimen aliquod commiserint capitale, propter quod, nisi se defendant, exspectant mortem; habent libertatem junctis viribus se mutuò defendendi: Hæc doctrina,* Quidquid facit Civis contra conscientiam suam est peccatum, *est seditiosa: Quilibet civis privatus non est judex bonarum & malarum actionum: Scholæ hactenus inutiles fuere.* Hæc & alia ejusdem farinæ verbis Hobbesii exhibet Templerus,

bonisq;

bonisq; rationibus absurda & impia dogmata destruit: cui de prostrato & profligato *Hobbianismo* ἐπινίκιον cecinit Car. Robotham, Norfolciensis, quo cum ille compendio recitet Hobbii placita, & de illo ipso sincere judicet, illud adjicere haut pigrabor, cumprimis si ejus elegantia fastidium ex Hobbesiana vesania perceptum lector fortè levare queat.

Quis hic Colossus, qui tremendis faucibus
Immane hians, porrectus immensùm jacet,
Vomituq; turpi, fœda ructans dogmata,
Utrumq; & hinc & inde littus polluit?
Malmlsburiensis Hydra, pelago lusitans
Grandis Leviathan, & Giganteus Draco,
Informe monstrum, Belluaq; Britannica,
Usq; adeò ad instar Africæ, Hic & angulus
Subinde nobis aliquid apportat novi.
Sed gratia Superis pari passu ambulat
Noxa & Medela: Aten citò sequuntur Litæ:
Accidit Hydræ Hercules suus: eadem Insula
Quæ dederat ortum Monstro, & interitum dedit,
Subigitq; protinus, ipsa quæ peperit, malum.
Sic pestis improbæ Pelagianæ luem
Labemq; sustulit Bradardini manus.
Sic jam Co-insularis itidem Hobbesii
Pythona, jaculis mille confossum dedit
Templeriana dextra, Pythii æmula.
En quàm labascit ictus, horrendùm gemens,
Tenuisq; vastum cor Myurus occupat!
Lethale pharetræ virus en ut intimas
Sorbet medullas corruentis Belluæ!
En quàm deartuata penitus, & ultimam

Halans Mephitim purulento è gutture,
Spisso cruore lata tingit æquora!
Tanti Triumphi gloriosa laurea
Tua (plurimùm Colende) prensat tempora.
En quam citatis passibus, quanto agmine,
Adorearum cumulo ovantem prosequi
Festinat ingens Gratulantium Chorus.
Aræ, focíq;, humana, divina omnia,
Verenda Trinitas, Deus, Anima & Angeli,
Natura, Gratia, Civitas, Ecclesia,
Ecclesiæq; peculium (regimen, fides,
Ordo, potestas Clavium, Leges, Canones,
Concilia, Synodi, Martyres, Miracula,
Reditus, Scholæ, Lycea, Phrontisteria,
Sedes Supernæ) & quidquid uspiam est Sacri
Vel Christiani nominis, Te σύμμαχον
Veríq; πρόμαχον, Te salutant vindicem.
At Tu, nefandûm Propalator dogmatum,
Insanientis editor sapientiæ,
Fatalitatis impiæ Præco & Pugil,
Insipide materiati Adorator Dei,
Monocondyli Fabricator inclyte Symboli,
Fidei Novator improbe, veterum hæresûm
Interpolarum Mango nugivendule,
Sartor Satorq; falsitatum strenue!
Descende cathedra, & Spongiæ deletili
Incumbito, blasphemiarum desinens.
O te beatum, falsa si tandem scias
Mutare veris! Bis at O miserum, si neges!

Mit-

Mittamus Hobbium, ejusq; plus quam barbaram philosophiam, ut tamen & nos ei ex Varrone elogium epitaphii vicem adscribamus.

Postremò nemo ægrotus quidquam somniat
Tam infandum, quod non aliquis dicat Hobbesius.

CXII. Præter hos Juris naturalis Commentatores in Britannia magno in pretio haberi Jeremiā Taylor Episcopum Dunensem in Hibernia, perscripsit ad me ante annum Amicus ex Academia Oxoniensi, eoq; autore prodiisse memorat *DuctoremDubitantium*, sive Regulam Conscientiæ universalem eoq; libro, patrio sermone loquente, de Conscientia in genere, deinde de Legibus cum Naturalibus tum Positivis fusè illum disseruisse: de quo alii judicent.

CXIII. Possem equidem plurium autorum methodos hic dijudicandas proponere, nisi & illæ partim valde essent mancæ, & multi penè sine methodo Juris Naturalis disciplinam tradidissent, solis præceptis ac legibus naturalibus nobis exhibitis: quorum philosophandi ratio Parænetica dici consuevit. Talia sunt ferè Stoicorum scripta, Epicteti, Senecæ: quin & ipse Plato id videtur præcipuè egisse suis libris. Ex recentioribus Martinus Schokius *disp. post. de Jur. Nat. th. 24.* triplicem facit Hominis statum, Ethicum, Oeconomicum & Politicum, & pro hac diversitate disciplinam Juris Naturalis digerendam esse putat. Præterquam vero quod ista status divisio Aristotelicis non probatur, etiam applicatio Autoris hanc secuta admodum imperfectè ab illo est tractata. Superioribus omnibus illa tamen præferenda est, quæ Decalogo observata fuit, & quam plurimi sequuntur, quos inter etiam Melanchthon est, & Guil. Grotius. Cum vero præceptum tertium

ad Jus Arbitrarium divinum pertinere credamus, & hunc ordinem secuti, minus plenam fore hujus disciplinæ tractationem existimemus, & nostra libertate judicioq; hac in re utemur.

CXIV. Cum sit aliqua rerum moralium etiam Scientia, atque hæc Demonstrationibus absolvatur, Demonstrationes vero ex genuinis ac domesticis principiis arcessantur, etiam Juris Naturalis disciplinæ, quæ cum scientia philosophiæ moralis planè eadem est, sua sunt principia: quæ secundum divisionem Aristotelis *1. post. Anal. 2.* vel sunt Hypotheses, vel Axiomata, vel Definitiones. Si igitur Juris Naturalis disciplina methodicè sit tractanda, primò omnium summum Obligationis, fidei ac justitiæ principium est quærendum. Itaque prima hypothesis hæc est, Deum esse. Quia enim hoc principium lumine naturæ potest esse cognitum, non tamen hæc cognitio propria est philosophiæ moralis, sed alterius disciplinæ, ideo in ista hypotheseos conditionem ac vicem subibit, *Grot. de J. B. P. lib. 2. c. 20. n. 55. Idem de ver. relig. Christ. lib. 1. pr. Guil. Grot. de princ. jur. nat. cap. 5. n. 2.* Altera hypothesis hæc est, Esse quandam Dei Providentiam, qua ille res humanas omnes, & quidem summa cum Bonitate ac Justitia, procurat. Paria enim sunt Deum tollere, vel ei curam rerum humanarum adimere, *Guil. Grot. d. c. 5. n. 5.* Denique ne Deus ejusq; Providentia suo effectu destituatur, ex lumine naturæ hæc tertia hypothesis præsupponenda est, Animam humanam fore immortalem, vel saltem post mortem superstitem. Et quamvis hæ hypotheses à priori fortè difficilius demonstrentur, à posteriori tamen minus difficulter, & solidè illas demonstrari posse nullus dubito.

CXV. Ubi igitur has hypotheses quis pleniùs tractaverit, & materiæ morali applicaverit, facili negotio omnia illa in Deo attributa deprehender, quæ ad demonstrationes has practicas necessaria visa fuerint. Conclusiones quoque hinc eadem facilitate colliget, ex quibus appareat, ad quæ Deo seorsim præstanda Homo obligetur, putà Deum esse supremum Legislatorem, supremum fidei sequestrum, & hunc Deum esse colendum. *Guil. Grot. de prin. Jur. nat. cap. 5.* Etsi enim quædam Juris Naturalis conclusiones æquè sint evidentes atq; illius Principia, non tamen hæc cum istis confundenda sunt, adeoq; ista propositio, Deum esse colendum, non pro principio, sed conclusione reputanda est, quæ cum per demonstrationem facilè possit elici, si tamen ei adsensum quis protervè deneget, pœnis illum extorquendum esse jubet Aristoteles. *Non oportet omne problema aut omnem thesin in quæstionem vocare, sed eam, de qua dubitare quispiam possit egens rationis, non pœna, aut sensus. Nam qui ambigunt, utrum oporteat Deos colere, & parentes diligere, nec ne, pœna: qui vero dubitant, utrum nix sit alba, nec ne, sensu indigent. 1. Topic. 1. in f.* Itaque jure naturæ puniri potest, qui vel Deum esse, vel eum colendum esse protervè neget; quamvis hoc eò extendendum non sit, quod jure naturæ etiam puniendi sint, qui fortè non eundem nobiscum Deum, vel cultum divinum non eundem agnoscunt. Viderint ergo Reges, quomodo obtentu religionis Christianæ cruentas in Americanos aliosve populos expeditiones suas defendere vel excusare queant. Consilium vel autoritas Papæ nihil illis proderit. Ubi de Deo, supremo Numine ac Legislatore, colendo constiterit, partes illius cultus divini haut difficulter agnitum iri

iri existimo, à perjurio, blasphemia & similibus delictis abstinendum, Deumq; summo amore summoq; honore religiosè adficiendum esse: unde sequitur, legibus quoque Dei naturalibus obedientiam esse præstandam. Quæ universalis obedientia aliàs Pietas, &, quatenus ad hanc Conscientia se obligatam esse intelligit, *Religio* dici solet: quibus etiam officia primæ tabulæ Decalogi exhauriri videmus.

CXVI. Docet Aristoteles, semper conjuncta reperiri hæc tria Societatem, Jus & Amicitiam. *8. Nicom. 9. §. 2.* Primum igitur & secundum ex his quod attinet, convenienter statuit Cicero *de Legibus*, Quod prima societas sit homini cum Deo, altera cum homine. *Prima*, inquit, *homini cum Deo rationis societas. Inter quos autem ratio, inter eosdem etiam recta ratio communis est. Quæ cum sit lex, lege quoque consociati homines cum diis putandi sumus. Inter quos porrò est communio legis, inter eos communio juris est.* Certum igitur esse credo, inter obligantem lege, & obligatum, esse quandam Societatem; ut tamen alia sit Societas, quæ est inter Deum & homines, & quæ est inter homines ipsos. Cum enim Deus hominibus sit multum, & semper superior, ideo propter hanc grandem inæqualitatem hæc est quædam Societas analogica. *8. Nicom. 7. §. 19. & cap. 12. §. 21.* ubi obiter indico, priorem textum mihi videri corruptum. Homines vero inter se consociantur partim providentia Dei, quod rationalem ac socialem ab ipso non solùm naturam, sed & huic convenientia jura acceperint: partim facto suo, variis initis conventionibus, juribusq; constitutis, per quæ vel superior sibi obligat subditos, vel par parem; unde denuo aliæ atque aliæ

Socie-

Societates enascuntur. Hæc quò pertineant, mox videbimus.

CXVII. Quando Deus hominem obligat, tunc ex illa obligatione diversarum legum naturalium, vel aliquid ab homine exigitur præstandum ipsi Deo immediatè, vel ut ipse obligatus sui causa quid faciat, nec ne, vel ut aliis hominibus quid præstet, quibuscum in Societate vivit. Inter homines vero constituta obligatio eò ferè omnis pertinet, ut alter alteri vel mutuò sibi quid præstent. Cum igitur de illa Societate dixerimus, quæ est inter Deum & homines, illaq; officia attigerimus, quæ Deo immediatè ab homine sunt præstanda; Jam erit transeundum ad ea, quæ Deus vult, ut quisque hominum sibi præstet. Dispiciendum itaque primò omnium erit, quis sit Hominis finis ultimus, quatenus ille ut ζῶον φύσει πολιτικὸν, *animal natura civile*, consideratur. Hunc finem esse dico, conformitatem seu convenientiam voluntatis humanæ, quæ actionum moralium proximum est principium, cum voluntate divina, legibus naturalibus expressa. In hac convenientia consistit illa εὐπραξία sive εὐδαιμονία Aristotelica, re nihil prorsus differens ab ista conformitate. Ut adeò rectissimè senserint illi veteres, qui summam hominis felicitatem dixerunt consistere in Assimilatione cum Deo. Quando igitur Homo voluntatem Dei juribus naturæ promulgatam explet, atque ita primævam Dei imaginem juxta archetypum Legis Dei æternæ quàm fieri potest exactissimè exprimit; illa est à Platone commendata ὁμοίωσις, summa hominis felicitas, cum summa & sincera voluptate animiq; tranquillitate conjuncta: in quo fine ultimo cum Homo maximam, cujus quidem in hac

vita particeps esse queat; consequatur perfectionem, ideo eadem *ὁμοίωσις* habita fuit Hominis *πλείωσις*, *perfectio. Guil. Grot. de princ. Jur. nat. cap. 3. n. 7.*

CXVIII. Hanc *ὁμοίωσιν* & *πλείωσιν* Homo itaque obtinet, si Deo, sibi, & aliis præstanda præstet, vitetq; contraria. Sicuti vero Deus hunc finem homini præfixit, ita quoque omnia ei media concessit, ad illum obtinendum necessaria, Rationem & Appetitum, cum libertate conjunctum, variaq; adminicula addidit, naturalem ad Societatem inclinationem, ejus necessarium instrumentum Orationem, inter tot opes rerumq; copiam valde dispersam pro incitamento Indigentiam, doctrinæ disciplinæq; & adsuefactionis capacitatem, & similia. Quia vero Hominis magna agendi libertas est, ut possit agere, non agere, agere bene, agere malè, hanc libertatem physicam Deus legibus suis naturalibus constrinxit, ut non quibuslibet actionibus homo adsuesceret vel indulgeret, sed iis tantùm uteretur, & talibus, quæ normæ legum naturalium responderent, quibusq; voluntas hominis agendo conformaretur voluntati divinæ.

CXIX. Hæ actiones illi normæ ita conformes aliàs dicuntur Actiones Virtutum. Nam inter has & istas non est discrimen reale, sed tantùm rationis. Nam quia Virtus semper consideratur ut perfectio sui subjecti, ita actiones virtutum moralium ita dicuntur, quod sint perfectiones animi humani: aut Honestæ, quod honori, præstantiæ ac dignitati humanæ naturæ conveniant. Quatenus vero eædem actiones virtutum considerantur ratione suæ conformitatis cum norma legum naturalium & voluntatis divinæ, & ad continendas, dirigendas, conservandasq;

Socie-

Societates ordinatæ sunt, hactenus Justæ dicuntur, & contrariæ Injustæ.

CXX. Quemadmodum igitur hæ Actiones Honestæ Justæq;, sunt Media, per quæ ille finis à Natura hominibus propositus adquiritur; ita quoque præstationes, quas homo vel sibi vel aliis hominibus jure naturæ debet, per easdem actiones expediuntur. Itaque frustra mihi videtur omnis illorum labor esse, qui omnia hominum officia ad paucas quasdam universales leges revocare, iisq; suis hypothesibus illa submittere volunt. Etsi enim non diffitear, quasdam leges naturales latiùs aliis patere, prout à primis principiis vel propiùs vel longiùs remotæ sunt; verissimum tamen est, per omnium virtutum habitus perfici animum hominis, ut voluntati divinæ suam conformet, adeoq; actiones humanas plurimis legibus naturalibus, partim jubentibus, partim vetantibus, regi, sic ut nullum sit officium sub necessitate obligationis præstandum, quod non lex aliqua naturalis complectatur. Sanè si allubescat unum summum principium Jurium naturalium seu præceptorum virtutis constituere, non erit illud aliud, quàm hoc, Voluntas humana agendo se conformare debet voluntati divinæ. Hoc se in duo capita vicissim dividit; vel enim vult Deus: ut quædam faciamus, vel ut non faciamus. Itaque Ratio recta mox colligit, Honesta facienda, & Turpia fugienda esse. Prodest igitur illud eò, ut perspicias, quomodo demonstrationes invicem ex se nectantur, & tandem ex uno aliquo summo principio aptæ sint. Quia vero leges omnes naturales sunt propositiones universales, & singulæ normam præbent actionibus, ideo quoque singulæ principii vicem

ſubeunt, & hac ratione demonſtrationibus inſerviunt.

CXXI. Poſtquam igitur illas Hypotheſes ſupra memoratas quis admiſerit, & inde illa officia demonſtraverit, quæ Pietatis nomine κατ' ἐξοχὴν veniunt, quæ ſunt præſtationes jure naturæ Deo immediatè ab Homine debitæ; proximum fore credo, ſi doceatur, quis ſit genuinus finis Homini à Natura propoſitus, quæque ab eadem ad eundem finem obtinendum ſint conceſſa media, quibusque adminiculis illa adquirantur. Media igitur illa cum ſint actiones Virtutum, de Virtute primùm in genere, deinde ſingulis ejus ſpeciebus, & ex harum habitibus deſcendentibus actionibus eſt agendum: qua etiam methodo Ariſtoteles ſuam philoſophiam civilem rectisſimè ac felicisſimè inſtruxit. Quod ſi quis exiſtimet, non poſſe hinc Juris Naturalis præcepta peti, quod illius obligatio ſe extendat ad omne id, quod in Lege & Evangelio continetur, *Decret. diſt. 1. & 5.* illum ceu nimis ἀπαίδευτον ab hac diſputatione arceo.

CXXII. Ubi ad ſpecialem doctrinam de Virtutibus ventum fuerit, certus illarum numerus & ordo eſt conſtituendus, & ad ſingulas illæ res ſunt referendæ, quæ ad quamque pertinent, & cujus habitu perfecti circa illas, tanquam objecta externa, rectè verſari didicimus. Quia vero Naturæ jus non niſi per modum extremi ſubſidii Bellum permittit, poſtremo loco de Fortitudine, & primo de Juſtitia tractandum eſſe puto. Hæc vel eſt Univerſalis, vel Particularis: de iſta prius, de hac deinde agendum erit. Hæc vicisſim duplex eſt, Diſtributiva, & συναλλακτική. Iſtius naturam à nemine hactenus ſatis vel exploratam vel explicatam eſſe arbitror. Hæc verſatur circa συναλλάγματα, quæ

quæ ſunt vel Spontanea, vel Invita. Cum vero nonnullorum *συναλλαγμάτων* hæc ſit natura, ut per illorum conventionem perfectam & traditionem ſubſecutam transferatur, vel ſaltem transferri regulariter debeat Dominium rei, de qua *συνάλλαγμα* eſt initum; ideo hic de Dominio, ejusq; adquiſitione cum Originaria tum Derivativa agendum eſſe exiſtimo. Cumq; juxta hypotheſin JCtorum Romanorum ſint quatuor, aut quinque ſpecies Juris in Re, Dominium, Poſſesſio, Servitus, Pignus & Hereditas; facilè quidem conceſſum iri exiſtimo, Dominium in his præcipuum tenere locum, ut tamen inibi diſpici posſit, an reliqua Jura in re ab iſto ſpecie differant, an fortè gradu. Quippe Dominium aliud alio eſſe plenius, vix quisquam inficiabitur. *Bach. ad Weſen. ſi ager. vectig. n. 1.* Tractationi Jurium in re ordine ſuccederet doctrina Juris ad rem, ſeu de Obligationibus inſtituta: quæ cum deſcendat vel ex Contractu, vel quaſi contractu, vel ex Delicto, vel quaſi delicto; horum omnium ſpecies voce *τῶν συναλλαγμάτων* comprehenduntur. Etſi enim etiam ex Dominio oriatur quædam obligatio, *Grot. de J. B. P. lib. 2. cap. 10.* JCtos tamen Romanos hac in re ſecutus, ex memoratis quatuor præcipuè fontibus obligationes ipſis dictas arceſſo. Huc quoque pertineret doctrina de Judiciis, & modis naturalibus, quibus quis ſuum aut ſibi debitum conſequi posſit: quorum duos proponit Guil. Grotius *de prin. Jur. nat. cap. 4. n. 9.* Apprehenſionem ejus, quod nobis ſine cauſa ablatum eſt: & Retentionem ejus, quod nos dare debemus, donec de pretio convento ſatisfiat. Quia verò conventiones aliæ ſunt principales, aliæ acceſſoriæ, tam de his, quàm de iſtis ibi docendi locus erit.

Colligi hinc poteſt, plurima Juris Naturalis capita ſolida hujus virtutis doctrina exhauriri, & ex illius regulis dijudicari poſſe.

CXXIII. Ex regulis Liberalitatis & Magnificentiæ varii generis donationes, quò etiam Legata, remunerationes & ἀντίδωρα pertinent, æſtimari eoq; multa alia referri poterunt, quæ vel ad harum virtutum commendationem & uſum, vel ad fugam Avaritiæ & Prodigalitatis ſpectant. Temperantiæ præcepta modum præſcribunt variis voluptatibus & doloribus, ut hinc cauſæ ad matrimonium aut vitia ei contraria, ad frugalitatem, ſobrietatem, & his etiam contraria vitia pertinentes decidi posſint. Cum etiam refrenanda ſit ambitio, ſeu honorum; & vindictæ cupiditas, ſeu ira; & ex horum adfectuum intemperie multæ ſoleant exiſtere injuriæ, de his leges & præcepta ſuppeditabit Magnanimitas, Modeſtia & Manſuetudo. Cumq; interſit, ut à familiari conſuetudine & inprimis à conventionibus abſint Mendacia, de his coërcendis præcepta dabit Veritas. Rei militaris negotia juxta Fortitudinis regulas erunt percenſenda. Non poſſum autem diſſimulare, ſpecialem illam doctrinam de Virtutibus ab Ariſtotele ferè negligenter eſſe traditam, ut tamen ex aliis, præſertim Thomæ Secunda Secundæ, Platonis libris de Legibus, Ciceronis de Officiis, Digeſtorum libris, & aliis ſimilibus ea ſuppleri & exornari queat.

CXXIV. Singulas Virtutes ubi quis diligenter expoſuerit, magnum operæ pretium futurum exiſtimo, ſi generalia præcepta ad quemque Virtutis habitum pertinentia quis collegerit, quæ ſunt ipſiſſimæ Leges Naturales, normam actionibus humanis infallibilem præbituræ.

Ita

Ita v. g. ad Justitiam Particularem referendæ erunt hæ similesq́, aliæ regulæ: In contractibus omnia bona fide sunt agenda. Unde sequitur dolum, fraudes, errorem, culpam ab iis debere abesse, aut si talia irrepserint, ea præstanda & resarcienda esse. Nemo cum alterius injuria fieri debet locupletior. Id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest. Commoda cujusque rei sequantur eum, quem sequuntur incommoda. Similes regulas reliquæ etiam Virtutes suppeditabunt. Quod si quæ regulæ sint ita generales, ut videantur non ab una sed pluribus virtutibus commendari, illæ commodè videntur subjici posse Justitiæ Universali. v. g. Honesta sunt facienda, Turpia fugienda. Æqualitatis habeatur maxima ratio. Quod tibi non vis fieri, id alteri ne feceris. Quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem utatur. Ut fides data servetur. *Guil. Grot. de prin. Jur. nat. cap. 8. & 9.* Hac methodo si cui uti libeat, & sub quaque virtute latitudinem objecti externi rectè perpendat, ejus singula membra distinctè proponat, deinde actiones humanas, quæ circa hæc occupabuntur, suis quasque legibus naturalibus attemperet, ex primis aut generalioribus demonstrationibus ad remotiores subinde conclusiones progressum faciens, is ni fallor feliciter & magno cum fructu in hac materia versari poterit. In conclusionibus vero illis dextrè deducendis aut nectendis optima ac locupletissima subsidia dabunt veterum JCtorum reliquiæ, Digestorum libris sive collectæ sive dispersæ.

CXXV. Quia igitur Homines, in quacunque vixerint Societate, secundum Virtutem vivere oportet, ideo his

his præceptis Virtutum continentur Jura Generalia Naturæ. Dixi vero suprà, esse etiam aliquod Jus Naturæ speciale, quod Natura specialibus suis Societatibus ordinandis conservandisq; sanxit. Itaque varia sunt jura Societatis inter Maritum & Uxorem: varia inter Parentes & Liberos: varia inter Herum & Servum: de quibus sigillatim hic agere, ab instituto quidem nostro non foret alienum; sed cum de his in Commentario nostro ad Grotium passim disputetur, jam quidem iis non immorabimur. Videatur interim *Guil. Grotius de prin. Jur. nat. cap. 10.* Hoc cumprimis tamen hic notetur, qui in specialibus Societatibus vivunt, illos debere suas actiones non solùm præceptis Virtutum generalibus, sed & specialibus juribus Societatum specialium, accommodare, atque ita utriusque Juris Naturalis, Universalis & Specialis observantes esse. Si igitur vel hujus vel istius obligatio eò pertineat, ut quis sibi quid præstare debeat, putà, ut temperanter vivat, ut ab illicita venere & libidine, ab ingluvie, à crapula abstineat, hactenus inter Deum & homines aliqua etiam est Societas, ut propter talem à Deo profectam obligationem sui gratia homo quid præstare aut facere teneatur. Quam in sententiam quoties loquor, vel locutus sum, toties hoc velim ita accipi, ut sub istiusmodi propositionibus moralibus adfirmantibus negativæ virtualiter contineantur. Ita si dicam, Justitiæ Universalis præcepta omnia hac generali regula comprehendi, Honestè est vivendum; tacite id simul comprehensum intelligi debet, à Turpibus esse abstinendum. Eodemq; modo si dixero, quædam ab homine exigi legibus naturæ, quæ sui gratia faciat aut præstet, hoc simul significatum volo,
exigi

exigi quædam legibus naturæ, quæ etiam non faciat, sed omittat fugiatq;. Hæc Legibus naturæ vetantibus, ista jubentibus exiguntur. Reliquas Leges Naturales quod attinet, illarum obligatio ab homine illa officia exigit, quæ aliis, quibuscum in Societate est, præstanda sunt.

CXXVI. Atque hac ratione verum esse credo, Jus semper locum habere in Societate: quod displicere aliis scio, qui hoc aliter interpretantur. Scilicet distinguendi sunt ab ipsa legum naturalium obligatione effectus seu præstationes hinc debitæ. Ista habet autorem Deum, qui sibi hominem ita devinxit, ut perpetua inter hos ex immutabili Juris Naturalis obligatione esset quædam societas. Interim quia præstationes hinc debitæ vel immediatè pertinent ad Deum, vel ad ipsum hominem obligatum, vel aliorum gratia exiguntur, cum quibus vel actu in Societate vivit, vel ut tamen singularem cum aliis in Societate vivendi à Natura propensionem acceperit; hactenus quidem verum est, quod non omnia & singula Juris Naturalis capita ad Societates humanas ordinandas unicè sint comparata, sed quod quædam etiam ad hominem pertineant, extra Societatem viventem, ut tamen pleræque leges naturales, hominum gratia latæ, ejus sint generis, ut non solùm hominis naturæ sociali, sed & continendis conservandisq; Societatibus, quæ actu inter homines obtinent, vel maximè sint accommodatæ. *Omnium, quæ in hominum doctorum disputatione versantur, nihil profectò est præstabilius, quàm planè intelligi, nos ad Justitiam esse natos: neq; opinione, sed natura constitutum esse jus, etiam patebit, si hominum inter ipsos societatem conjunctionemq; perspexeris. Cic. 1. de legg.* Quid quod ex verbo revelato simus

edocti, Deum non solùm ut supremum legislatorem sibi obstrinxisse homines, sed & sæpiuscule per modum pacti sibi illos consociasse. *Vid. Calixt. tr. de Pactis.* Cum iis, quæ dixi, convenit, quod Alexander Turaminus *ad rubric. de legib. cap. 4. n. 12.* observat, non à sola Societate humana vim legum naturæ dependere, neque eò solùm referri, sed vel Deum respicere, vel proximum & Societatem, vel seipsum & naturam humanam.

CXXVII. Præter superiora etiam Amicitiæ officia non sunt negligenda. *Videtur enim Amicitia etiam civitates continere, majoriq́ quàm Justitia latoribus legum curæ esse. Et si cives Amicitiam colant, nihil sit, quamobrem Justitiam desiderent*, inquit Aristoteles *8. Nicom. cap. 1. §. 18. & 20.* & ideo *2. Polit. 2.* ait, Amicitiam esse maximum, quod civitatibus contingere possit, bonum. Cum igitur in omni Societate aliquod Jus reperiatur, & vero etiam aliqua Amicitia, *8. Nicom. 9. §. 2.* diligentissimè illa pertractanda erit ei, qui methodo Jus Naturæ tradere instituet: in quo argumento plus præstitisse Aristotelem *lib. 8. & 9. Nicom.* & Ciceronem *lib. de Amicitia*, putamus, quàm plerique hactenus satis adsecuti esse videntur. Etsi vero propriè nemo secum colat Amicitiam; definitur enim per benevolentiam mutuam, *8. Nicom. 2.* Amor tamen, per quem suam vim exserit Amicitia, etiam fertur erga ipsum amantem, &, si is præstantissimo Boni genere se instructum esse sciverit, vel maximè, & sine vituperio, ille est φίλαυτος. *9. Nicom. 8.* Imò ipsa officia amicitiarum, & ea, quibus amicitiæ definiri solent, ex iis, quæ sibi ipsi quisque exoptat ac tribuit, videntur fluxisse. *9. Nicom. 4.* Et hoc est quod vulgò dici solet, Charitas est ordinata,

quæ

quæ ab ipso amante incipit. Si igitur aliis, quibuscum in Societate vivimus, prodesse, benefacere, illorum saluti & incolumitati consulere, adversus vim iniquam defendere debemus; multò certè magis, vel sanè primo omnium ut nobis prospiciamus, suggerit naturalis amor, qui tale desiderium & inclinationem in nobis excitat: quam si regat Recta Ratio, ceu fieri par est, apparet simul, quantum hæc πρῶτα κατὰ φύσιν, uti à Stoicis appellantur, differant, quæ in Homine, & quæ in brutis cernuntur. Explicavi hæc pluribus *tr. meo de Duellis. th. 2. seq.* ubi etiam Ciceronis *3. de Finib. & Gellii lib. 12. Noct. Att. cap. 5.* verba apprimè huc facientia adduxi. Ubi igitur quis Juris Naturalis Philosophus huc suam methodum perduxerit, commodè illa omnia describere poterit, quæ Jus Naturæ exigit ab homine, sibimet suo bono præstanda: putà, quomodo Homini à Natura sit tributum, ut se, vitam, corpusq; tueatur, declinetq; ea, quæ nocitura videantur, omniaq;, quæ sint ad vivendum necessaria, inquirat & paret, sentiat appetitum procreandi causa, totius vitæ cursum prudenter perspiciat, cum præteritis præsentia, atque cum his futura conjungat, & ad vitam commodè degendam res necessarias præparet, Imitationis studio ac veri inquisitione ducatur, & vim illatam vi defendat. *Est enim hæc non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus: verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus: ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum, aut inimicorum incidisset; omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. Silent enim leges inter arma, nec se exspectari jubent, cum ei, qui exspectare*

velit, antè injusta pœna luenda sit, quàm justa repetenda. Cicer. 1. de Offic. & pro Milon.

CXXVIII. Quemadmodum vero Societates aliæ sunt à Natura, aliæ ab instituto hominum; ita quoque Amicitia alia est Naturalis, alia ab instituto & arbitrio hominum profecta. Utriusque Amicitiæ fundamentum nititur aliquo Amabili seu Bono; idq; cum sit vel Honestum, vel Utile, vel Jucundum: tot quoque sunt species Amicitiarum, ut tamen illa, quæ Honesto nititur, sit præcipuè talis. *8. Nicom. cap. 2. 3. & 4.* Quomodo vero Jus ab Amicitia differat, nuspiam Philosophus disertis aut perspicuis verbis tradidisse legitur. Nam quæ *8. Nicom. 7. §. 11. & 12.* leguntur, discrimen illud nobis non omnino aperiunt. Naturalem amicitiam videtur conciliare benevolentia ex naturali animorum conjunctione vel inclinatione orta: quæ pro diverso gradu conjunctionis modò major, modò minor est. Ita Societatis conjugalis, & quæ est inter parentes atque liberos, maxima est amicitia: illæ vero quæ ab hac ad posteros descendunt cognationes, amicitia vel fervidiori vel tepidiori foventur, ut à communi stipite propius vel longiùs absunt; ut tamen rectè dixerit Florentinus, naturam etiam inter Homines quandam cognationem constituisse. *l. 3. ff. de J. & J.* Et Papinianus, Beneficio adfici hominem interesse hominis. *l. 7. ff. de serv. export.* Jura vero harum Societatum cum legibus comprehendantur, illarum quoque strictam normam sequi jubent. Quamvis etiam Jura ex Legibus naturalibus debita & officia Amicitiæ naturalis materialiter convenire, & quoque ab Aristotele misceri videantur; aliter tamen hæc, aliter ista deberi arbitror. Nam Debiti

biti vox vel strictè accipitur, quod jure propriè dicto, obligationem producente, debetur, sic ut actione liceat id ipsum persequi, saltem in foro Juris Naturalis. Alia vero ratione officia Amicitiæ debentur, qua, quæ talia sunt, à singulari ad benevolentiam naturali propensione & conjunctione oriuntur, maluntq; ultro offerri, quàm ex jure debita exigi. *Grot. lib. 2. de J. B. P. cap. 7. n. 4.*

CXXIX. Hujus Amicitiæ vestigia etiam reperire licet in veterum JCtorum textibus. Moribus apud Romanos receptum est, ne inter virum & uxorem donationes valerent, amorem honestum solis animis æstimantes, & ne matrimonia essent venalia, nec concordia pretio conciliari videretur. *l. 1. & 3. pr. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Idem confirmat *tit. Dig. de agnoscendis & alendis liberis vel parentibus*, ubi eleganter JCtus ait, *Cum ex æquitate hæc res descendat*, putà ut parentes liberos, atque hi illos vicissim alant, *charitateq́ sanguinis, singulorum desideria perpendere Judicem oportere.* Rescriptum quoque esse memorat, heredes filii ad ea præstanda, quæ vivus filius ex officio pietatis suæ dabit, invitos cogi non oportere, nisi in summam egestatem pater ductus sit. Et quamvis parens ali à filio ratione naturali debeat, tamen æs alienum ejus non esse cogendum exsolvere filium. *l. 5. §. 2. 16. & 17. ff. d. t.* Hinc quoque patris officium esse decrevit Justinus, ut filiam dotet, *l. fin. C. de dot. promiss.* Dotem enim in locum alimentorum succedere, & utrorumque eandem esse rationem dicunt. *Hartm. Pistor. 2. obs. pract. qu. 37. n. 4. Carpz. p. 2. Jurisp. for. const. 46. def. 20. n. 10. & p. 4. const. 26. def. 2. n. 4.* Hinc dotis causa piis causis accenseri, multisq; privilegiis gaudere solet. Conficiturq; ex *l.*

ex *l. fin. C. de dot. promiss.* à Dd. hæc regula, quod etsi multa honestè præstentur, à liberalitate ea procedant, non ex obligatione. *add. l. 12. §. 3. ff. de admin. tut.* Si quoque pater non disertè significaverit, se credendi animo filio studiorũ gratia sumptus subministrasse, pietate debita ductum eum fuisse præsumitur, neque computari illos æquitas patitur. *l. 50. ff. fam. ercisc.* Quamvis etiam magna sit prærogativa pecuniæ in funus erogatæ, si tamen pietatis gratia quid sit impensum, funeraria actio denegatur. *l. 14. §. 8. 9. 13. ff. de relig. & sumpt. fun.* Paulus quoque Mandatum ideo gratuitum esse ait, quod originem ex officio atque amicitia trahat. *l. 1. §. 4. ff. mand.* Idem de Mutuo dicere licebit; quamvis raro hoc officium patiantur esse gratuitum, cum plerumque stipulari sibi soleant usuras creditores. Interim sua natura est gratuitum, diciturq; actus à charitatis fonte promanans Thomæ *2. 2. qu. 78.* Idem in Commodato obtinet, quòd voluntatis & officii, imò beneficii magis, quàm necessitatis est commodare. *l. 17. §. 3. ff. commod.* Multò magis in Precario, quod totum ex liberalitate descendere dicitur. *l. 1. §. 1. l. 2. §. 2. l. 8. §. 3. ff. de precar.* Amicus quoque, si fraterna charitate diligitur, cum nomine suo sub appellatione fratris heres instituitur. *l. 58. ff. de hered. instit.* Propter Amicitiæ rationem etiam multi non ultra condemnantur, quam in id, quod facere possunt: quod beneficium Competentiæ vulgo appellari solet. Hoc igitur etiam Socii fruuntur. Quare? quia *Societas jus quodammodo fraternitatis in se habet. l. 63. pr. ff. pro Soc.* Atque hæc quidem huic rei illustrandæ sufficiant.

CXXX. Rudi penicillo adumbravi methodicam ratio-

rationem, qua Juris Naturalis systema ἐπιστημονικὸν describi posse existimo. Quod si quis compendiosiori via illud confici posse putet, utatur sanè suo consilio & arbitrio. Ego quamvis sterilem prolixitatem & luxuriem resecandam esse in omni studio libenter concedam; non tamen autor esse possum, ut de argumento gravi, admodum vario, perq; omnem vitam diffuso, instituatur nimis restricta & compendiosa tractatio, præsertim si illud cum cura quis excutere velit, etiamsi non nisi necessaria in eo consectetur. Cumq; ego jam de Jure Naturæ in genere quædam commentari decreverim; accuratam descriptionem hujus methodi, & singulorum capitum juxta illam factam subtilem delineationem æquus lector à me non desiderabit. Constitueram, fateor, olim tale aliquod opus aggredi, & saltem vires ingenii in eo periclitari; nunc vero ad alios Jurisprudentiæ labores totus penè avocatus, varia interim temporum injuria à proposito dejectus, & valetudinis non levem jacturam hinc passus, aliis hanc lampada trado. *Ubi enim res initio rudiùs adumbrata fuerit, deinde exactius & exquisitiùs edisserenda est. Et videtur vel cujusvis hominis esse, ea quæ bene primùm suis lineamentis descripta definitaq; sunt, provehere, suisq; veluti membris & articulis distinguere. Atque ejusmodi rerum vel autor, vel certè adjutor esse videtur Tempus: quo modo artes ipsæ amplificatæ & propagatæ sunt. Cujuslibet enim hominis est, id quod deest, addere.* Hæc quidem Aristoteles *1. Nicom. 7. §. 48. seqq.* quæ fortè idonea sunt, ut generosa ingenia ad hanc operam capessendam excitentur: quam ita feliciter procedere illis cupio, ut quidquid huic studio hactenus defuit, illud sui ingenii opulentia suppleant.

CXXXI. At,

CXXXI. At, inquiat quis, si tanto labore Juris Naturalis disciplina sit exstruenda, ecquid erit præmî? Longè maximum hic fiet operæ pretium; non tamen tantum, ut per illius observationem vitam æternam consequi possimus, ut nonnulli opinati sunt, quorum nomina non sunt clam habenda. Clemens Alexandrinus *lib. 7. στρωματέων sive Centonum* tradit, Judæis legem Mosis, Gentibus Philosophiam, ante Christi adventum, & eam, quam ipse appellat vocationem universalem, Judæorum & Barbarorum in populum unum, ad salutem suffecisse. Et licet fateatur, notitiam Dei, quam habuerunt Gentes, fuisse *ἀμαυρὰν*, *obscuram*, nihilominus eô propendet, quod per hujusmodi de Deo cognitionem homines potuerint servari. Unde non uno loco Legem & Philosophiam, dúo Testamenta appellat, ab eodem Domino diversis populis in eundem finem commendata. Per Philosophiam vero talem notitiam intelligit, quæ ad justificationem homini prosit. Ita enim loquitur *lib. 1. Philosophia quondam per se Græcos justificabat.* Justinus Martyr in sua Apologia docet, novitatem doctrinæ Christianis falsò objici, quum ejus autor sit Christus, *λόγος τοῦ θεοῦ*, *verbum Dei.* Mox vocem *λόγος* Rationem interpretatus, Christianos censeri debere ait, quicunque *μετὰ λόγου*, *cum ratione*, vitam instituerint: quales, inquit, fuerunt apud Græcos Socrates, & Heraclitus: inter Barbaros, Abraham, Ananias, Azarias, Misaël, Helias, & alii multi. Itaque cum Justinus existimet, Christum esse *λόγον, οὗ πᾶν γένος ἀνθρώπων μετέσχε*, *Rationem, cujus sit particeps omne humanum genus;* ita porrò differit: *Christus etiam à Socrate ex parte est agnitus. λόγος enim, Ratio sive Sermo erat, atque est, qui est in quovis hominum,*

num, & ille est, qui partim per Prophetas futura prædixit, partim per se ipsum hæc docuit. Audiamus quoque verba hac de re facientem Chrysostomum, *in Matthæum, homil. 38. Dicet aliquis: quid ergo? illisne facta est injuria, qui ante Christi adventum vixerunt? Nequaquam; tunc enim etiam sine confessione Christi poterat aliquis servari. Quippe hoc ab illis non exigebatur, sed ut ab Idololatria abstinerent.* Pergit mox: *Solum Deum nosse ad salutem tunc temporis satis erat. Nunc id non sufficit, quin hoc amplius notitia Christi est necessaria.* Non multò pòst: *Fruentur omnibus vitæ æternæ bonis, etiam illi, qui Christum, ante ipsius incarnationem non norunt; sed ab idololatria se abstinuerunt, Deum unum adorarunt, & vitam, quàm fieri poterat, optimam vixerunt.* Hæc quomodo commoda interpretatione mollienda sint, videatur Casaubonus *Exerc. 1. adv. Baronium*: ubi etiam aliorum veterum meminit, qui in eandem sententiam proclives gemina tradiderunt.

CXXXII. Hanc vero etiam recentiores quidam amplexi sunt, Andreas Vega *lib. 6. defin. Conc. Trid. cap. 17. & 20.* Maldonatus *in cap. 9. Matth. v. 22.* Pererius *disp. 18. in cap. 1. ep. ad Roman.* Dominicus Soto *lib. 2. de Nat. & Grat. cap. 11.* qui tamen ad sanam mentem rediisse creditur. Joannes Sleidanus *Comment. sui lib. 23.* hæc memorat: *Franciscanus quidam Pauli ad Romanos explicabat Epistolam, frequenti auditorio, & subinde per occasionem acerbo convitio Lutherum sociosq; notabat, eòq; fuit progressus, ut diceret eos, qui Christi cognitionem nullam habuissent, & alioqui vitam egissent honestè, salutem esse consecutos.* Idem negotium suscepit Franciscus Puccius edito *de Natura & Gratia erga omnes homines* libro, cui Franciscus Junius se opposuit. Huldricus

Zuinglius Theseo, Herculi, Senecæ aliisq; inter gentiles heroibus singularem de Christo revelationem & salutem tribuisse fertur. Idem dogma propagare instituit Theobaldus Tammerus, Professor Academiæ Marpurgensis, qui suæ Theologiæ duo summa capita constituit, Conscientiam & Creaturam. Idem egisse dicitur Samuel Huberus Helvetio-Bernas, sententia Synodi Bernensis condemnatus. Temeritati proximum esse errorem, uti ait Valerius Maximus *lib. 9. cap. 9.* vel hinc agnoscas: quem cum in hac causa nimis crudum & apertum nemo non deprehendat, ejus refutatione non occupabimur. Sexcenta verbi revelati testimonia solidè evincunt, extra fidem & Christum neminem salutis participem fieri posse.

CXXXIII. Age ergo videamus, quis tandem sit cogniti Juris Naturalis usus. Ejus disciplinam si quis probè excoluerit, primò quidem quadantenus intelliget, quid sit illa Imago Dei, ad quam Homo primitus fuit creatus. Consistebat illa cumprimis in Justitia & Sanctitate, interprete Apostolo, *Ephes. 4. v. 24. Coloss. 3. v. 10.* sic ut Homo non solùm voluntatem divinam promptè cognoscere, & facienda à fugiendis discernere, sed & suam voluntatem atque actiones voluntati divinæ exactè conformare, totamq; Dei legem perfectè implere posset. Alia quæ de Imagine Dei à Theologis disputari solent, lubens prætermitto. Postquam autem Protoplasti hac perfectione se privarunt sua inobedientia, *Rom. 5. v. 19.* jamq; prolem generassent ad imaginem suam, *Genes. 5. v. 3.* & lumen Intellectus obscuratum, & varia atque enormis cœpit esse Appetitus inclinatio atque fuga. Relicta est tamen homini Ratio, quæ suis adminiculis aliquam rectitudinem adepta,

Jus

Jus Naturæ cordi inſcriptum agnoſceret, promulgaret, ejusq; autoritate motus animi compeſceret aut refrenaret. Quamvis enim poſt lapſum homo voluntatem ſuam voluntati divinæ, & actiones ſuas normæ Juris Naturalis exactè conformare nequeat, non minus tamen eo poſt, quàm ante lapſum homo fuit obligatus. Alter igitur hinc redundans uſus, isq; longè maximus eſt, ut ſciat homo, quid etiam poſt lapſum agere in vita omnino, quid ſequi, quid fugere, quibus regulis ſuas actiones attemperare debeat, etiamſi tam promptè, tam libenter, & tam perfectè idipſum jam quidem præſtare nequeat.

CXXXIV. Cum vero Vitium habeat vim corrumpendi principium, ſic ut Ratio pravitate morum & exemplorum corrupta non ſatis agnoſcat leges naturales, Deus identidem quasdam ex iis repetiit, & cumprimis tremenda ſolennitate illas denuo in monte Sinai promulgavit, quæ Decalogi nomine veniunt: cujus ſi fortè tertium de Sabbatho colendo præceptum eximas, reliquis ejus præceptis omnes homines ſunt obligati, ſine privilegio, ſine diſpenſatione, ſine ulla mutatione. Itaq; prodeſt tertiò Juris Naturalis diſciplina ad rectè intelligenda Decalogi præcepta, omnemq; legem moralem. Huic vero cum homo perfectam obedientiam præſtare nequeat, quam tamen illa exigit, ſingulari Dei gratia ei per alia quædam remedia conſultum fuit, de quibus Theologia revelata docet; ut non ſolùm quartò hæc diſciplina proſit ad cognoſcendum diſcrimen iſtius & Theologiæ Naturalis, ſed & luculentisſimè innoteſcat, quantulæ nobis ad vitam bene & juxta voluntatem divinam perfectè agendam ſuppetant vires, & quanta è contrario erga nos divina gratia exſtiterit,

S 2 quæ

quæ hujus pædagogi rigori nos exemit, *Galat. 3. v. 24. 25.* nostramq; imbecillitatem Spiritus Sancti ope suffulsit; sic ut Justo lex jam non sit posita, non quod justus lege non sit obligatus, sed quod formidine pœnæ, quam lex minatur, à peccatis non tam absterrendus sit, quàm quod Spiritus Sancti ductu ultro legi pareat, Deoq; grata agat, cum homines protervæ improbitatis non nisi supplicii metu à libidine peccandi retrahi soleant. *1. Timoth. 1. v. 9.*

CXXXV. Sed & eò proficit Juris Naturalis disciplina, ut intelligamus ejus præcipuè vinculo omnes Societates, & speciatim Civitates, Respublicas, liberasq; gentes aut Principes constringi ac conservari. Cum enim quæque Respublica sit αὐτόνομος, & altera alterius sive legibus sive judiciis obnoxia non sit, neque commune judicium ab hominibus institutum agnoscant, nisi fortè ex conventione tale inter ipsas & ab ipsis fuerit constitutum, quale, ni fallor, olim fuit inter Græciæ populos Areopagus; Jure Naturæ & Judicio omnium hominum communi harum controversiæ necessum est definiantur. Sanè, si Jure gentium vel communi vel speciali utantur, atque hinc illæ lites decidi possint, & hujus magna est autoritas. Absque hoc Jure gentium, aut communi judicio conventionali, debita autoritate prædito, si sit, secundum Jus Naturæ illarum causæ & actiones examinari atque expediri oportet, quod illius obligationi omnes & singulæ sint obnoxiæ, & tam hujus quam Providentiæ divinæ autoritatem, quæ illud condidit, venerari & piè amplecti debeant. Bene itaque Camillus ad Faliscorum magistrum ait, *Nobis cum Faliscis, quæ pacto fit humano, Societas non est, quam ingeneravit natura utrisque, est, eritq;. Liv. lib. 5.*

Unde

Unde simul colligitur, labi illos, & errare, qui simpliciter Judiciorum originem à solo instituto humano arcessunt. Meliora docet *Selden. lib. 7. de J. N. G. cap. 4.* quæ confirmat *Bæcler. ad Grot. lib. 1. cap. 3. §. 1. p. 192. & seq. Rob. Maran. de ord. Judic. p. 3. n. 132.*

CXXXVI. Quia vero hæc disciplina non unius ingenii modulo concluditur, sed ex variis monumentis magno labore & judicio conquirenda est, plurimùm ad illam constituendam & locupletandam facere poterunt illarum Rerumpublicarum leges, quæ præ aliis Prudentia Nomothetica excelluerunt: quas inter principatum sibi optimo jure Romana vindicat. Quia vero Pandectarum inprimis volumen frequentes & incomparabiles Juris Naturalis commentationes, & simul cum iis plurimas leges merè arbitrarias exhibet; ideo & hunc usum præstat excultum diligentiùs Juris Naturalis studium, ut hujus capita ab iis, quæ sunt juris positivi, accuratè secernantur. Cum enim causæ civitatum liberarum controversæ non ex his, sed istis sint decidendæ; gravis sæpe oritur inter illas contentio, quod interdum quæ juris positivi sunt æquè illis obtrudantur, quàm quæ ex jure naturali rectè promuntur, naturalemve intellectum habent, *l. 5. ff. de serv. export.*

CXXXVII. Nemini non est cognitum, maximam semper & meritò habitam fuisse Juris Romani autoritatem, partim quod suas leges unà cum imperio & armis soliti fuerint propagare Romani, suiq; juris usum iis regnis, quæ in formulam provinciæ redacta erant, demandare: partim quod cernerent gentes, Romanas leges summa prudentia esse conditas, præcipuam in iis æquitatis rationem habitam, iisq; exactissimas Júris Naturalis explicationes con-

tineri, atque hactenus illarum usum etiam ad se pertinere: partim quod sola opinione, fama, imitatione aliorum, imò etiam errore, atque hoc non uno, sibi illas sine discrimine adsciscerent, quæ arbitraria à naturalibus distinguere, diversas Respublicas, quibus leges accommodandæ alioqui sunt, secernere, aut sibi suo ingenio & judicio leges condere nesciebant. Etsi igitur plurimæ gentes Jure Romano fuerint usæ: illud Reges Hispani Jus commune appellent: Judæi ad illud deficiente lege Mosaica provocent: Turcæ etiam Codicem Justiniani causis decidendis adhibeant; nunquam tamen verum esse demonstrari poterit, Romanos orbi terrarum leges præscripsisse, & quod illud jam omnino habendum sit pro jure naturali & gentium: in quam sententiam multa JCtorum testimonia congessit Arthurus Duck *de usu & autor. Jur. civ. Rom. lib. 1. cap. 2.* & ipse nimio suscepti argumenti studio evagatus.

CXXXVIII. Nam licet illud Romanarum legum systema in summo pretio sit habitum, & nunquam non haberi debeat; hoc tamen à liberis gentibus, quæ prudenter illas admiserunt, hactenus illis est tributum, quatenus Juris Naturalis & æquitatis in iis exquisitissima & uberrima tractatio passim continetur. Cautè igitur rectéq; ait Ludolphus Schraderus, Principes populosq; liberos Romano Imperio non obnoxios, in causis, per leges & consuetudines suas non decisis, legibus Romanis obligari, quatenus sunt fundatæ in ratione naturali. Si quæ igitur sunt civitates liberæ, quæ Jus Romanum non tantùm, qua parte Juris Naturalis explicationes comprehendit, sed & ejus leges arbitrarias complures adopta-

pta-

ptaverit, sua libertate in iis adsciscendis usæ fuerunt, &, si ita visum sit, in his quidem abrogandis eadem uti poterunt. Apud quas vero istiusmodi conventione vel placito receptæ non sunt, iis Jus Romanum, qua arbitrarium est, nullo modo invitis obtrudi potest, sic ut causæ controversæ inde decidantur. Rectissimè hac de re sensit Jacobus Gothofredus, cujus hæc leguntur verba *dissert. de Imperio Maris*: *Romanis hodie legibus utuntur liberrima omnium regna populiq́, tanquam æqui boniq́ fonte. Quo qui aliter utuntur, næ illi perquam suaves sunt, parumq́ sibi consulunt, cum verso hodie regnorum populorumq́ statu in aliam, quam Romanum olim Imperium, formam juri Romano non nisi absurdè quisquam sese illiget. Et prudentissimè omnium Galli, qui eo loco leges Romanas habent, quo & quatenus fontem boni æquiq́: quo simul & dignitati suæ rectè consulunt, & veram juris dicundi orbitam tenent.*

CXXXIX. Quid igitur mirum, si liberæ gentes cum aliis disceptantes leges quasdam Romanas sibi oppositas repudiaverint, quod ab ipsorum placito essent profectæ, vel saltem tales esse, adeoq; nihil ad se pertinere, crediderint. Nota est illa disputatio inter competitores Regni Lusitanici de Jure Repræsentationis, agitata etiam à celeberrimis Hispaniæ Italiæq; JCtis, quorum scripta Bononiæ & alibi prodierunt. Philippus II. Hispaniæ Rex repræsentationem, ceu Juris arbitrarii Romani placitum, admittere nolebat. Qui hodie ibi imperium tractant, illa cumprimis nituntur. De Jure primogenituræ item sæpius disputatum, creditumq; fuit, ut memorat Justinus *lib. 16.* Ptolemæum Ægypti regem contra jus gentium minimo natu ex filiis regnum tradidisse.

diſſe. Ita quoque circa adquiſitionem & alienationem rerum jure Romano arbitrario poſitivo quædam ſunt conſtituta, quæ liberi populi ac principes nihil ad ſe pertinere arbitrabuntur. Non equidem neſcio, etiam modò allata exempla adſcribi ſolere Juri Naturali: id quod ego nunc non diſputo, ſed hoc ſolùm moneo, quando ajunt, aliquid habere fundamentum in Jure naturali vel æquitate, eſſe his conſentaneum; has ſimilesq; loquendi formulas ambiguè dici, & difficillimè ſæpe expediri poſſe, quid revera ſit Juris naturalis, & quid Arbitrarii. Quo vero quis feliciùs in Jure Naturali profecerit, eò rectius hoc à Poſitivo diſcernere, & ſummorum Principum ac Rerumpublicarum graviſſimas controverſias arbitrari poterit.

CXL. Utiliſſima quoque eſt Legiſlatoribus Juris Naturalis cura, nequid ſanciant, quod illi ſit inimicum & adverſum; id enim cum effectu obligationis fieri non poſſe, ſed & legiſlatores talem normam præfinientes, & ſubditos judicesq; eam ſequentes peccare, ſupra oſtendi. Itaque in pulcherrimo Juris Romani corpore tanquam deformes verrucæ extant illæ leges, quæ jus vitæ & necis in liberos ſervosq; patrùm herorumq; arbitrio permiſerunt. Et hanc & quoque SCti Syllaniani crudelitatem deteſtatur Jus Naturæ. Cum enim præfectus urbis domi ſuæ fuiſſet occiſus, memorat Tacitus, eam fuiſſe illius SCti vim, ut quadringenti ſervi, ſine ætatis & ſexus diſcrimine, etiam hi, quorum non dubia innocentia erat, fuerint occiſi. *Add. l. un. C. de emend. ſerv. & l. 2. ff. ad l. Aquil.* ubi ſervi quadrupedibus invito jure naturæ æquiparantur. *In mancipio cogitandum eſt, non quantum illud impu-*

impune pati possit, sed quantum tibi permittat aequi boniq; natura; inquit Seneca *lib. de clement. c.18.* cujus etiam hæc sunt ibidem: *Cum in servum omnia liceant, est aliquid, quod in hominem licere commune jus animantium vetat, qui ejusdem naturæ est, cujus tu.* Indignissima quoque Christiano Imperatore est *l. 4. C. de malef. & mathem.* qua Constantinus artes magicas permittit, quibus fortè quis ægrotis medeatur, aut à vitibus & frugibus calamitates, imbres, grandinesq; avertat. Et quamvis nonnulli commoda interpretatione subvenire studeant Imperatori, ac si hæc ejus lex non de incantamentis, sed lustrationibus agrorum, quæ publicè decantatis litaniis fiebant, intelligenda sit, *Nov. 123. cap. 32.* frustra tamen hos esse, verba nimis manifesta evincunt, eoq; nomine Albericum Gentilem reprehendit Jac. Gothofredus *ad l. 3. C. Theodos. de malef. & mathem.* Itaque hæc lex jure merito postea abrogata fuit à Leone *Nov. 65.* & quoque omissa est in Basilicis: ceu videre est ex *lib. 60. tit. 39.* Idemq; testatur Balsamo ad Photii *Nomocan. t. 9. c. 26.* Obelo quoque sunt transfigendæ illæ leges, quibus *αὐτοχειρία* propter tædium vitæ, pudorem æris alieni, similesq; causas permittitur, vel saltem impunis esse jubetur. *l. 6. §. 7. ff. de inj. rupt. l. 45. §. 2. ff. de jur. fisc. l. 38. §. 12. ff. de pœn. l. 6. §. 7. ff. de re milit. l. 11. §. 3. ff. de his qui not. infam.* Duplex vero impietas invito Naturæ jure impunitatem habet ex *l. 3. §. 5. ff. de bon. eor. qui ante sent.* ubi JCtus ait, Hadrianum rescripsisse, si pater sibi manus intulisset, quod diceretur filium suum occidisse, magis dolore filii amissi mortem eum sibi irrogasse videri, & ideo bona ejus non esse publicanda.

CXLI. Et quid dicam quam non solum utilis, sed

 pla-

planè sit necessaria hæc disciplina Judicibus atque Jurisconsultis, ut ab istis cuique facto convenienter jus applicetur, ab his omnis juris recta instituatur interpretatio. Factum, ejusq; circumstantias, & meritum quomodo quis rectè dijudicabit, nisi hujus disciplinæ principia probè noverit, atque de libertate, animo, consilio & proposito agentis, aut de dolo, errore, vi, metuve hinc statuere, actionemve justam vel injustam & quidem diversissimis gradibus pronunciare possit? Idcirco frequenter JCtos veteres profiteri videas, *secundum ea, quæ proponebantur*, se respondisse. Et Alphenus super facto consultus respondit, *In causa jus esse positum l. 52. §. 2. ff. ad l. Aquil. Ex re jus constituendum* esse dixit Marcianus *l. 1. §. 3. ff. ad l. Corn. de sicar.* Quid quod Naturale jus suppleat cujusvis Arbitrarii juris ἐλλείμματα & defectus. Hoc enim cum omnibus causis & casibus singularibus plane non provideat, ad Jus Naturæ & æquitatem naturalem recurrendum est. Huc facit illud Pomponii *l. 2. §. 5. ff. de aq. pluv. arc. Hæc æquitas suggerit, etsi jure deficiamur:* & illud Modestini *l. 13. §. 7. ff. de excus. Sufficit fidem formare ex ipsa naturali justitia.* Interpretationi vero juris tantùm præbet Juris Naturalis disciplina usum, ut qui hanc ignoraverint, vel insuper habuerint, Jurisconsulti nomen nec mereri, neque usurpatum tueri possint. Si quis enim v. g. Juris Romani leges hactenus tantùm cognitas habeat, ut sciat, quid ab iis justum vel injustum pronuncietur, neque rationem illarum perspiciat, conclusiones ad principia revocare, decisiones ex genuinis rationibus arcessere nesciat; is illarum legum tantùm historicam peritiam est adeptus: & si fortè existimet, se illarum scientiam consecutum esse, erit tamen illa non

alia

alia, quàm quæ κατὰ συμβεβηκὸς, *per accidens*, Philosopho dicitur. Nam *scire leges non est, verba earum tenere, sed vim ac potestatem*, inquit Celsus *l. 17. ff. de legibus*.

CXLII. Quamvis autem hæc disciplina per multa secula tanquam obsoleta & detrita vestis videatur abjecta, & nihilominus Romanæ aut aliarum civitatum leges à summi ingenii viris fuerint explicatæ, & horum exemplo se tueri nonnulli, & apertè contemnere ac calumniari Juris Naturalis studium soleant; ea tamen re à vera sententia nihil dimoveor. Etsi enim multi legum interpretes singulari quadam solertia ac sagacitate verum deprehenderint, hoc tamen non veræ scientiæ, sed singulari ingenii felicitati, imò etiam providentiæ divinæ erit tribuendum: cum aliàs itidem constet, hujus disciplinæ ignorantiam tot errorum symplegadas, opinionum varietates, atque has communes contra communes, uti ajunt, peperisse. Quibus tricis atque labyrinthis ut tandem nos expediamus, non aliam, saltem meliorem rationem aliam inire aut comminisci nequeunt, quotquot veræ Jurisprudentiæ laudem habent & merentur, quàm si Jus Naturale diligentissimè excolatur. Expendat quis totum Digestorum volumen, & deprehendet Juris Naturalis sciens, hujus solida cognitione JCtorum infinitas easq; justissimas æquissimasq; conclusiones subnixas esse. Scripsit olim Salvius Julianus singularem librum de Ambiguitatibus, & Herennius Modestinus de Enucleatis casibus: qui si superessent integri, fortè evidentius idipsum malè credulis demonstrarent. Quamobrem etiam ex recentioribus quidam in hanc curam incubuerunt, ut rectæ Interpretationis fontes commonstrarent, *Raymundus de Forolivio de Inter-*

 pre-

CXXXI. At, inquiat quis, si tanto labore Juris Naturalis disciplina sit exstruenda, ecquid erit præmi? Longè maximum hic fiet operæ pretium; non tamen tantum, ut per illius observationem vitam æternam consequi possimus, ut nonnulli opinati sunt, quorum nomina non sunt clam habenda. Clemens Alexandrinus *lib. 7. στρωματέων sive Centonum* tradit, Judæis legem Mosis, Gentibus Philosophiam, ante Christi adventum, & eam, quam ipse appellat vocationem universalem, Judæorum & Barbarorum in populum unum, ad salutem sufficisse. Et licet fateatur, notitiam Dei, quam habuerunt Gentes, fuisse *ἀμαυρὰν, obscuram*, nihilominus eò propendet, quod per hujusmodi de Deo cognitionem homines potuerint servari. Unde non uno loco Legem & Philosophiam, duo Testamenta appellat, ab eodem Domino diversis populis in eundem finem commendata. Per Philosophiam vero talem notitiam intelligit, quæ ad justificationem homini prosit. Ita enim loquitur *lib. 1. Philosophia quondam per se Græcos justificabat.* Justinus Martyr in sua Apologia docet, novitatem doctrinæ Christianis falsò objici, quum ejus autor sit Christus, *λόγος τοῦ θεοῦ, verbum Dei.* Mox vocem *λόγος* Rationem interpretatus, Christianos censeri debere ait, quicunque *μετὰ λόγου, cum ratione,* vitam instituerint: quales, inquit, fuerunt apud Græcos Socrates, & Heraclitus: inter Barbaros, Abraham, Ananias, Azarias, Misaël, Helias, & alii multi. Itaque cum Justinus existimet, Christum esse *λόγον, οὗ πᾶν γένος ἀνθρώπων μετέχε, Rationem, cujus sit particeps omne humanum genus;* ita porrò differit: *Christus etiam à Socrate ex parte est agnitus. λόγος enim, Ratio sive Sermo erat, atque est, qui est in quovis hominum,*

num, & ille est, qui partim per Prophetas futura prædixit, partim per se ipsum hæc docuit. Audiamus quoque verba hac de re facientem Chrysostomum, *in Matthæum, homil. 38. Dicet aliquis: quid ergo? illisne facta est injuria, qui ante Christi adventum vixerunt? Nequaquam; tunc enim etiam sine confessione Christi poterat aliquis servari. Quippe hoc ab illis non exigebatur, sed ut ab Idololatria abstinerent.* Pergit mox: *Solum Deum nosse ad salutem tunc temporis satis erat. Nunc id non sufficit, quin hoc amplius notitia Christi est necessaria.* Non multò pòst: *Fruentur omnibus vitæ æternæ bonis, etiam illi, qui Christum, ante ipsius incarnationem non norunt; sed ab idololatria se abstinuerunt, Deum unum adorarunt, & vitam, quàm fieri poterat, optimam vixerunt.* Hæc quomodo commoda interpretatione mollienda sint, videatur Casaubonus *Exerc. 1. adv. Baronium*: ubi etiam aliorum veterum meminit, qui in eandem sententiam proclives gemina tradiderunt.

CXXXII. Hanc vero etiam recentiores quidam amplexi sunt, Andreas Vega *lib. 6. defin. Conc. Trid. cap. 17. & 20.* Maldonatus *in cap. 9. Matth. v. 22.* Pererius *disp. 18. in cap. 1. ep. ad Roman.* Dominicus Soto *lib. 2. de Nat. & Grat. cap. 11.* qui tamen ad sanam mentem rediisse creditur. Joannes Sleidanus *Comment. sui lib. 23.* hæc memorat: *Franciscanus quidam Pauli ad Romanos explicabat Epistolam, frequenti auditorio, & subinde per occasionem acerbo convitio Lutherum sociosq; notabat, eòq; fuit progressus, ut diceret eos, qui Christi cognitionem nullam habuissent, & alioqui vitam egissent honestè, salutem esse consecutos.* Idem negotium suscepit Franciscus Puccius edito *de Natura & Gratia erga omnes homines* libro, cui Franciscus Junius se opposuit. Huldricus

S Zuin-

Zuinglius Theseo, Herculi, Senecæ aliisq; inter gentiles heroibus singularem de Christo revelationem & salutem tribuisse fertur. Idem dogma propagare instituit Theobaldus Tammerus, Professor Academiæ Marpurgensis, qui suæ Theologiæ duo summa capita constituit, Conscientiam & Creaturam. Idem egisse dicitur Samuel Huberus Helvetio-Bernas, sententia Synodi Bernensis condemnatus. Temeritati proximum esse errorem, uti ait Valerius Maximus *lib. 9. cap. 9.* vel hinc agnoscas: quem cum in hac causa nimis crudum & apertum nemo non deprehendat, ejus refutatione non occupabimur. Sexcenta verbi revelati testimonia solidè evincunt, extra fidem & Christum neminem salutis participem fieri posse.

CXXXIII. Age ergo videamus, quis tandem sit cogniti Juris Naturalis usus. Ejus disciplinam si quis probè excoluerit, primò quidem quadantenus intelliget, quid sit illa Imago Dei, ad quam Homo primitus fuit creatus. Consistebat illa cumprimis in Justitia & Sanctitate, interprete Apostolo, *Ephes. 4. v. 24. Coloss. 3. v. 10.* sic ut Homo non solùm voluntatem divinam promptè cognoscere, & facienda à fugiendis discernere, sed & suam voluntatem atque actiones voluntati divinæ exactè conformare, totamq; Dei legem perfectè implere posset. Alia quæ de Imagine Dei à Theologis disputari solent, lubens prætermitto. Postquam autem Protoplasti hac perfectione se privarunt sua inobedientia, *Rom. 5. v. 19.* jamq; prolem generassent ad imaginem suam, *Genes. 5. v. 3.* & lumen Intellectus obscuratum, & varia atque enormis cœpit esse Appetitus inclinatio atque fuga. Relicta est tamen homini Ratio, quæ suis adminiculis aliquam rectitudinem adepta,

Jus

Jus Naturæ cordi inscriptum agnosceret, promulgaret, ejusq; autoritate motus animi compesceret aut refrenaret. Quamvis enim post lapsum homo voluntatem suam voluntati divinæ, & actiones suas normæ Juris Naturalis exactè conformare nequeat, non minus tamen eo post, quàm ante lapsum homo fuit obligatus. Alter igitur hinc redundans usus, isq; longè maximus est, ut sciat homo, quid etiam post lapsum agere in vita omnino, quid sequi, quid fugere, quibus regulis suas actiones attemperare debeat, etiamsi tam promptè, tam libenter, & tam perfectè idipsum jam quidem præstare nequeat.

CXXXIV. Cum vero Vitium habeat vim corrumpendi principium, sic ut Ratio pravitate morum & exemplorum corrupta non satis agnoscat leges naturales, Deus identidem quasdam ex iis repetiit, & cumprimis tremenda solennitate illas denuo in monte Sinai promulgavit, quæ Decalogi nomine veniunt: cujus si fortè tertium de Sabbatho colendo præceptum eximas, reliquis ejus præceptis omnes homines sunt obligati, sine privilegio, sine dispensatione, sine ulla mutatione. Itaq; prodest tertiò Juris Naturalis disciplina ad rectè intelligenda Decalogi præcepta, omnemq; legem moralem. Huic vero cum homo perfectam obedientiam præstare nequeat, quam tamen illa exigit, singulari Dei gratia ei per alia quædam remedia consultum fuit, de quibus Theologia revelata docet; ut non solùm quartò hæc disciplina prosit ad cognoscendum discrimen istius & Theologiæ Naturalis, sed & luculentissimè innotescat, quantulæ nobis ad vitam bene & juxta voluntatem divinam perfectè agendam suppetant vires, & quanta è contrario erga nos divina gratia exstiterit,

Zuinglius Theſeo, Herculi, Senecæ aliisq; inter gentiles heroibus ſingularem de Chriſto revelationem & ſalutem tribuiſſe fertur. Idem dogma propagare inſtituit Theobaldus Tammerus, Profeſſor Academiæ Marpurgenſis, qui ſuæ Theologiæ duo ſumma capita conſtituit, Conſcientiam & Creaturam. Idem egiſſe dicitur Samuel Huberus Helvetio-Bernas, ſententia Synodi Bernenſis condemnatus. Temeritati proximum eſſe errorem, uti ait Valerius Maximus *lib. 9. cap. 9.* vel hinc agnoſcas: quem cum in hac cauſa nimis crudum & apertum nemo non deprehendat, ejus refutatione non occupabimur. Sexcenta verbi revelati teſtimonia ſolidè evincunt, extra fidem & Chriſtum neminem ſalutis participem fieri poſſe.

CXXXIII. Age ergo videamus, quis tandem ſit cogniti Juris Naturalis uſus. Ejus diſciplinam ſi quis probè excoluerit, primò quidem quadantenus intelliget, quid ſit illa Imago Dei, ad quam Homo primitus fuit creatus. Conſiſtebat illa cumprimis in Juſtitia & Sanctitate, interprete Apoſtolo, *Epheſ. 4. v. 24. Coloſſ. 3. v. 10.* ſic ut Homo non ſolùm voluntatem divinam promptè cognoſcere, & facienda à fugiendis diſcernere, ſed & ſuam voluntatem atque actiones voluntati divinæ exactè conformare, totamq; Dei legem perfectè implere poſſet. Alia quæ de Imagine Dei à Theologis diſputari ſolent, lubens prætermitto. Poſtquam autem Protoplaſti hac perfectione ſe privarunt ſua inobedientia, *Rom. 5. v. 19.* jamq; prolem generaſſent ad imaginem ſuam, *Geneſ. 5. v. 3.* & lumen Intellectus obſcuratum, & varia atque enormis cœpit eſſe Appetitus inclinatio atque fuga. Relicta eſt tamen homini Ratio, quæ ſuis adminiculis aliquam rectitudinem adepta,

Jus

Jus Naturæ cordi inscriptum agnosceret, promulgaret, ejusq; autoritate motus animi compesceret aut refrenaret. Quamvis enim post lapsum homo voluntatem suam voluntati divinæ, & actiones suas normæ Juris Naturalis exactè conformare nequeat, non minus tamen eo post, quàm ante lapsum homo fuit obligatus. Alter igitur hinc redundans usus, isq; longè maximus est, ut sciat homo, quid etiam post lapsum agere in vita omnino, quid sequi, quid fugere, quibus regulis suas actiones attemperare debeat, etiamsi tam promptè, tam libenter, & tam perfectè idipsum jam quidem præstare nequeat.

CXXXIV. Cum vero Vitium habeat vim corrumpendi principium, sic ut Ratio pravitate morum & exemplorum corrupta non satis agnoscat leges naturales, Deus identidem quasdam ex iis repetiit, & cumprimis tremenda solennitate illas denuo in monte Sinai promulgavit, quæ Decalogi nomine veniunt: cujus si fortè tertium de Sabbatho colendo præceptum eximas, reliquis ejus præceptis omnes homines sunt obligati, sine privilegio, sine dispensatione, sine ulla mutatione. Itaq; prodest tertiò Juris Naturalis disciplina ad rectè intelligenda Decalogi præcepta, omnemq; legem moralem. Huic vero cum homo perfectam obedientiam præstare nequeat, quam tamen illa exigit, singulari Dei gratia ei per alia quædam remedia consultum fuit, de quibus Theologia revelata docet; ut non solùm quartò hæc disciplina prosit ad cognoscendum discrimen istius & Theologiæ Naturalis, sed & luculentissimè innotescat, quantulæ nobis ad vitam bene & juxta voluntatem divinam perfectè agendam suppetant vires, & quanta è contrario erga nos divina gratia exstiterit,

quæ hujus pædagogi rigori nos exemit, *Galat. 3. v. 24. 25.* noſtramq; imbecillitatem Spiritus Sancti ope ſuffulſit; ſic ut Juſto lex jam non ſit poſita, non quod juſtus lege non ſit obligatus, ſed quod formidine pœnæ, quam lex minatur, à peccatis non tam abſterrendus ſit, quàm quod Spiritus Sancti ductu ultro legi pareat, Deoq; grata agat, cum homines protervæ improbitatis non niſi ſupplicii metu à libidine peccandi retrahi ſoleant. *1. Timoth. 1. v. 9.*

CXXXV. Sed & eò proficit Juris Naturalis diſciplina, ut intelligamus ejus præcipuè vinculo omnes Societates, & ſpeciatim Civitates, Reſpublicas, liberasq; gentes aut Principes conſtringi ac conſervari. Cum enim quæque Reſpublica ſit αὐτόνομ☉, & altera alterius ſive legibus ſive judiciis obnoxia non ſit, neque commune judicium ab hominibus inſtitutum agnoſcant, niſi fortè ex conventione tale inter ipſas & ab ipſis fuerit conſtitutum, quale, ni fallor, olim fuit inter Græciæ populos Areopagus; Jure Naturæ & Judicio omnium hominum communi harum controverſiæ neceſſum eſt definiantur. Sanè, ſi Jure gentium vel communi vel ſpeciali utantur, atque hinc illæ lites decidi posſint, & hujus magna eſt autoritas. Abſque hoc Jure gentium, aut communi judicio conventionali, debita autoritate prædito, ſi ſit, ſecundum Jus Naturæ illarum cauſæ & actiones examinari atque expediri oportet, quod illius obligationi omnes & ſingulæ ſint obnoxiæ, & tam hujus quam Providentiæ divinæ autoritatem, quæ illud condidit, venerari & piè amplecti debeant. Bene itaque Camillus ad Faliſcorum magiſtrum ait, *Nobis cum Faliſcis, quæ pacto fit humano, Societas non eſt, quam ingeneravit natura utrisque, eſt, eritq. Liv. lib. 2.*

Unde

Unde simul colligitur, labi illos, & errare, qui simpliciter Judiciorum originem à solo instituto humano arcessunt. Meliora docet *Selden. lib. 7. de J. N. G. cap. 4.* quæ confirmat *Bæcler. ad Grot. lib. 1. cap. 3. §. 1. p. 192. & seq. Rob. Maran. de ord. Judic. p. 3. n. 132.*

CXXXVI. Quia vero hæc disciplina non unius ingenii modulo concluditur, sed ex variis monumentis magno labore & judicio conquirenda est, plurimùm ad illam constituendam & locupletandam facere poterunt illarum Rerumpublicarum leges, quæ præ aliis Prudentia Nomothetica excelluerunt: quas inter principatum sibi optimo jure Romana vindicat. Quia vero Pandectarum inprimis volumen frequentes & incomparabiles Juris Naturalis commentationes, & simul cum iis plurimas leges merè arbitrarias exhibet; ideo & hunc usum præstat excultum diligentiùs Juris Naturalis studium, ut hujus capita ab iis, quæ sunt juris positivi, accuratè secernantur. Cum enim causæ civitatum liberarum controversæ non ex his, sed istis sint decidendæ; gravis sæpe oritur inter illas contentio, quod interdum quæ juris positivi sunt æquè illis obtrudantur, quàm quæ ex jure naturali rectè promuntur, naturalemve intellectum habent. *l. 5. ff. de serv. export.*

CXXXVII. Nemini non est cognitum, maximam semper & meritò habitam fuisse Juris Romani autoritatem, partim quod suas leges unà cum imperio & armis soliti fuerint propagare Romani, suiq; juris usum iis regnis, quæ in formulam provinciæ redacta erant, demandare: partim quod cernerent gentes, Romanas leges summa prudentia esse conditas, præcipuam in iis æquitatis rationem habitam, iisq; exactissimas Júris Naturalis explicationes con-

tineri, atque hactenus illarum usum etiam ad se pertinere: partim quod sola opinione, fama, imitatione aliorum, imò etiam errore, atque hoc non uno, sibi illas sine discrimine adsciscerent, quæ arbitraria à naturalibus distinguere, diversas Respublicas, quibus leges accommodandæ alioqui sunt, secernere, aut sibi suo ingenio & judicio leges condere nesciebant. Etsi igitur plurimæ gentes Jure Romano fuerint usæ: illud Reges Hispani Jus commune appellent: Judæi ad illud deficiente lege Mosaica provocent; Turcæ etiam Codicem Justiniani causis decidendis adhibeant; nunquam tamen verum esse demonstrari poterit, Romanos orbi terrarum leges præscripsisse, & quod illud jam omnino habendum sit pro jure naturali & gentium: in quam sententiam multa JCtorum testimonia congessit Arthurus Duck *de usu & autor. Jur. civ. Rom. lib. 1. cap. 2.* & ipse nimio suscepti argumenti studio evagatus,

CXXXVIII. Nam licet illud Romanarum legum systema in summo pretio sit habitum, & nunquam non haberi debeat; hoc tamen à liberis gentibus, quæ prudenter illas admiserunt, hactenus illis est tributum, quatenus Juris Naturalis & æquitatis in iis exquisitissima & uberrima tractatio passim continetur. Cautè igitur rectèq; ait Ludolphus Schraderus, Principes populosq; liberos Romano Imperio non obnoxios, in causis, per leges & consuetudines suas non decisis, legibus Romanis obligari, quatenus sunt fundatæ in ratione naturali. Si quæ igitur sunt civitates liberæ, quæ Jus Romanum non tantùm, qua parte Juris Naturalis explicationes comprehendit, sed & ejus leges arbitrarias complures adopta-

pta-

praverit, sua libertate in iis adsciscendis usæ fuerunt, &, si ita visum sit, in his quidem abrogandis eadem uti poterunt. Apud quas vero istiusmodi conventione vel placito receptæ non sunt, iis Jus Romanum, qua arbitrarium est, nullo modo invitis obtrudi potest, sic ut causæ controversæ inde decidantur. Rectissimè hac de re sensit Jacobus Gothofredus, cujus hæc leguntur verba *dissert. de Imperio Maris*: *Romanis hodie legibus utuntur liberrima omnium regna populiq́, tanquam æqui boniq́ fonte. Quo qui aliter utuntur, na illi perquam suaves sunt, parumq́ sibi consulunt, cum verso hodie regnorum populorumq́ statu in aliam, quam Romanum olim Imperium, formam juri Romano non nisi absurdè quisquam sese illiget. Et prudentissimè omnium Galli, qui eo loco leges Romanas habent, quo & quatenus fontem boni æquiq́: quo simul & dignitati suæ rectè consulunt, & veram juris dicundi orbitam tenent.*

CXXXIX. Quid igitur mirum, si liberæ gentes cum aliis disceptantes leges quasdam Romanas sibi oppositas repudiaverint, quod ab ipsorum placito essent profectæ, vel saltem tales esse, adeoq; nihil ad se pertinere, crediderint. Nota est illa disputatio inter competitores Regni Lusitanici de Jure Repræsentationis, agitata etiam à celeberrimis Hispaniæ Italiæq; JCtis, quorum scripta Bononiæ & alibi prodierunt. Philippus II. Hispaniæ Rex repræsentationem, ceu Juris arbitrarii Romani placitum, admittere nolebat. Qui hodie ibi imperium tractant, illa cumprimis nituntur. De Jure primogenituræ item sæpius disputatum, creditumq; fuit, ut memorat Justinus *lib. 16.* Ptolemæum Ægypti regem contra jus gentium minimo natu ex filiis regnum tradidisse.

disse. Ita quoque circa adquisitionem & alienationem rerum jure Romano arbitrario positivo quædam sunt constituta, quæ liberi populi ac principes nihil ad se pertinere arbitrabuntur. Non equidem nescio, etiam modò allata exempla adscribi solere Juri Naturali: id quod ego nunc non disputo, sed hoc solùm moneo, quando ajunt, aliquid habere fundamentum in Jure naturali vel æquitate, esse his consentaneum; has similesq; loquendi formulas ambiguè dici, & difficillimè sæpe expediri posse, quid revera sit Juris naturalis, & quid Arbitrarii. Quo vero quis feliciùs in Jure Naturali profecerit, eò rectius hoc à Positivo discernere, & summorum Principum ac Rerumpublicarum gravissimas controversias arbitrari poterit.

CXL. Utilissima quoque est Legislatoribus Juris Naturalis cura, nequid sanciant, quod illi sit inimicum & adversum; id enim cum effectu obligationis fieri non posse, sed & legislatores talem normam præfinientes, & subditos judicesq; eam sequentes peccare, supra ostendi. Itaque in pulcherrimo Juris Romani corpore tanquam deformes verrucæ exstant illæ leges, quæ jus vitæ & necis in liberos servosq; patrùm herorumq; arbitrio permiserunt. Et hanc & quoque SCti Syllaniani crudelitatem detestatur Jus Naturæ. Cum enim præfectus urbis domi suæ fuisset occisus, memorat Tacitus, eam fuisse illius SCti vim, ut quadringenti servi, sine ætatis & sexus discrimine, etiam hi, quorum non dubia innocentia erat, fuerint occisi. *Add. l. un. C. de emend. serv. & l. 2. ff. ad l. Aquil.* ubi servi quadrupedibus invito jure naturæ æquiparantur. *In mancipio cogitandum est, non quantum illud*

impu-

impune pati possit, sed quantum tibi permittat æqui boniq; natura; inquit Seneca *lib. de clement. c.18.* cujus etiam hæc sunt ibidem: *Cum in servum omnia liceant, est aliquid, quod in hominem licere commune jus animantium vetat, qui ejusdem naturæ est, cujus tu.* Indignissima quoque Christiano Imperatore est *l. 4. C. de malef. & mathem.* qua Constantinus artes magicas permittit, quibus fortè quis ægrotis medeatur, aut à viribus & frugibus calamitates, imbres, grandinesq; avertat. Et quamvis nonnulli commoda interpretatione subvenire studeant Imperatori, ac si hæc ejus lex non de incantamentis, sed lustrationibus agrorum, quæ publicè decantatis litaniis fiebant, intelligenda sit, *Nov. 123. cap. 32.* frustra tamen hos esse, verba nimis manifesta evincunt, eoq; nomine Albericum Gentilem reprehendit Jac. Gothofredus *ad l. 3. C. Theodos. de malef. & mathem.* Itaque hæc lex jure merito postea abrogata fuit à Leone *Nov. 65.* & quoque omissa est in Basilicis: ceu videre est ex *lib. 60. tit. 39.* Idemq; testatur Balsamo ad Photii *Nomocan. t. 9. c. 26.* Obelo quoque sunt transfigendæ illæ leges, quibus αὐτοχειρία propter tædium vitæ, pudorem æris alieni, similesq; causas permittitur, vel saltem impunis esse jubetur. *l. 6. §. 7. ff. de inj. rupt. l. 45. §. 2. ff. de jur. fisc. l. 38. §. 12. ff. de pœn. l. 6. §. 7. ff. de re milit. l. 11. §. 3. ff. de his qui not. infam.* Duplex vero impietas invito Naturæ jure impunitatem habet ex *l. 3. §. 5. ff. de bon. eor. qui ante sent.* ubi JCtus ait, Hadrianum rescripsisse, si pater sibi manus intulisset, quod diceretur filium suum occidisse, magis dolore filii amissi mortem eum sibi irrogasse videri, & ideo bona ejus non esse publicanda.

CXLI. Et quid dicam quam non solum utilis, sed

 pla-

planè sit necessaria hæc disciplina Judicibus atque Jurisconsultis, ut ab istis cuique facto convenienter jus applicetur, ab his omnis juris recta instituatur interpretatio. Factum, ejusq; circumstantias, & meritum quomodo quis rectè dijudicabit, nisi hujus disciplinæ principia probè noverit, atque de libertate, animo, consilio & proposito agentis, aut de dolo, errore, vi, metuve hinc statuere, actionemve justam vel injustam & quidem diversissimis gradibus pronunciare possit? Idcirco frequenter JCtos veteres profiteri videas, *secundum ea, quæ proponebantur*, se respondisse. Et Alphenus super facto consultus respondit, *In causa jus esse positum l. 52. §. 2. ff. ad l. Aquil. Ex re jus constituendum* esse dixit Marcianus *l. 1. §. 3. ff. ad l. Corn. de sicar.* Quid quod Naturale jus suppleat cujusvis Arbitrarii juris ἐλλείμματα & defectus. Hoc enim cum omnibus causis & casibus singularibus plane non provideat, ad Jus Naturæ & æquitatem naturalem recurrendum est. Huc facit illud Pomponii *l. 2. §. 5. ff. de aq. pluv. arc. Hæc æquitas suggerit, etsi jure deficiamur:* & illud Modestini *l. 13. §. 7. ff. de excus. Sufficit fidem formare ex ipsa naturali justitia.* Interpretationi vero juris tantùm præbet Juris Naturalis disciplina usum, ut qui hanc ignoraverint, vel insuper habuerint, Jurisconsulti nomen nec mereri, neque usurpatum tueri possint. Si quis enim v. g. Juris Romani leges hactenus tantùm cognitas habeat, ut sciat, quid ab iis justum vel injustum pronuncietur, neque rationem illarum perspiciat, conclusiones ad principia revocare, decisiones ex genuinis rationibus arcessere nesciat; is illarum legum tantùm historicam peritiam est adeptus: & si fortè existimet, se illarum scientiam consecutum esse, erit tamen illa non

alia

alia, quàm quæ κατὰ συμβεβηκός, *per accidens*, Philoſopho dicitur. Nam *ſcire leges non eſt, verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem*, inquit Celſus *l. 17. ff. de legibus*.

CXLII. Quamvis autem hæc diſciplina per multa ſecula tanquam obſoleta & detrita veſtis videatur abjecta, & nihilominus Romanæ aut aliarum civitatum leges à ſummi ingenii viris fuerint explicatæ, & horum exemplo ſe tueri nonnulli, & apertè contemnere ac calumniari Juris Naturalis ſtudium ſoleant; ea tamen re à vera ſententia nihil dimoveor. Etſi enim multi legum interpretes ſingulari quadam ſolertia ac ſagacitate verum deprehenderint, hoc tamen non veræ ſcientiæ, ſed ſingulari ingenii felicitati, imò etiam providentiæ divinæ erit tribuendum: cum aliàs itidem conſtet, hujus diſciplinæ ignorantiam tot errorum ſymplegadas, opinionum varietates, atque has communes contra communes, uti ajunt, peperiſſe. Quibus tricis atque labyrinthis ut tandem nos expediamus, non aliam, ſaltem meliorem rationem aliam inire aut comminiſci nequeunt, quotquot veræ Jurisprudentiæ laudem habent & merentur, quàm ſi Jus Naturale diligentisſimè excolatur. Expendat quis totum Digeſtorum volumen, & deprehendet Juris Naturalis ſciens, hujus ſolida cognitione JCtorum infinitas easq; juſtisſimas æquisſimasq; concluſiones ſubnixas eſſe. Scripſit olim Salvius Julianus ſingularem librum de Ambiguitatibus, & Herennius Modeſtinus de Enucleatis caſibus: qui ſi ſuperesſent integri, fortè evidentius idipſum malè credulis demonſtrarent. Quamobrem etiam ex recentioribus quidam in hanc curam incubuerunt, ut rectæ Interpretationis fontes commonſtrarent, *Raymundus de Forolivio de Inter-*

 pre-

pretatione in genere, Constantinus Rogerius de Interpretatione juris, Stephanus de Federicis Brixiensis de Interpretatione legum, Lanfrancus de Oriano de Interpretatione Statutorum, Mantica de tacitis & ambiguis conventionibus, Simon de Pratis de interpretatione ultimarum voluntatum, Camillus Gallinius de verborum significatione. Et quid multa? Præcipua à Judicibus & JCtis ratio æquitatis habenda, ejusq; singularis cura illis legibus demandata est. *l. 4. §. 1. ff. de eo quod cer. loc. l. 8. C. de judic.* quæ cum ex penetralibus hujus disciplinæ sit petenda, ipsaq; Jurisprudentia ideo describatur ars boni & æqui, quod leges interpretaturus JCtus inprimis æquitati studere debeat, nemini non liquet, Juris Naturalis usum latissimè patere, ejusq; studio & scientia JCtos & Judices præ aliis excellere debere.

CXLIII. Osiander in Tractatu sæpius memorato Juris Naturalis disciplinam ad tria cumprimis capita prodesse ostendit, 1. Numinis inquisitionem *th. 61.* 2. Honestatis studium, *th. 70.* 3. Justitiæ & disciplinæ externæ in Societate hominum conservationem, *th. 73.* monetq;, circa hunc usum alios peccasse in Excessu, alios in Defectu. Isti qui sint, cognosci posse ait apud Sixtum Senensem, Casaubonum, & Montacutium: Atque iis mox accenset Andradium, Franciscum à Victoria, Pererium, Casalium, Maldonatum, Zuinglium, Edoardum Baronem Herbert, Marcum Antonium de Dominis, Arminianos quosdam & Wigelianos. Ad alteram classem refert Szydlovium, & præter alios nonnullos etiam (immeritò ni fallor) Hugonem Grotium: & contra utrosque satis ibi prolixè disputat. Hæc de Jure Naturæ disseruisse sufficiat. Memores verò promisi, jam Mantissæ loco quædam adjiciemus de *Virtute Morali, & Bona Indole.*

De

DE

VIRTUTE MORALI.

I.

CUm multæ diverſæq; ſint Animæ humanæ Facultates, (de quibus ſæpe jam aliàs diximus) quæque autem Facultas ad proprium munus à Natura ſit deſtinata, ut quæ nihil facit fruſtra; illo tamen munere tum demum rectè fungitur Facultas, ſi convenienti ſibi Virtute inſtruatur ac perficiatur. Quemadmodum enim Virtute deſtituta non minus in ſuo munere malè quàm bene verſabitur, ita hac inſtructa non niſi bene ac rectè illud tractabit. Sunt vero Animæ duæ principes Facultates, Intellectus & Appetitus. Utraque ſuis perficitur Virtutibus, quarum quidem adminiculo Intellectus ſine errore perſpicere ac enuntiare poſſit verum vel falſum, illud affirmando, hoc negando. Appetitus autem ſuarum virtutum præſidio munita ne erret vel in perſecutione boni, vel in fuga mali. *Quod enim in Intellectu eſt Adſirmatio aut Negatio, hoc eſt in Appetitu perſecutio & fuga. 6. Nicom. 2. §. 4. Atque ex hac animi diviſione ac differentia, virtutis quoque diſtinctio partitioq; naſcitur: alias enim Virtutes appellamus Διανοητικάς, alias Morales,* inquit *1. Nicom. ult. §. 31. 32.* Quæ Virtutes ſi abſolutè inter ſe conferantur, nullum eſt dubium, quin Dianoëticæ multò ſint præſtantiores Moralibus: at in doctrina morali Morales nihilominus præcipuam habent ſignificationem.

II. Decretum vero nobis non eſt ſingulas Virtutes morales, aut aliquam ejus ſpeciem jam explicare, ſed ad Jus Naturæ plenius intelligendum Virtutis in-

 gene-

genere consideratæ naturam evolvere. Et quidem methodum Aristotelis secuti, primùm inquiremus, quæ ejus sit causa efficiens. Illa hoc doctore non est una, sed triplex, φύσις, λόγος seu διδαχὴ, ἔθος, *Natura, Doctrina, Adsuefactio. 10. Nicom. ult.* §. *12. seqq. 7. Polit. 13. & 15.* Plutarchus quoque requirit φύσιν, μάθησιν, ἄσκησιν, *Naturam, Disciplinam & Exercitationem.* Natura, φύσις seu εὐφυΐα, naturæ bonitas Ciceroni, ad virtutes faciliùs & perfectiùs imbibendas singularem ac nativam propensionem benefica largitur manu; *Unaquaque enim virtus moralis in omnibus hominibus quodammodo videtur inesse natura. 6. Nicom. ult.* §. *3.* Quomodo vero hæ Naturales virtutes differant à Moralibus, ex *2. Magn. Moral. c. 3.* paucis ostendemus. In naturalibus virtutibus, solum dicimus impulsum sine ratione ad honestatem esse oportere. Virtutem perfectam esse dicimus, quæ conjuncta cum prudentia sit, non utique ad honestum tendens citra naturalem impulsum; neque enim virtus virtuti adversabitur. Cœterum quid ad perfectam Virtutem Moralem omninò conferat Natura, ex altera Mantissa evidentiùs constabit.

III. Cum autem veterum nonnulli Naturæ plus æquo in productione Virtutis Moralis tribuissent, non uno illam sententiam argumento destruit. Primò quidem tale proponit Principium *2. Nicom. 1.* §. *5. Nihil eorum, quæ naturâ constant, adsuefaciendo potest adfici aliter, quam est à natura comparatum.* Idq; mox inductione duorum singularium illustrat, *Ut lapis,* inquiens, *qui deorsum fertur natura, nulla ratione adsuefieri possit, ut sursum moveatur, ne quidem si decies millies aliquis eum sursum jaciens adsuefacere conetur: neque ignis unquam ut deorsum feratur.* Alterum prin-

principium hoc proponit: *Quæ nobis à Natura obveniunt, eorum potentias prius accipimus, posteriùs energias sive actiones obimus* §. 7. Neque enim, inquit, videndi aut audiendi facultatem acquisivimus sæpe videndo aut audiendo: sed has potentias à natura jam nacti videmus & audimus. Ut vero quis ex Virtute agere possit, necessum est crebris convenientibusq; actionibus illum habitum sibi comparet. Qua in re Virtus est Artibus similis. Nec enim quis sine arte ædificii compagem concinnè exstruet aut committet: nec fides scitè pulsabit, arte hac destitutus; ita nec justè, nec temperanter vivet, talesq; actiones proferet quis sine habitu justitiæ & temperantiæ. Habet præterea alias rationes, quas omittimus.

IV. Doctrina quidem plurimum potest in Virtutibus Dianoeticis acquirendis, *2. Nicom. 1. §. 2.* non item in Moralibus. Ita enim loquitur *10. Nicom. ult. §. 14. Ratio & doctrina fortasse non satis validæ sunt ad virtutem* (moralem) *inducendam causæ.* Aliquid sanè Institutio & Doctrina ad hanc rem proficit, ut intelligere discat tener animus, quid rectum sit in vita, quid minus. Ut autem huic Doctrinæ firmum tribuat adsensum, &, quod rectum est commonstratum, sequatur, quod turpe, fugiat, aliunde animus accipit, non à Doctrina. Hinc eleganter Aristoteles illos, qui de bonis moribus crebrò philosophantur, aliosve differentes audiunt, animum autem ad adsensum ipsamq; praxin capessendam dispositum non habent, comparat iis ægrotis, qui quidem Medicos consulunt, cum iis de sanitate recuperanda deliberant, pharmaca præscripta conficienda curant, sed iis non utuntur. Proinde uti his ea ratione sanitas nunquam restituetur,

ita

ita nec istos unquam bonos aut felices fore ait. *2. Nicom. 4. §. 17. seqq.*

V. Præcipuum momentum est situm in debita Adsvefactione, ceu ipsum arguit etymon græcum, Ἠθικὴ enim hæc dicitur Virtus ἐξ ἔθους, quod certo more & adsuefactione comparetur. *2. Nicom. 1. §. 3.* Hæc quid possit, passim docet, & cumprimis *cap. ult. d. Operis §. 14. seqq. Oportet prius animum auditoris excoli moribus, ut rectè gaudere & dolere possit: non aliter, quàm terram, quæ proferendi seminis facultatem habitura sit, prius probè excultam esse oportet.* &c. Imo, inquit alibi, uti citharœdus aliquis fit, crebro pulsando citharam, & bonus citharœdus, si concinnè pulset, malus vero, si absurde; ita temperantiæ studiis, actionibus justis, fortibus adsuefacti, redduntur temperantes, justi, fortes. Aliis contrariis dediti actionibus, usu illo & adsuetudine paulatim efficiuntur intemperantes, injusti, ignavi. Quamobrem graviter nos monet Philosophus *2. Nicom. 1. §. 19. 20. Itaq; danda opera est, ut actiones nostras certo quodam modo conformemus. Harum enim differentias habitus differentes ac dispares consequuntur. Non ergo parùm refert, sed perquam multùm, sicne, an sic à pueris adsuescamus. Imò vero totum in eo positum est.*

VI. Hæc Adsuefactio, uti apparet, necessum est certo modo sit comparata, si quidem ex illa Virtus generari debeat; secus enim si sit adfecta, tantùm abest ut Virtus, ut potius inde generetur Vitium. Duo igitur sunt hic consideranda: primò ipsum Subjectum, quod agit, seu adsuescendo Virtutem quærere adfectat. Deinde quales ejus debeant esse actiones. Nec enim quis Justus aut Fortis erit, ex actionibus quomodocunque justis aut for-

fortibus. Non solùm enim spectandum est, an aliquid sit Justum & Honestum, sed cumprimis an etiam justè & honestè sit factum. Ita qui mutuum invitus solvit, aut depositum invitus reddit, justum quidem facit, non autem justè. Justus igitur ut verè quis sit, necessum est, actio justitiæ regulis sit conformis, & ut etiam animus agentis ita sit adfectus & dispositus, quemadmodum ejus est, qui Justitiæ habitu revera præditus est, & quomodo is per talem habitum agere solet. Atque ita se etiam res habet in cæteris virtutibus. Hoc ipsum his significat verbis Philosophus *2. Nicom. 4. §. 15. Justus & temperans est, non qui has res* (τὰ δίκαια καὶ σώφρονα, *justa & temperantia,*) *agit tantùm, sed qui ita agit, ut justi & temperantes homines solent.*

VII. Quomodo igitur ipse agens, seu animus ejus, debeat esse adfectus & dispositus, his tradit verbis d. c. §. 7. *Virtutis opera, non si ipsa cujusdam modi sint, justè aut temperanter facta sunt, sed si is quoque, qui agit, certo quodam modo conformatus illa agat. Ac primùm quidem si sciens,* εἰδώς. *Deinde si* προαιρούμενος, *deliberato animi proposito, & quidem* προαιρούμενος δι' αὐτά, *ut ipsius honestatis studio hoc animi propositum excitetur. Postremò, si firma, perpetua & constanti voluntate agat.* His qualitatibus debet esse præditus agens, qui perfectè velit esse bonus. Hæ tamen omnes, si rem rectâ lance expendas, continentur in perfecta προαιρέσει. Hæc enim & scientiam, & similiter agendi constantiam utique in se continet. Sciens debet agere, non temerè aut fortuito, προαιρούμενος, consilio capto seu deliberatione præmissa diligenti, & προαιρούμενος δι' αὐτά, ipsius honesti amore ac studio actiones honestas

aggredi, non ob aliud extrinsecus positum, quod vel cupiditatem excitare, aut formidinem injicere possit: deniq; constans animi propositum adesse debet, perpetuò sic & non aliter agendi.

VIII. De Actionibus vero, quales illæ esse debeant, subtiliter sanè differit. Diximus habitus morales gigni ex actionibus, sic, ut quales hæ fuerint, tales quoque sint exstituri habitus, ex bonis actionibus Virtutes, ex improbis Vitia. Deinde supponit Philosophus, Virtutem omnem, sive Moralem, sive Dianoëticam, perficere suum subjectum. Quid enim est Virtus oculi, equi, hominis, quam horum subjectorum perfectio? Verba Philosophi hæc sunt: *Dicendum est, Virtutem omnem, & id, cujus ipsa virtus sit, bene adfectum reddere, & opus ejus dare rectum ac perfectum. 2. Nicom. 6.* §. *2.* Hoc itaque primò notetur, Virtutem & perficere suum subjectum, & actiones ejusdem.

IX. Deinde animadvertendum est, cum Virtus generetur ex actionibus sui similibus, Actiones generaliter consideratas capaces esse ejus, quod est Nimium, & ejus, quod est Parum, & ejus, quod est Medium. Hoc ita ostendit *2. Nicom. 6.* §. *7. In omni re continua ac dividua & Plus, & Minus, & Æquale sumere possumus.* Sub hoc Principio subsumit: Atqui Actiones & Adfectus sunt aliquid continuum & dividuum, *συνεχὲς καὶ διαιρετὸν*, Ergo in Actionibus & Adfectibus locum habet Plus, Minus, & Æquale, seu, Nimium, Parum & Medium. Minorem hujus Syllogismi ita probat *2. Eudem. 3. ἡ μὲν γὰρ κίνησις, συνεχές. ἡ δὲ πρᾶξις, κίνησις. Motus enim continuum quiddam est: actio vero est motus.* Neque dispar hactenus est ratio Adfectuum.

fectuum. Ita irasci, dolere, lætari & nimium licet, & parum, & intra modum seu mediocriter: & sic in cæteris se res habet. Sunt vero Adfectus non quidem per se Continui & Divisibiles, sed per accidens; nec enim sunt in prædicamento Quantitatis, sed dividi dicuntur ratione motus, cujus vel nimis magna, vel nimis contracta, vel moderata potest esse sive ἐπίτασις sive ἄνεσις. Vid. 6. *Nicom.* 1. §. 2. Scilicet hic quoque Aristoteles boni Doctoris munere fungi, & captui Auditorum suorum se accommodare studuit, qui Mathematicis disciplinis erant initiati: itaque non raro etiam practicæ doctrinæ quasdam inspergit hypotheses ac propositiones Mathematicas.

X. Progreditur jam hinc, & porrò colligit Philosophus, Actiones Nimium aut Parum in se habentes corrumpere ac destruere subjectum, ejusq; actiones, solas Medium tenentes perficere subjectum, ejusq; functiones. *τοιαῦτα πέφυκεν ὑπὸ ἐνδείας καὶ ὑπερβολῆς φθείρεσθαι*: inquit 2. *Nicom.* 2. §. 10. Quæ ejus sunt conditionis, ut capaces sint & Excessus & Defectus & Medii, illa ab eo, quod est Nimium & Parum, corrumpuntur, à Medio vero perficiuntur & conservantur. Id quod facili negotio inductione facta confirmatur, atque ipse Philosophus perspicuis ibi declarat exemplis. Nam & nimia corporis seu violenta exercitatio, & ignava ac mollis valetudinem attenuat & destruit, moderata illam conservat. Nimius quoq; cibus potusq; opprimit vires corporis, exiguus & deparcus enervat, moderatus illas reficit. Similis est ratio in actionibus moraliter consideratis: Omnia timere aut cupere, &, nihil timere aut cupere, animum hominis vitiat: & prudenter timere aut non timere, utrobi-

que ὡς δεῖ, *seu oportet*, animum perficit. Ipse inspiciatur Aristoteles *2. Nicom. 2.* à §. *10.* usque ad *15.*

XI. Prono hinc fluit alveo talis collectio: Cujus naturæ sunt Actiones, ex quibus generatur Virtus, ejusdem quoque illa ipsa naturæ erit: Illæ vero ejus sunt naturæ, ut ubique teneant Medium; Itaque & Virtutis eadem erit ratio & natura, ut teneat Medium. Hic vero ut alios evitet scopulos, Philosophus monet *2. Nicom. 6.* §. *7. seqq.* Medium esse duplex, unum Rei, alterum πρὸς ἡμᾶς, ad nos. Medium rei appellat, quod æqualiter abest ab utroque extremo, idq; unum & idem dicit esse omnibus, idq; sequi ait proportionem arithmeticam. e. g. *si decem, multa: duo pauca sunt: sex, medium ad rem sumi oportuerit. Æqualiter enim superant & superantur.* §. *11.* Medium ad nos appellat, ὃ μήτε πλεονάζει, μήτε ἐλλείπει, *quod neque excessu nec defectu laborat:* idq; non esse unum idemq; omnibus, manifesto etiam illustrat exemplo. Si more veterum pugiles sint alendi certis ciborum libris aut pondere, nec copiosior, nec parcior cibus est præbendus, sed moderatus & conveniens. At hic Modus seu Medium non est idem omnibus. Nec enim, si duæ libræ ciborum nimis exiguæ sint, sint etiam nimis multæ decem libræ, omnibus & singulis, qui in palæstra exercentur & ab alipta aluntur, conveniens erit pondus sex librarum. Parum enim & hoc fuerit Miloni, multum seu nimium tironi. Medium igitur illud πρὸς ἡμᾶς est intelligendum & spectandum cum χέσει, eaq; non simplici. Quando igitur dicitur, Virtutem gigni ex actionibus tenentibus Medium, illud designatur, quod est πρὸς ἡμᾶς: adeoq; & ipsius Virtutis natura in hoc Medio consistet, respiciente agentem, imò singulas actio-

actionis circumstantias, quæ actioni moralitatem addere, aut illam augere vel elevare possint: cum è contrario Medium rei sæpe sit futurum in vitio. Ita v. g. aliter Medium hoc πρὸς ἡμᾶς tenebit in irascendo Pater, aliter Judex, aliter hostis. Aliter quis medium tenebit in lugendo obitum conjugis, aliter vicini. Aliter quis medium tenebit lætando manubiis, aliter victoria. *Ad hunc ergo modum sciens omnis* (πᾶς ἐπιστήμων) *Nimium & Parum fugit: Medium inter hæc exquirit, atque id exoptat: Medium inquam, non rei, sed illud, quod est ad nos.* Verba sunt Philosophi d. l.

XII. Non solùm autem Virtus ex actionibus medium πρὸς ἡμᾶς observantibus gignitur, sed ex his genita & perfecta similes prorsus actiones, medii ejus observantissimas producit. Et sicut Vitium gignitur ex actionibus à Medio illo exorbitantibus, ita illud ex his genitum non nisi tales actiones, vel ad Excessum, vel ad Defectum declinantes producit. Hoc significat his verbis Philosophus *2. Nicom. 2. §. 15. Neque solùm ortus & incrementa atq; interitus habituum ex iisdem, & ab iisdem proficiscuntur: sed etiam energiæ sive actiones in iisdem versari reperientur.* Exempla, quibus hæc illustrat, isthic legi poterunt. Notum aliàs est ex Physicis: Quale quidque est, tale generare sui simile: quod etiam hic locum invenit. Si igitur Virtus non solùm generatur ex actionibus Medii πρὸς ἡμᾶς observantibus, sed & ipsa genita tales actiones producit, necessum est, Virtutis naturam in tali consistere Mediocritate: Prius est verum; itaque & posterius.

XIII. Utitur etiam alio quodam argumento, quo idem probare vult, etsi mea sententia parum ponderis ei

 insit.

insit. Si omnis ars tum demum perfectè suum opus absolvit, si in illo efficiendo medium sibi & proposuerit, & tenuerit, multò magis Virtus in suis operibus seu functionibus Medii studiosa erit: Verum est antecedens; ergo & consequens. Connexionis hanc dat rationem, quòd Virtus omni arte limatior ac melior sit. Antecedens probat trito loquendi usu. Quando enim opus aliquod artificis laudatur, ut concinnè & affabrè factum, complementum elogii vulgò esse solet, opus illud itaſcitè & accuratè esse factum, ut nec demi ei quidquam nec addi sine vitio possit, eo ipso Medium in opere artificioso comprobantes; id quod multò magis in Virtutis operationibus laudabitur, ut pote Arte multùm præstantioris. Videatur *2. Nic. 6. §. 15. seqq.*

XIV. Cum igitur demonstratum sit Actionum & Adfectuum motum, modò ad Excessum, modò ad Defectum posse declinare, modo tenere Medium, apparet, quandam moralem ἐπίτασιν καὶ ἄνεσιν, *intensionem & remissionem* in iis locum habere, atq; hoc omnino exigi à quovis homine, ut debito modo illam intensionem & remissionem Honestati attemperet. Hoc enim est tenere Medium πρὸς ἡμᾶς, & agere ὡς δεῖ, observare τὸ δέον & τὸ πρέπον, *id quod fieri oportet, atque addecet.* Hinc cum docuisset Philosophus, hoc Medium à Virtute esse observandum, ita pergit *2. Nicom. 6. §. 16. seqq. De ea Virtute loquor, quæ ad mores pertinet. Hæc enim in perturbationibus atq; actionibus versatur, in quibus est Nimium, & Parum, & Medium. Ut timere, fidere, concupiscere, odisse & aversari, irasci, misereri, atq; (ut semel dicam) gaudere & dolere potest quisque nimium, & parum: atq; utrumque non rectè. At vero qua* tem-

tempore, & propter quam causam, & quibus, & cujus rei gratia, & quomodo oportet his affectibus commoveri; id sanè & Medium est, & optimum; id quod Virtuti convenit. Eodem quoque modo in Actionibus nimium, parum, medium reperitur.

XV. Cæterùm cum tale Medium ubique tenere valde sit difficile, atq; hoc ipsum sit centrum Honestatis, quæritur, quo subsidio usi illud nobis attingere liceat? vel, quonam instrumento illam ἐπίτασιν & ἄνεσιν adfectuum & actionum moderari liceat? Verbo dicam, Ratione; non tamen qualibet, sed & ipsa sua perfecta Virtute esse debet, quali utitur Vir bonus & Prudens, seu quæ Recta solet appellari Ratio; Ratio enim Practica fit Recta per Prudentiam. Hinc cum instituisset. 2. *Nicom.* 2. disputare, quo pacto reddamur Boni, ita loquitur §. 3. τὸ μὲν οὖν κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον πράττειν, κοινὸν, καὶ ὑποκείσθω. *Agendum quidem esse secundum rectam rationem,* (si bonus esse velis) *communis omnium sententia est, quam supponemus.* Supposuit vero eo consilio, ne violaret methodum, & suo loco uberius Rectæ Rationis naturam declararet.

XVI. Huic quoque fundamento innititur ipsa Virtutis Moralis definitio Aristotelica: quæ hæc legitur 2. *Nicom.* 6. §. 26. *Virtus est habitus proæreticus, in medietate consistens illa, quæ ad nos, secundum rectam rationem, pro judicio viri prudentis.* Ipse Philosophus sua lingua loquitur accuratiùs: ἔστιν ἄρα ἡ ἀρετὴ ἕξις προαιρετικὴ, ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς, ὡρισμένη λόγῳ, καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε. Habitus est. *Quæ enim in anima existunt, tria sunt, Adfectus, Potentiæ, Habitus:* inquit 2. *Nicom.* 5. §. 2. Cumq; docuisset ibi, Virtutem moralem, non esse meram Potentiam, nec Adfectum, tertium erat reliquum, esse Habitum; est

est enim Virtus hæc bonum animi. Habitus ille est προαιρετικὸς, propter illa requisita, quæ explicata sunt supra *th. 7.* & omnia in προαιρέσει insunt. Hic Habitus consistit in Medio seu Mediocritate, non qualibet, sed illa, quæ est πρὸς ἡμᾶς. Ecqua vero est illa πρὸς ἡμᾶς Mediocritas? Cui modum ponit Ratio, nec tamen etiam illa qualiscunque, sed quali utitur Vir Prudens. Unde etiam illud Medium πρὸς ἡμᾶς dicitur Medium Rationis. Ut nihil aliud sit *Mediocritas* illa, in qua Virtutis naturam & officium collocavit, quam *debita actionum & adfectuum, omniumq; circumstantiarum illis connexarum, ad debitum finem à Prudentia profecta & directa moderatio. Add.* Cirellus. *Eth. Arist. p. 2. cap. 5.*

XVII. Cum igitur verbo solùm indicasset libro 2. Bonos non fieri per Rectam Rationem, ejusq; explicationem distulisset, ita infit differere cap. 1. libri 6. *Nicom. Quoniam suprà diximus, Medium esse deligendum, non nimium, neque parum; Medium autem ita esse, ut Recta Ratio præscribit, de hoc distinctius disseramus. In omnibus enim, quos dixi, perinde ut in aliis quoque habitibus, scopus aliquis est, quem spectans is, qui rationis est particeps, tum contentionem adhibet, tum remissionem: Est item terminus aliquis earum mediocritatum, quas inter nimium & parum interiectas esse dicimus, Rectæ Rationi consentaneas.* Interest hic audire Græcum Paraphrasten ex translatione Heinsii: *In omnibus de quibus egimus habitibus* (moralibus) *sicut & in aliis actionibus habitibusq;, scopus est aliquis, in quem is intuens, qui recta ratione est præditus, ejusq; sequitur imperium, quæ minora sunt quàm oportet intendit, quæ majora sunt contrahit: sive adfectus ii,*

sive

sive actiones sint, sive aliud quodcunque, quod aut intendi potest aut remitti. Estq; quasi regula aliqua & terminus, (ὅρος). *quo medium illud, quod ex rectæ rationis præscripto fieri, interq; excessum esse & defectum dicebamus, cognoscitur. Quare necesse est, eos, qui hanc consequi medii scientiam volunt, terminum quoque ejus perspectum habere & regulam. Hoc vero est Recta Ratio.* Toto deinde libro VI. occupatus est Aristoteles, in explicanda natura Rectæ Rationis, hoc est, Prudentiæ. Nam ὀρθὸς λόγος, ὁ κατὰ φρόνησιν, *Recta Ratio est ea, cui Prudentia moderatur.* Et ὀρθὸς λόγος περὶ τῶν τοιούτων, ἡ φρόνησίς ἐστιν, *Recta talibus de rebus Ratio, est Prudentia. 6. Nicom. 13. §. 17. & 21.* Et licet benè multa etiam ibi recitet de aliis Virtutibus Mentis, id potissimum fit ideo, ut tantò luculentiùs appareat, quid Recta Ratio, hoc est, Prudentia differat à reliquis Virtutibus διανοητικαῖς. De qua superiori Dissertatione plura diximus.

XVIII. Tum demum vero Aristoteles suo officio se satisfecisse existimabat, si non solùm in genere de Virtute hoc πρὸς ἡμᾶς Medium demonstrasset, sed etiam specialem διαγραφὴν adornaret, atque in ea cum singulas Virtutes in medio positas, tum hinc atq; hinc earundem Extrema, habitus vitiosos, repræsentaret. Nam

Virtus est medium vitiorum & utrinque reductum.

Oportet, inquit *2. Nicom. 7. §. 1. & 2. autem hoc non modò universè dici, sed etiam ad singulas species congruere. Disputatio enim de actionibus ea, quæ in genere universo versatur, inanior est.* (λόγοι κενώτεροι secundum vulgarem lectionem. Paraphrastes græcus legit, λόγοι κοινότεροι) *Illa vero quæ partes & species explicat, verior.* Hanc διαγραφὴν toto illo Capite exhibet, & quod in genere de Virtute Morali docuit,

 illam

illam esse Mediocritatem quandam, positam inter Extrema vitiosa, in singulis ejus speciebus ostendit. Cum vero in illa descriptione multa multi desiderent, & specialem hanc designationem nec satis doctrinæ generali convenire, nec hanc ipsam benè se habere putent, in varias miser Aristoteles reprehensiones incurrit; non equidem ἄμεμπτος, ut qui homo fuerit, magis tamen emendationem & notam meritus in aliis, quàm fortè in hoc argumento.

XIX. Illas igitur objectiones videbimus, & expendemus, observata tamen regula illa methodica, quam proponit Philosophus *1. Nicom. 4. §. 7. Omnes quidem quæ feruntur opiniones ad calculos revocare fortasse operæ pretium non fuerit: satiusq; erit, eas potissimum, quæ sunt insigniores, quæq; aliqua ratione niti videntur, in medium proferre.* Proinde si Grotio (at quanto Viro!) satisfieri nostra responsione & ἀναλύσει dubitationum queat, puto reliquas, quæ moveri queant, aut motæ sint, rationes sua sponte, certè facili impulsu, collapsuras esse. Quod dum molior, aut ago, nemo velim Grotii studio meam operam calumnietur. Jure enim meo utor, libertate philosophandi, quæ omnibus veri studiosis semper debet esse integra: atq; ita existimet, me Grotium nihilominus facere maximi, etsi nonnunquam humani aliquid passus sit. Nec enim magnorum hominum autoritate disputationes philosophicæ, sed rationibus decernendæ sunt, testimoniis vero ejusmodi illustrandæ ac confirmandæ. Sed neque meæ sententiæ suos quoque patronos deesse quis putet. Nam rectè intellectus Aristoteles suæ causæ defendendæ vel solus suffecerit. Inter recentiores est mihi unus instar omnium sapiens Melanchthon, qui ita scribit in Epistola ad Christia-

ftianum Pontanum, Epitomæ Philosophiæ Moralis præfixa: *Quid quod hoc nomine etiam amanda sunt Aristotelis Ethica, quod unus vidit ac deprehendit Virtutes esse Mediocritates: qua descriptione eruditissimè monet, impetus animorum ad moderationem flectendos & retrahendos esse.*

XX. Grotius itaque in Prolegomenis præclari Operis de Jure Belli & Pacis cum in Aristotelem incidisset, in philosophia ipsi principatum quidem deberi putat, sed illum in tyrannidem jam ab aliquot seculis abiisse queritur: atque hanc etiam invaluisse speciatim ostendit in doctrina de Virtute Morali, quam ille dixit esse μεσότητα, quo eleganti vocabulo Virtutem moralem descripsit Synesius. Sed ipsa ejus verba inseremus, ut tantò rectiùs quisque arbitrari possit. *Inter cætera,* inquit, *ut hoc obiter à nostro instituto non alienum dicam, non sine causa videntur mihi ab Aristotele discedere, & Platonici nonnulli, & Christiani veteres, in eo, quod ille naturam ipsam Virtutis in Mediocritate adfectuum actionumq; posuerit.*

XXI. Platonicos quod attinet, quiqui illi sint, si Magistri sui placitis, uti fit, inhæserint, Aristotelicam Virtutis doctrinam admittere non potuerunt. Nam ubique Plato in suis libris ita de Felicitate differit, ut nemini non possit esse manifestum, penè semper ipsius animo propositam fuisse Felicitatem Theoreticam: quæ cum item suis Virtutibus & actionibus propriis obtineatur, doctrinam ille suam supra conditionem virtutum & actionum moralium evexit, & passim eo nomine Virtutes Scientias, Vitia Ignorantias nuncupat. Textus ejus non exscribam. Videantur quæ scripsi sub finem Disputationis meæ, *De Scientia atq; Ignorantia Incontinentis.*

XXII. Inter Christianos veteres, qui hac in re Aristoteli contradixerit, eminet Lactantius, cujus hæc leguntur verba *lib. 6. div. Instit. c. 16. At ego ne Peripateticos quidem accessisse ad veritatem puto, qui Vitia esse concedunt, sed ea mediocriter temperant. Cavendum est enim vitiis etiam mediocribus: quin potius efficiendum fuit, primùm, ne vitia essent. Nec enim quidquam vitiosum nasci potest, sed vitia fieri, si malè utamur affectibus: virtutes; si bene. Deinde monstrandum est, non ipsos affectus, sed eorum causas esse moderandas. Non est, inquiunt, lætitia nimia gestiendum, sed modicè ac temperatè. Hoc vero tale est, quale si dicerent, non esse currendum concitatè, sed gradiendum quietè. At potest & qui graditur, errare: & qui currit, rectam viam tenere. Quid si ostendero, esse aliquid, ubi non tantùm modicum, sed vel punctum gaudere vitiosum sit; & aliud econtra, in quo vel exsultare lætitia minimè criminosum? Quid tandem nobis ista Mediocritas proderit? Quæro, utrumne Sapienti lætandum putent, si quid inimico suo mali videat accidere: aut utrumne lætitiam frenare debeant, si victis hostibus, aut oppresso tyranno, libertas & salus civibus parta sit? Nemo dubitat, quin & in illo exiguum lætari, & in hoc parùm lætari, maximum sit crimen. Eadem de cæteris affectibus dicere licet. Sed, ut dixi, non in his moderandis Sapientiæ ratio versatur, sed in causis eorum, quoniam extrinsecus commoventur, nec ipsis potissimum frenos imponi oportuit, quoniam & exigui possunt esse in maximo crimine, & maximi possunt esse sine crimine. Sed adsignandi fuerunt certis temporibus, & rebus, & locis, ne vitia sint, quibus uti rectè licet. Sicut enim rectè ambulare bonum est, errare autem malum: sic moveri adfectibus in rectum,*

bonum

bonum est; in pravum, malum. Nam si libido extra legitimum thorum non evagetur, licet sit vehemens, tamen culpâ caret. Si vero appetit aliena, licet sit mediocris, vitium tamen maximum est. Non est itaque morbus, irasci, nec cupere, nec libidine commoveri: sed iracundum esse, morbus est, cupidum, libidinosum. Qui enim iracundus est, etiam cui non debet, aut cui non oportet, irascitur. Qui cupidus, etiam quod non opus est, concupiscit. Qui libidinosus, etiam quod legibus vetatur adfectat. Omnis igitur ratio in eo versari debuit, ut quoniam earum rerum impetus inhiberi non potest, nec debet, quia necessariò est insitus ad tuenda officia vitæ, dirigeretur potius in viam rectam, ubi etiàm cursus offensione ac periculo careat.

XXIII. Hunc lacteæ venæ Patrem sine dubio designavit Grotius, cujus sententiam ac ab Aristotele dissensum qua quæso causa approbavit? Nonne enim, si hæc Lactantii cum superioribus Aristotelicis contendas, sunt talia, ut, quæ reprehendit, Aristoteli nunquam venerint in mentem, quæ probat & urget, sint ipsi Mediocritati ejus consentanea? Non fas est, cujusquam damnare sententiam, nisi eam penitus perspexeris. Hic verò manifestè Medium rei & τὸ πρὸς ἡμᾶς à Lactantio confunditur. Minimum lætari re mala, est jam immodicum, Mediocritatem rationis si videas. Ubi vero docent Peripatetici, vitia esse mediocritate temperanda? Nec major æquitas est Senecæ ita scribentis *Ep. 85. Falsa est ista mediocritas & inutilis, eodemq; loco habenda, quo si quis diceret, modicè agrotandum, modicè insaniendum:* Aut Ciceronis, hanc licet doctrinam approbantis. *Nunquam*, inquit *1. Offic. iratus qui accedet ad pœnam, Mediocritatem illam tenebit, quæ est*

 inter

inter nimium & parum: quæ placet Peripateticis. Et rectè placet; modò ne laudarent Iracundiam, & dicerent utiliter à Natura datam. Contrarium ſanè docet Ariſtoteles, cujus etiam verba, licet prolixiora, non pigebit exſcribere. Ita ille *2. Nicom. 6. §. 30. ſeqq. Verum non omnis actio, nec omnis perturbatio medium recipit. Sunt enim quædam, quorum nominibus ſtatim vitium eſt implicatum: ut malevolentia lætans alieno malo, impudentia, invidentia: & in actionibus furtum, adulterium, cædes. Hæc enim omnia & quæ ſunt hujus generis, ſic appellantur, quod ipſa mala ſint, non eorum immoderationes aut deficientiæ. Nunquam igitur fieri poteſt, ut ex his aliquid rectè fiat: ſed ſemper peccatur ea agendo: neq; in talibus rectè aut non rectè faciendi vis in eo poſita eſt, ut quatenus, & quo tempore, & quo modo facere adulterium oporteat, animadvertatur: ſed ſimpliciter & abſolutè quidvis horum admittere, peccare eſt. Sanè vero medietatem ſeu medium in his poſtulare, perinde ſit, ac ſi quis in injuria facienda, in vita ignava, in intemperantia medietatem, & nimium, & parum, quærat. Nam hac quidem ratione eſſet nimii, & ejus quod parum eſt modus ac medietas, & nimii nimium, & ejus, quod parum eſt, aliquod parum. Sed quo modo temperantiæ ac fortitudinis nec nimium eſt, nec parum; (propterea quod Medietas quodammodo eſt Summum) ſic ne illorum* (actionum & adfectuum malitiam moralem complicatam habentium) *quidem medietas eſt, nec nimium, nec parum: ſed ut quidque admiſſum fuerit, ita peccatum eſt. Omnino enim nec nimii, nec ejus quod eſt parum, mediocritas eſſe poteſt: nec medietatis nimium & parum.* Quid requiras amplius? Ciceroni vero vel infimi ſubſellii auditor moralis reſponderet,

deret, diſtinguendum eſſe inter Iram & Iracundiam: inter adfectum ſimplicem, & ejus exorbitantiam.

XXIV. Pergit Grotius: *Quod ſemel poſitum eò ipſum abduxit, ut & virtutes diverſas, puta Liberalitatem & Parcimoniam in unam compingeret.* Oſtenſurus quæ ex falſa hypotheſi abſurda fuerint ſecuta, primum hoc proponit, quod diſtinctas ſpecie Virtutes morales confuderit, Liberalitatem & Parcimoniam. At ſi penitus naturā parcimoniæ ſcrutemur, illa ne quidem Virtus Moralis fuerit, *ſed* pars quædam Prudentiæ Oeconomicæ. Bene enim Ariſtoteles in Rhetoricis docet, non ſolùm nos diteſcere, acquirendo opes, ſed etiam de ſumptibus & expenſis oportunè quid detrahendo Prudentiæ enim Oeconomicæ tria ferè munera ſunt, circa quæ eſt occupata, acquirere opes, partas tueri, acquiſitis & bene cuſtoditis rectè uti. Alterum igitur illud munus peculiari aliquando Parcimoniæ nomine denotatur, ſicuti primum χρηματιστικῆς apud Ariſtotelem *1. Polit.* Ita quoq; propter ſollicitam rerum ſuarum cuſtodiam Plinius *apes* appellat *præparcas lib. 11. c. 19.* hoc eſt, valdè parcas. Refert quidem Philoſophus noſter etiam Φειδωλοὺς inter Avaros *4. Nicom. 1. §. 84.* ſed hoc ipſum huic rei nihil officit, quia aliquis circa rei familiaris cuſtodiam parcè ac prudenter verſari poteſt, & quoque ab illa prudentia deſciſcere, impellente aliquo vitio morali, veluti Avaritia. Interim ipſa Parcimonia, ceu pars ejus, quam diximus, Prudentiæ, ſemper bona & laudabilis eſt, cujus hæc feruntur præcepta: *Magnum vectigal parcimonia. Emas, non quod opus, ſed quod neceſſe. Quod non opus, aſſe carum eſt. Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.*

XXV. Porro inquit Grotius: *Et Veritati daret oppoſita*

posita minimè ex æquo respondentia, Jactantiam & Dissimulationem. Huic dubitationi reponimus, Veritatem posse considerari vel theoreticè, ut habet convenientiam cum rebus ipsis Intellectus nostri cognitio seu διάνοια: vel practicè. Atq; hoc iterum dupliciter: Vel enim pars est Justitiæ Fides & Veritas, quæ pactis & conventionibus inest. Neutro modo ab Aristotele illa consideratur *4. Nicom. 7.* uti ipse *d. l. §. 15.* disertè profitetur; sed quatenus locum habet, atque officium suum facit in ὁμιλίᾳ, quæ Latinis Philosophis recentioribus discriminis causa Veracitas dicitur. Estq; habitus, quo animi notiones aut facta in familiari consuetudine candidè declaramus. Ab hac qui abeunt virtute, eos mentiri dicit: idq; fit, vel arroganter sua jactando, vel vafrè omnia sua elevando. Illud Arrogantiam, hoc Dissimulationem rectè vocat: quorum illa Mendacii species in excessu, hæc in defectu peccat. Has enim duas Mendacii species hic ab Aristotele poni, bene monuerunt hîc Paraphrastes & Scholiastes græcus. Ubi obiter velim notetur, Veritati Theoreticæ opponi Falsitatem: Veritati practicæ quæ Justitiæ aut pactis conventis inest, opponi Mendacium maximè propriè dictum: At huic Veritati ὁμιλητικῇ opponi Mendacium tale, quod sæpe sit ματαιότης, *vanitas. vid. §. 20. d. c.* Et quando ibidem dicit, Omne Mendacium esse turpe, illud cumprimis verum est de præcipua ejus specie, sic ut in aliis sit minor αἰσχρότης, unde homo eo sensu appelletur αἰσχρὸς, quò ἀσχήμων dicitur *d. c.* §. *22.* Nam τὸ αἰσχρὸν non semper denotare id quod naturâ est turpe, & in summo gradu, satis arguit §. *6.* collatus cum §. *19. cap. 1. lib. 3. Nicom.* Sed de Mendacio ejusq; speciebus subtiliùs disputare, hujus loci non est.

XXVI. Se.

XXVI. Sequitur in Grotii Prolegomenis: *Et quibusdam rebus Vitii nomen imponeret, qua aut non existunt, aut Vitia per se non sunt, ut contemptum voluptatis, & honorum, & ira adversus homines vacuitatem.* Duo hic reprehendit, Aristotelem inter vitia reponere, quæ vel non existant, aut, si existant, vitia prorsus non sint. Exempli loco adferuntur ἀναισθησία, μικροψυχία sive ἀφιλοτιμία, & ἀοργησία. De singulis erit agendum. Quod igitur existentiam horum extremorum attinet, cum accidentia sint, non possunt nisi in subjectis inveniri. Si jam perlustres homines, qui vel vivant, vel vivere desierint, haut facilè sanè deprehendas, in quibus ἀναισθησία, aut ἀοργησία fuerit tota. Hoc enim si ita evenerit, vix ille amplius homo fuerit, sed caudex & truncus; qui, inquam, nulla prorsus voluptate, etiam licita ac necessaria adficiatur, aut nulla injuria irritetur: uti ipse fatetur Aristoteles *3. Nicom. 11. §. 19. seqq. & 4. Nicom. 5. §. 9. seqq.* Tertium enim quod attinet, ἀφιλοτιμίαν, abunde in vilibus & abjecti animi hominibus existere eam putamus. Etsi igitur illa vitia raro, & fortè non tota planè existant, per principia tamen & ἀποδείξεις evicit Aristoteles, Virtutes in medio, vitia in extremis consistere; ut, licet non omnia secundum ideam scientiæ existant, (ita enim solent interdum Philosophi ἀεροβατεῖν) nihilominus doctrina se rectè habeat, quæ in summo gradu omnia considerat, & virtutes vitiaq; abstractè, non bonos malosq;, seu habitus illos in concreto definit. *Quidquid est, de suo ratione & via (μεθοδικῶς) disputatur, id est ad ultimam sui generis formam speciemq; redigendum;* inquit rectè Cicero *de Orat.* Cui addatur

 tur

tur eruditiſſime diſſerens Phil. Scherbius contra Ramiſtas *c.3. Philoſ. Altorph. p. m. 17.*

XXVII. Si igitur demonſtratum fuerit, non ſimpliciter ἀδύνατον eſſe, talia vitia aliquo ſaltem gradu exiſtere in ſubjectis, Grotio ſatisfactum eſſe crediderim. Ad ἀναισθησίαν igitur refero, quod de Epicuro ſcribit Galenus in libris Artis Medicæ, Veneris nullum uſum eſſe ſalubrem. Ἀναισθησία quædam eſt, quod Democritus omnem Venerem damnaverit, ut refert Plinius, quod homo alius ex alio exſiliret. Ἀναισθησία quædam eſt, ſi quis odio licitæ Veneris ſe exſecuiſſet, civiliter conſideratus homo. Taceo alios, qui improbè de Conjugio ſenſerunt & locuti ſunt, quadam inducti ἀναισθησίᾳ. Eſt quædam ἀναισθησία voluptates licitas & neceſſarias abominari cum detrimento valetudinis. Ἀοργησίαν quoque in bene multis, ſi non totam, ex parte tamen exſtitiſſe, haut facilè in dubium vocatum iri exiſtimo, cum Lentitudinis ejus exempla ſat crebra ſuppeditet hiſtoria & uſus. Notisſimum eſt ex S. Codice, quomodo hoc vitium fuerit ab ipſo Deo in Heli Sacerdote punitum. Hactenus igitur unum obtinuimus, jam enumeratas affectiones animi ſuo modo & gradu exiſtere.

XXVIII. Succedit jam alterum. Si exiſtunt, vel erunt Virtutes, vel Vitia. Poſterioribus illa accenſenda eſſe, ipſa methodus Ariſtotelica ſolidisſimè evincit. Ἀναισθησίαν enim quod attinet, etſi minus ſit vitium, quàm Intemperantia, eſt tamen & ipſum vitium. Nec enim adfectus & cupiditates ſunt à Natura nobis fruſtra inſitæ, ſed ut cum modo certaq; ratione ea bona expetant, quæ vel ad conſervationem individui, vel propagationem ſpeciei

ciei pertinent: de quibus videatur *3. Nicom. c. 11.* Insignis est textus *1. Oeconom. 3.* qui hic omnino legi meretur: *Ipsa Natura hoc circuitu* (loquitur de Societate γαμικῇ) *complet perpetuitatem vitæ: specie nimirum, cum nequeat numero. Atque ita ratione dispositus est à Numine divino tam maris quàm feminæ sexus sigillatim ad Societatem.* Hoc fine varias voluptates expetit Homo: hoc fine quoque ira interdum exasperatur, & adversus mala, quæ corruptionem aut læsionem minitantur, tela expedit: ut adeo, si qui cum Stoicis hos adfectus stirpitus velint evulsos, graviter in Deum, Naturæ nostræ autorem peccent; & licet plerumque in excessu horum animi motuum & gravius peccent, peccant tamen omnino etiam eorum defectu. Legi & hic merentur, quæ Jo. Gerh. Vossius sapienter differit *Inst. Orat. part. 1. l. 2. c. 1. §. 2. Jure prudentissimus Deus animis nostris indidit affectus, ut sint quasi adminicula ad præclaras actiones. Quod enim ventus navigio, id nobis Adfectus: in quorum temperie animi nostri tranquillitas, imo vita hujus felicitas consistit. Nimirum his ferimur ad ea, quæ Recta Ratio dictat. Sin Ratio ipsa clavo se excuti patiatur; non jam illi ad virtutem ducunt, sed ad vitia; ut verè tum morbi sint animi. Quod minimè fit in homine prudenti, qui non adfectu vacat, sed adfectui imperat. Eoq; Stoicorum finitioni, quâ πάθος esse dicitur ὁρμὴ πλεονάζουσα, impetus immodicus & redundans, jure nigrum Theta præfigimus.* Videantur & alii Scriptores à Viro hoc πολυμαθεστάτῳ hic allegati. Alter tamen adhuc Veritatis causam contra hos oret Grotius ex *Epist. 13.* ad Gallos: *Minimè mihi placet illa Schola, quæ nos commoveri aut lætis aut adversis vetat. Hæc sententia primùm Naturæ convitium facit, quæ non modò adfectus ipsos inseruit animo, sed & in cor-*

in corpore sedes & instrumenta quædam affectibus adsignavit: deinde quantum in se est, divinam Providentiam exarmat, & magno, si ita loquendum est, aurigæ universi stimulum simul frenumq; eripit, cum nec beneficam nec castigatricem manum sentire nos patitur.

XXIX. Ἀφιλοτιμίαν etiam vitium aliquod esse sic colligo. Qui non est cupidus honoris, is neque honore quidquam dignum facilè aget. Talis qui est, atq; ita adfectus, is vel jam vitiosè agit, vel actionibus vitiosis proximus est. Consequentiæ hujus ratio est, quod Honos sit proprium Virtutis præmium, & non nisi bonis tribuatur. *4. Nicom. 3. §. 30.* Iterum moneo, Hominem considerandum esse hic φύσει ζῶον πολιτικόν; Christianis enim ita commendatur Humilitas, ut hanc si adsequantur, in illa summum consequi videantur honorem. Hæc enim est vox Magistri, prorsus fallere nescii, *Qui humilitati studuerit, supra alios extolletur.*

XXX. Nova instantia prosequitur suum propositum Grotius, eaq; credita multis indissolubili. *Non rectè autem universaliter positum hoc fundamentum vel ex Justitia apparet, cui oppositum Nimium & Parum, cum in adfectibus & sequentibus eos actionibus invenire non posset, in rebus ipsis, circa quas Justitia versatur, utrumque quæsivit: quod ipsum primum est desilire de genere in genus alterum, quod in aliis meritò culpat.* Hoc dubium ut rectè resolvatur, statum controversiæ probè locemus necesse est. Reprehendit Grotius Aristotelem, quod Virtutis naturam in Mediocritate adfectuum actionumq; posuerit: ubi autem naturam Justitiæ tradiderit, mediocritatem non illam, quæ est πρὸς ἡμᾶς, sed in rebus ipsis quæsiverit, atque ita μετάβασιν

βασιν εἰς ἄλλο γένος admiserit. Nam, uti ex supradictis liquet, Naturam Virtutis indagaturus, disertè secernebat Medium rationis à Medio rei: quæ cum toto genere videantur distare, etiam μετάβασις εἰς ἄλλο γένος facta fuisse videri queat. Nec enim ita hæc Objectio planè tolletur, si ostendas, Justitiam esse Medium, sed Justitiam esse Medium rationis, in quo omnium Virtutum natura reposita fuit.

XXXI. Quod igitur concernit Justitiam, paulò aliter illa se habet, suaq; officia expedit, atque reliquæ virtutes. Supponamus igitur hic illustrandi præsentis argumenti gratia, bona fortunæ esse objectum externum Justitiæ. Justus circa illa ita eris, si Æquale tenueris inter Lucrum & Damnum: id quod fiet, si nec tibi plus iniquè sumpseris, nec alteri minus reliqueris. Sicut verò uno eodemq; actu Justitiam exerceo; ita quoque uno eodemq; actu Injustitia exercetur, & dum Plus sibi quis iniquè sumit, eo ipso alteri Minus iniquè relinquit aut tribuit. Atque hæc est causa, cur Justitia non duos sibi vitiosos habitus, sed solam Injustitiam habeat oppositam: Quid mirum igitur est, si Medium rei in objecto externo, seu bonis fortunæ, constituatur, & inter Nimium & Parum, seu Plus & Minus, Æquale.

XXXII. Si vero objectum Justitiæ internum videas, Cupiditatem habendi, Medium rationis etiam hic locum habet. Quando enim appetitus circa bonorum fortunæ expetitionem ita regitur, ὡς δεῖ, ut rationi est conveniens, mediocritatem rationis observat. Quando item Actiones, quæ sunt etiam objecti loco, tali appetitui obsequuntur, hæ eandem mediocritatem rationis observantes, in

medio rei istam consequuntur. Falsum igitur est, quod Grotius ait, in adfectibus & actionibus Justitiæ officiis servientibus non habere locum Nimium, & Parum. Nec enim Medium rationis, quod est in adfectibus & actionibus, à medio rei seu objecto externo tollitur aut exstinguitur, sicut nec hoc ab isto. Nulla igitur est essentialis diversitas Justitiæ à reliquis virtutibus, sed objectum ejus externum est tale, ut Justus circa illud non rectè versetur, nisi æquale in bonis fortunæ, id quod est Medium inter Plus & Minus, consectatus fuerit. Quatenus tamen Appetitus, & hujus motum excipientes aut comitantes actiones Prudentiæ moderamini morem gerunt; dum ad hoc Medium rei contendunt, Medium rationis etiam habent. Aut nisi hoc concesseris, Justi hominis actiones cum Prudentiæ directione non esse conjunctas fateare necessum est: id quod planè est *ἄτοπον*. Mediocritas enim rationis nihil est aliud, quàm prudens appetitus actionumq; moralium moderatio, uti suprà pluribus declaratum fuit th. 16. Esse igitur aliquam diversitatem in re seu objecto externo Justitiæ, ipse fatetur insuper Aristoteles *2. Nicom. 7. §. 31. & 5. Nicom. 1. §. 1.*

XXXIII. Proximo huic argumento hæc addit Grotius: *Deinde minus suo accipere, potest quidem adventitium habere vitium, ex eo quod quis pro rerum circumstantiis sibi ac suis debeat: at certè cum Justitia pugnare non potest, quæ tota in alieni abstinentia posita est.* Pertinet hoc ad illam Quæstionem, quæ excutitur *5. Nicom. 9.* An is, qui plus tribuit, an verò is, qui plus accipit, faciat injuriam? Cui adfinis est altera illa, eodem loco tractata, An sibi quis faciat injuriam?

riam? Hoc igitur ut rectè intelligatur, distinctione opus est. Vel enim qui tribuit Iudex est aut Arbiter, vel rem privatus inter se & alium partitur. Si Iudex sciens alteri plus tribuat de bonis ad se licet nihil pertinentibus, injuriam utique facit. Idem si faciat is, qui privatus cum alio partitur, non facit injuriam, quòd hæc volenti non inferatur; quidquid enim sibi ultro adimit, & alteri adjicit, de suo largiri videtur. Tum cuique de suo jure cedere licet, quantum fortè libet, sine injuria; nisi fortè per accidens illa hinc emerserit. v. g. Si, nisi jus suum persequatur, illis desit & subtrahat, quibus magis est obligatus: *adventitium vitium* hoc Grotio dicitur. Præterea de suo jure sponte alteri concedere aliquando solent homines modesti & æqui, idq; laudis studio: atque ita damnum, quod fortè in bonis fortunæ patiuntur, majori bono laudis & honestatis quodammodo compensant, atque insuper amicos sibi adjungunt. Vid. ipse Aristoteles d.l. Si quis igitur alteri plus tribuendo damnum ultro patiatur, hoc quidem non pugnat directò cum Justitia, cum hoc non sit propriè injuriam facere: at si alteri plus tribuatur per Judicem, aut quis ipse sibi sumat, contra Socii voluntatem, semper est injuria, & cum justitia pugnat. Quando igitur Aristoteles ait, Injuriam producere & Nimium & Parum, seu Plus & Minus, intelligit Injuriam propriè dictam, quæ sanè non potest non illo, qui Minus habet, contingere invito.

XXXIV. Nec etiam simpliciter verum est, quod ait, Justitiam totam consistere in alieni abstinentia. Nec enim sufficit, si abstineas ab alienis, sed etiam requiritur, ut

ut cuique, quod ſuum eſt, ſeu debetur, tribuas; cumprimis ſi etiam officii civilis ratio acceſſerit v. g. Judex ſis, aut ſimilem perſonam ſuſtineas. Is enim jus litigantibus reddit, & modo huic rem, alteri etiam aliquando præſtationem adjudicat. Si quoque diſtributio bonorum vel onerum communium ſit facienda ſecundum Juſtitiam διανεμητικὴν, ejus officium non abſolvetur abſtinentiâ alieni. Quod ſi injuria facta ſit, indeq; exſtiterit bonorum inæqualitas, Reſtitutionem damni Juſtitia utique imperabit: atque ſic non omnino erit abſtinentia alieni.

XXXV. Mox, quaſi his argumentis jam proſtratus eſſet Ariſtoteles, aggerit etiam ſequentia Grotius: *Cui hallucinationi ſimilis illa eſt, quod adulterium ex libidine, eadem ex ira propriè ad Juſtitiam pertinere non vult; cum tamen Injuſtitia non aliam naturam habeat, quàm alieni uſurpationem: nec referat, ex avaritia illa, an ex libidine, an ex ira, an ex imprudente miſericordia proveniat, an ex cupiditate excellendi, unde maxima injuria naſci ſolent.* Duo hic denuo reprehendit. Prius eſt, quod Ariſtoteles dixerit, adulterium ex libidine non referendum eſſe ad Injuſtitiam. Ita vero ſe res habet. Quælibet actio ex fine ſuo eſt æſtimanda. Si quis igitur adulterium committat libidinis explendæ gratia, & pecuniæ ſuæ jactura etiam maxima conſuetudinem hanc ſibi emat, non Injuſtus ἐκλικῶς ſecundum Injuſtitiam Particularem, ſed Intemperans eſt dicendus. Etiamſi enim etiam faciat ἄδικόν τι, *injuſtum quid*, finis tamen hujus actionis demonſtrat, illam cum προαιρέσει Intemperantiæ fuiſſe conjunctam, atq; ab ea agentem denominandum eſſe Intemperantem potius quàm Injuſtum ſe-

cun-

cundum Injustitiam Particularem. Quod si vero quis à procaci adultera ad turpem consuetudinem sollicitetur, oblata præmii loco pecunia, absque quâ conditionem illam non esset accepturus, hic potius ex mente Aristotelis Injustus secundum Injustitiam Particularem est dicendus, quàm Intemperans; ipsius enim προαίρεσις magis ad quæstum, quàm libidinem explendam dirigitur, non quod actionem intemperantem non committat, eaq; suam mereatur pœnam, sed quod non possit dici ἐξ ἑκτικῶς Intemperans, & à potiori objecto, quod deligit προαίρεσις, denominationem trahere debeat. Atque hoc ipsum omne Philosophus proposuit, discriminis faciendi gratia inter Justitiam Injustitiamq; Universalem & Particularem: quod si à Grotio observatum fuisset, non credo eo nomine Aristotelem incusasset. Verum igitur est quadantenus, quod ait Grotius, usurpationem alieni esse Injustitiam quandam, sive ex avaritia, sive ex libidine, sive ex ira aliave causa sit nata, siquidem intelligas Injustitiam universalem: at secundum Injustitiam Particularem nemo rectè appellabitur ἑκτικῶς injustus, nisi in πλεονεξίαν appetitus agentis fuerit latus.

XXXVI. De cæde ab irato patrata quod adfert, petitum est ex 5. *Nicom.* 8. §. 23. *seqq.* Cum Aristoteles ibi dixisset alia esse facta ἑκούσια, *spontanea*, alia in perfecto gradu προαιρετὰ, subjungit, illa demum hominem reddere propriè & ἑκτικῶς Injustum, qui προαίρεσιν attulerit talem injuriam eo animi proposito faciendi. Illas igitur actiones, quæ adfectuum impulsu cientur, esse quidem ἁμαρτήματα, sed non propriè ἀδικήματα, adeoq; ab istis non posse quempiam

 deno-

denominari ἑκτικῶς Injustum. Ita si quis dolo & consilio malo alteri necem intulerit, propriè injustus est; est enim ἀδίκημα (homicidium dolosum appellant JCti.) At si ex vehementi ira idem facinus designaverit, non tamen eodem modo fit aut animo; itaque is ἑκτικῶς ac planè Injustus non est ex hoc facto dicendus; est enim ἁμάρτημα, (homicidium Culposum appellant JCti.) Hic igitur injustum quid commisit, non tamen injustè, hoc est, ex habitu proæretico injustitiæ profectum: unde nec eo modo, προαιρετικῶς inquam, Injustus dici potest. At, inquiunt nonnulli, ita multæ cædes impune patrabuntur, patrono Aristotele? Nequaquam; nam etiam ejusmodi ἁμάρτημα, delictum seu homicidium culpâ commissum ultimo supplicio pro re nata saltem interdum poterit puniri, Aristotele ne quidem ingemiscente, aut verbum pro homicidæ illius facinore interponente. Ubi enim tale quid legas apud Aristotelem?

XXXVII. Quando verò dicit, Injustitiam nihil esse aliud, quàm alieni usurpationem, videtur θέσει δουλεύειν. Si enim Justitia tota in alieni abstinentia posita est, uti paulò antè tradebat, sequitur à contrario, Injustitiam unicè esse alieni usurpationem. Quemadmodum vero ostensum est prius illud non esse simpliciter verum, ita nec hoc posterius.

XXXVIII. Cum professus esset Grotius, semper esse Injustitiam, neque quidquam referre, sive ex avaritia, ira, libidine, ambitione, aliave causa prodierit, addit sequentia: *Nam qualiacunque incitamenta contemnere hac tantum de causa, ne societas humana violetur, hoc vero Justitia*

stitiæ proprium est. His verbis manifestè prodit, se non esse adsecutum discrimen, ab Aristotele inter Justitiam Universalem & Particularem constitutum, sed ab illo has confundi. Nam illa Justitia, qua Societas Humana conservatur, est utique illa Universalis, ὅλη ἀρετὴ, appellata Philosopho: eaq; quovis vitio particulari & exorbitante adfectu violatur; est enim Injustitia Universalis ὅλη κακία. *5. Nicom. 1.*

XXXIX. Audiamus porrò Grotium: *Ut redeam,* inquit, *unde veneram, verum quidem est, Virtutibus nonnullis accidere, ut adfectus moderentur, sed hoc non ideo, quod id sit virtuti omni proprium atque perpetuum, sed quia Recta Ratio, quam Virtus ubique sequitur, in quibusdam modum sequendum dictat, in quibusdam ad summa incitat.* Hic suam de Natura Virtutis Moralis sententiam proponit, debere illam semper sequi Rectam Rationem: hanc autem modò medium commonstrare, modò ad summa incitare. Idem omnino docentem audivimus suprà Aristotelem. Pertinet verò huc etiam insignis ejus textus *2. Nicom. 6. §. 29. Virtus ex sua essentia, & ratione ea, quæ quod res est adsignat, Medietas est: ex præstantia autem ac perfectione summum.* Ubi nota, virtutem duplici posse ratione opponi Vitio: vel ut Bonum Malo; atque sic Virtus est ἀκρότης. Ita Plato, interprete Apulejo *de dogm. Plat.* Virtutes *Summitates* appellat. Vel opponitur quæque Virtus suis vitiis, ut Medium Extremis; atque sic illa est μεσότης, *Mediocritas.* Ratione igitur essentiæ, qua Virtus quæq; differt à suis extremis, est μεσότης: Ratione autem excellentiæ, perfectionis & bonitatis est ἀκρότης. Atque hæc Vir-

tutis

tutis Mediocritas differt à Bonitate, tanquam causa ab effectu. Ut enim quis exactissimè Mediocritatem rationis in actionibus observaverit, ita illæ fuerint optimæ. Ita Cicero in Officiis ait, Mediocritatem esse optimam actionum Regulam. Adde textui citato Commentarium *Scholiastæ Græci*, & P. *Vermilii Martyris p. 284.*

XL. Quod de Virtute proximè proposuit, singularibus quibusdam exemplis jam confirmare annititur Grotius: *Nam*, inquit, *Deum nimium colere non possumus: Superstitio enim non eo peccat, quod Deum nimium colat, sed quod perversè.* Imò idem professus est Aristoteles; Medii enim non est nimium aut parum. Sicuti igitur non possumus esse nimis pii, ita nec nimium justi, nec nimium temperantes; & sic in cœteris. Pietatem in specie quod attinet, si quis vitium illius in excessu Superstitionem, in defectu Impietatem, forsan admittere nolit, ejus sanè habet aliquam causam; Nam & Superstitio est quædam Impietas. Hæc igitur sola opponitur Pietati: cujus rei causam facilè dabo, modò attendas qualis propriè sit Virtus Pietas; multa enim illam officia complecti vel usus vocis satis locuples est testis. Pii dicimur præcipuè erga Deum, tum erga illos homines, quibus propter maxima beneficia plurimùm debemus, veluti erga parentes, patriam, ejusq; generis alios. Sumamus principem ejus significationem, qua Pii dicimur erga Deum. Hæc Pietas complectitur omnem cultum, amorem, reverentiam, obsequium, devotionem, & quidquid officii ab homine in Deum proficisci pro ejus modulo possit. Deinde notandum est, esse etiam quandam inter Deum & Homi-

nes

nes Societatem. *Prima*, inquit *Cic. 1. de Legib. Societas est homini cum Deo, altera cum homine.* Proinde Pietas non est simplex aliqua Virtus, sed quæ conservat omni officiorum genere Societatem illam, quæ est inter Deum & homines. Ita pium est, pro aris & religione fortiter pugnare, & si ita accidat, mortem oppetere: Pium est amore Dei & veneratione præceptorum ejus abstinere ab illicitis voluptatibus, studere temperantiæ, justitiæ, agere honesta, fugere turpia. Pium est omnes actiones vitæ referre præcipuè ad gloriam Dei. Sicuti igitur Justitiæ Universali, quæ conservat Societatem civilem eamq; communi vinculo continet, opponitur Injustitia Universalis; ita Pietati, communi Societatis, quæ est inter Deum & homines, copulæ opponitur rectè sola Impietas: Imò illa, quæ in Aristotele à Grotio notatur παρέβασις, vereor, ne hic ab ipso sit commissa. Pietas enim in illa considerata Societate, quæ homini intercedit cum Deo, non est civilis Virtus, de qua sola affirmat Philosophus, illam consistere in Mediocritate.

XLI. Sed dicas, etiam Justitiam Universalem fuisse collocandam ab Aristotele inter duo Extrema? Docet ille *5. Nicom. 1.* Justitiam Universalem essentia esse eandem cum Virtute Morali, differre autem τῷ λόγῳ ab eadem. Justitia igitur hæc secundum essentiales partes considerata tenet utique Mediocritatem Rationis, in singulis videlicet Virtutum moralium speciebus. Quatenus vero Justitia hæc semper habet σχέσιν πρὸς ἕτερον, illos, inquam, respicit, cum quibus in Societate civili vivit, & ad communem hujus finem omnia officia dirigit, consideratur illa ut Bonum conservans illam Societatem & membra

 ejus:

ejus: Injustitia Universalis è contrario consideranda tunc est ut Malum, illam Societatem destruens & membra ejus variis modis lædens. In tali igitur χρέσει sicuti Virtus Vitio, unum uni, opponitur; ita Justitia Universalis, commune Societatis civilis bonum opponitur uni Injustitiæ Universali, communis ejusdem Societatis malo: eoq; exemplo, Pietati Impietas sola rectè objicitur.

XLII. Sed & alia adfert singularia Grotius: *Neque*, ait, *æterna bona nimiùm possumus appetere, neque æterna mala nimium formidare: neque peccata nimiùm odisse.* Hæc ex præcedentibus ἀνάλυσιν facilem recipiunt. Nam æterna bona in infinitum appetere, & æterna mala in infinitum formidare, & peccata in infinitum odisse, jam Mediocritatem rationis habet; Ita enim circa talia adfecti ut simus, rationi rectæ prorsus consentaneum est. Proinde in his nimii esse non possumus. Quare? Quia, ut ait ipse Aristoteles *2. Nicom 6. in fin. Mediocritatis nec est nimium, nec parum.* Proinde nec illa adversantur Aristoteli, quæ subjicit Grotius: *Verè igitur à Gellio dictum esse quædam, quorum amplitudines nullis finibus cohibeantur, & quæ quantò majora auctioraq; sunt, etiam tantò laudatiora sint.* Hoc solùm notari potest, posse hanc Gellii sententiam & Virtutibus Theoreticis, & Moralibus, quatenus, hæ quidem exactissima Mediocritatis πρὸς ἡμᾶς regula diriguntur, applicari.

XLIII. Tandem hanc contra μετριοπάθειαν Aristotelis disputationem concludit verbis Lactantii, eaq; sua facit. Sunt quidem illa jam suprà recitata, sed cum insignem quendam errorem contineant, quo præpedita mens Lactantii non potuit rectè cognoscere Mediocritatem

tatem Aristotelicam, distuli illum ibi detegere: quò cum nos jam manu ducat Grotius, agè & his verbis satisfaciamus. Verba Grotii sunt: *Lactantius cum multa de adfectibus disseruisset;* Non in his moderandis, *inquit*, sapientiæ ratio versatur, sed in causis eorum; quoniam extrinsecus commoventur: nec ipsis potissimum frenos imponi oportuit, quoniam & exigui possunt esse in maximo crimine, & maximi possunt esse sine crimine. *Nobis propositum est Aristotelem magni facere, sed cum ea libertate, quam ipse sibi in suos magistros veri studio indulsit.* Quod hic à Lactantio dicitur, non esse Prudentiæ, moderari adfectibus, sed objectis eorum, oppidò falsum est. Ipsi enim adfectus freno rationis regendi sunt, ut circa externa objecta ne exorbitent. Ita v.g. non est moderatio vini aut Veneris, sed Cupiditatis, quæ vinum aut venerem vel moderatè vel immoderatè, appetere potest.

XLIV. Hæc sunt, quæ Grotius oppugnandæ Mediocritati Aristotelicæ destruendæq; objici posse putavit, quibus si quis motus a Philosopho secessionem fecit, æquo prudentiq; judicio velim nostras rationes responsionesq; cum istis collatas examinet. Non equidem nescio, & alia solere de Virtute Morali ab aliis doceri, & quoque Aristotelis sententiæ argumenta quædam alia opponi. Sed cum hæc sint præcipua, quibus jam nos satisfecisse credimus, superfluis aut exigui momenti dubiis enodandis non immorabimur. Paucis monendum restat, Stoicos, absurdam prorsus & impiam prodidisse doctrinam de Virtute Morali, ac si ejus munus sit, omnem adfectuum motum compescere, & stirpitus evellere, nec illam dicebant esse εὐπάθειαν, vel μετριοπάθειαν, sed ἀπάθειαν

θειαν & ἠρεμίαν. Tetigi & notavi hunc errorem ſupra, th. 28. nec prolixâ refutatione opus eſt. Scilicet Stoicis accidit, quod Homini cuidam Thracio, agriculturæ imperito: qui cum vicinum oleas vitesq; purgantem & rubos propter enatos revellentem vidiſſet, ſuas vites oleasq; unà cum virgultis exſcidit ac detruncavit: qua perquam eleganti fabula Herodes quondam Atticus illam Stoicorum ἀπάθειαν ſalſè defricuit: quam integram legere licet apud Gellium *Noc. Att. 19. c. 12.*

XLV. Hoc ſolùm volebam, illam ſententiam dudum ante Stoicos (hi enim autore Zenone Cittieo diu poſt Ariſtotelem exſtitere) obtinuiſſe, ſive ipſo Ariſtotelis ævo, ſive jam ante illud. Ita enim ille diſſerit *2. Nicom. 3. §. 10. & 11. Virtutes nonnulli definiunt Vacuitates quasdam perturbationum, animorumq́ ſtatus quietos, ἀπαθείας τινὰς καὶ ἠρεμίας. Veruntamen id eò minus rectè, quod ſimpliciter & abſolutè iſtud habere ponunt: non autem (quod res eſt) ex iis eam ἀπάθειαν & ἠρεμίαν æſtimant quæ ſunt, Quomodo, & Quo tempore, & cætera quæ addi conſueverunt.* Ex Academia hanc doctrinam prodiiſſe veriſimile non eſt, ut quam Plato multis in locis rejecit. Stoici etſi ita ſenſerint, hic tamen intelligi ſine errore nequeunt, quod, uti dixi, Ariſtotele longè fuerint poſteriores. Hos tamen ipſos non perfunctoriè refutavit Plutarchus *lib. de Virtute Morali.* Quidquid ſit, videas ſanè omnino verè dixiſſe Ciceronem *1. de Nat. Deor. Non hominum interitu ſententiæ quoque occidunt.* Mirum tamen eſt, ad eandem potuiſſe prolabi etiam eruditiſſimos Eccleſiæ Patres, Nazianzenum, Baſilium, Auguſtinum, & alios, ineſcatos ſine dubio ſpecioſæ gravitatis Stoicæ placitis: perinde uti diſtracti ſæpe

illi

illi Patres fuerunt, cum grave illud inter Academicos & Peripateticos dissidium acerbe adolesceret: de quo testari poterunt Georgii Trapezuntii libri tres, Venetiis Anno 1523 editi, quibus comparatione inter Aristotelem & Platonem instituta, illum huic longè præferendum esse contendit. Trapezuntio, pro conservanda Platonis autoritate, se objecit Bessario Cardinalis Nicenus.

XLVI. Colligimus tandem ex superioribus, quisquis auream hanc Mediocritatem consectabitur, & tenebit, is in ea simul ipsam Honestatem, τὸ δέον, & τὸ πρέπον inveniet. His enim vocabulis ab Aristotele aliisq; idem ferè significari deprehendes. Quemadmodum enim in aliis rebus Ordine nil est pulchrius aut decentius, & in Musicis Harmonia nihil suavius; ita si homo actiones suas ita instituat, ut omnes & singulæ earum circumstantiæ Honestati conveniant, & Honesta etiam Honestè ab eo fiant, Mediocritatem Aristotelicam, & in ea bonitatem moralem attigisse dicitur. Neque tamen illa Mediocritas instar puncti sive centri mathematici se habet, sed aliqua latitudine producitur, sic ut qui è summo gradu recti boniq; fortè paulùm deflectat, omnesq; & singulas circumstantias non exquisitissimè ponderaverit, non tamen bonus honestusq; esse desinat. Sicuti vero hac Mediocritate animus humanus instruitur & perficitur ad operationes virtutum exercendas; ita quoque se obligatum sentit, ut illarum usum aliis præstet: quam obligationem cum Bonus Prudensq; intelligat à Deo proficisci, illi obsequendo Pietatem, hominibus vero officia virtutum ex obligatione Legum naturalium præstando, Justitiam exercebit.

XLVII. Nimis igitur sibi placet Robertus Sharrokius, cui Mediocritas Aristotelica non uno nomine displicet: quod cum Virtutis naturam in ea Philosophus constituisset, ignotum per æquè ignotum definiverit, & nuspiam declaraverit, quid definiat Ratio, quid sit Medium ad nos, & quid Vir Prudens determinet; adeoq; Virtutem perinde sibi ab eo videri descriptam esse, ac si cui de viâ Româ Brundusium versus interroganti, responsum sit, eam esse tenendam, quam itineris prudentes meliorem duxerint, neque nimis dextrorsum, neque sinistrorsum nimis, sed ut ratio jusserit, incedendum esse: neque constare ex Aristotelis scriptis, quid, per magnum illud, totiesq; iteratum *Oportet* significetur. His verborum ludibriis pauca solùm reponam. Primùm quidem Philosopho propositum fuit, doctrinam de Moribus tradere ἐπιστημονικῶς; ut adeò in universalibus ille perstiterit, neque methodi ratio ei permiserit, ut ad singularia (quod Sarrokius desiderat) nimis se demitteret. Secundum Virtutem verò acturis *Honestum* pro fine esse, non semel docet. Obtineri autem illum finem dicit, observato Medio ad nos, omnibus actionum circumstantiis ad illum finem collineantibus: atque hocipsum Honestum, & Medium ad nos commonstrari, ac pro vario actionum genere definiri à Recta Ratione, quali Vir Prudens in idea consideratus utitur, & cujus præsidio ille προαίρεσιν ipsamq; actionem ad illum finem dirigit, & secundum Legum Naturalium (quas Justitia Universali Aristoteles complexus est) normam explorat, moderatur, & tanquam δέον ex illarum obligatione deposcit: ut adeò hanc Mediocritatem seu actionum Honestatem, Pietatis & Justitiæ officia debita secundum Leges naturales per Prudentiam promulgatas tantó rectius quisque explorare & velut ad Lydium lapidem examinare possit, quò majora incrementa illa Prudentia paulatim cœperit, meliorq; Indoles, Doctrina & Adsuefactio illi accesserit. Per istam distinctior, plenior, clariorq; Legum naturalium Promulgatio: per hæc facilior adsensus, & minus impeditum obsequium exsuscitabitur ac promovebitur.

De

DE BONA INDOLE.

Περὶ Εὐφυΐας.

I.

QUemadmodum prior, ita & altera hæc Mantissa ad Juris Naturalis uberiorem & accuratiorem cognitionem non parùm conferre potest; sic ut utramque Dissertationis de Jure Naturali junctas continuo numero partes fecissem, nisi distinctam harum tractationem magis perspicuam fore, &, si quæ fortè eò seorsim pertineant, iis omnibus commodiùs explicandis profuturam esse credidissem. Jus omne Naturale vel Generale vel Speciale esse non semel professus sum. Hoc specialibus Societatibus continendis & conservandis inservit: Istud omnibus commune est, consistens, quod Leges ejus præcipientes attinet, in officiis virtutum, vario obligationis gradu & genere debitis: quod Leges ejus vetantes concernit, in prohibitione omnis generis vitiorum. Ut adeò officia Virtutum ex obligatione Legum naturalium præcipientium præstanda, & vitia ex obligatione Legum naturalium vetantium fugienda, sint ipsa Jura Naturæ, sic ut Jus Naturæ à Virtute non re, sed tantùm diverso considerandi modo differat: de quo discrimine plura dixi *Diss. de Justitia Universali.*

II. Si igitur tanta Juris Naturalis & Virtutis est necessitudo, hujus utique diligentior expositio ad istius meliorem cognitionem multum proficiet. Cumq; dixerim, tres esse Virtutis Moralis causas, Naturam, Doctrinam &

Adsuefactionem, & singulæ ex his suum ad eam conferant; non parùm interest, ut sciamus, quæ cujuslibet ex his sit symbola, præsertim cum de Natura hoc paulò videatur esse obscurius: atque interim tantum quæque ad Juris Naturalis promulgationem, vel ad adsensum, vel obsequium ei debitum promovendum conferat, quantum in singulis ad producendam Virtutem moralem opis atque adminiculi est.

III. Itaque quid Natura ab aliis principiis causisq; seorsim considerata ad Virtutem & Felicitatem civilem adipiscendam, Legumq; naturalium promulgationem conferat, digna profectò diligentiori indagatione quæstio est, in qua enucleanda etiam nostrum studium erit occupatum, quò superiora magis magisq; illustrētur, & plenius cognoscantur. Γίνεσθαι δ' ἀγαθοὺς οἴονται, οἱ μὲν φύσει, οἱ δ', ἔθει, οἱ δ', διδαχῇ. *Bonos fieri putant alii natura, nonnulli consuetudine, quidam doctrina:* inquit Aristoteles *10. Nic. ult.* §. *12.* eademq; repetit & explicat *lib. 7. Polit. c. 13. p. 479. & c. 15. p. 491.* Quantum vero unicuique ex his, Naturæ, inquam, Adsuefactioni, & Doctrinæ sit tribuendum, cum locis allegatis, tum *2. Nic. 1.* §. *3.* docet: *Virtutes,* inquit, *Morales* ἐξ ἔθους, *per adsuefactionem comparantur, à quo nomen quoque traxerunt.* Mox §. *4.* concludit hinc, Nullam virtutem moralem nobis insitam esse naturâ. Quanta sanè vis sit Adsuefactionis in his parandis virtutibus, etiam sic indicat *1. Nic. 7.* §. *16.* quod Principiorum practicorum cognitionem & adsensum illam subsecutum referat ad ἐθισμόν. Hinc ita concludit §. *ult. c. 1. l. 2. Nic.* Οὐ μικρὸν οὖν διαφέρει τὸ οὕτως ἢ οὕτως εὐθὺς ἐκ νέων ἐθίζεσθαι, ἀλλὰ πάμπολυ· μᾶλλον δὲ, τὸ πᾶν. *Non ergo parum refert, sicne an sic à pueris adsuescamus,*

sed

sed perquam multum. Immo vero totum in eo positum est. Quando igitur quasi omnia dare hic Adsuefactioni videtur, ita statui debet, maximam hujus vim esse, & ad talem effectum plurimum conferre. Quid ergo Naturæ, quid Doctrinæ competit? Breviter hæc omnia docet Paraphrastes Græcus *c. 1. l. 2. Nic.* ἡ μὲν Φύσις ἐκεῖνο δίδωσι μόνον, τὸ δύνασθαι σπουδαίους γενέσθαι. ἡ δὲ διδασκαλία, γινώσκειν ὅ, τι δέον γενέσθαι. τὸ δὲ καὶ ἐνεργείᾳ ἤδη γενέσθαι σπουδαίους, μόνον τὸ ἔθος παρέχει). *Etenim hoc unum à Natura aliquis consequitur, ut bonus fieri possit. A Doctrina vero, ut intelligat se debere talem esse. Cæterum hoc quoque, ut ad actum perducat virtutem suam, sola Consuetudo tribuit.* Vim consuetudinis atque adsuefactionis ibidem ita declarat Commentator Græcus, sive Eustratius, sive Aspasius, sive quicunque alius, eximius tamen. *Morales virtutes*, ait, *plerumque à more & generationem habent & incrementum. Nam si cum Intemperantibus consuetudinem habeant homines, intemperantes: si cum justis, justi: si cum fortibus, fortes etiam ipsi efficiuntur. Prudentia tamen & recta ejus ratio eas sine dubio perficit: quas ex consuetudine ut plurimum existere, illud argumento est, quod multi sunt, qui quamvis rectam rationem cognorint, non possunt tamen bona agere, à voluptatibus vel doloribus superati: idq; propterea evenit, quia bene agendo minimè adsueverunt.*

IV. Sed jam satis constat, & aliàs hac de re diximus, quæ partes Adsuefactioni tribuendæ sint, videamus etiam paucis quæ dandæ Doctrinæ atque institutioni. Exstat Dialogus in Marsiliana Platonis editione, qui Nothus habetur, nec non in Stobæo, περὶ Ἀρετῆς εἰ διδακτὸν, *De Virtute, an doceri possit.* In eo Socrates ita progreditur, ut per inductionem ostendat, virtutem si disci posset, à

 bonis

bonis viris discendam fore. Tum probat exemplis Thucydidis, Themistoclis, Aristidis & Periclis, optimorum virorum, à bonis viris non doceri virtutem; hos enim neque præceptores bonos, neque discipulos, & ne filios quidem, tales habuisse: aut igitur doceri non posse virtutem, aut illos propter invidiam non docuisse. At vero tali vitio tales macerari absurdum esse hinc colligit, quod non sint ut reliqui artifices, de quibus notum est illud Hesiodeum, καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ φθονέει, καὶ τέκτονι τέκτων: *Figulus figulo invidet, & fabro faber.* Quin potius prodesse ipsis inter multos sui similes agere, quod artificibus obest. Post hæc ita pergit: Cum igitur doceri nequeat virtus, reliquum esse, ut vel Natura nobis tribuatur; vel alio modo. Naturam vero istius boni causam non esse, hoc confirmat argumento, quod quæcunque res bonæ malæve sint, aliqua arte dignoscamus, ut equos & canes probos aut pravos: homines autem an boni malive sint, arte nulla discernimus; restare ergo alio quodam ineffabili modo, & divino afflatu virtutem bonis inspirari. Si hæc verè Socratica essent, non immeritò his quispiam objecerit, cur ergo virtutes dixerit esse Scientias, cum certum sit non nisi docendo Scientias acquiri. Hinc Aristot. 2. *Nic. 1.* §. 2. ait, Virtutes διανοητικὰς (quas inter Scientia quoque est) maximam partem à Doctrina proficisci: Quod vero virtutes Scientias, vel Prudentias appellarit, legitur *1. M. M. 1. & 6. Nic. 13.* §. *15.* & apud ipsum Platonem in Menone p. 19. & alibi prolixè disputatur. Huic vero facilè sic obviam iri possit, tales scientias non haberi Virtutes à Socrate, quales theoriæ rerum necessariarum unicè vacant: quemadmodum passim videre est in Libris de Le-

de Legibus Platonis. Et in Protagora ita differit Socrates: *Postquam salutem vitæ certum est in recta voluptatis dolorisq; electione consistere, id est, pluris & paucioris, majoris & minoris, propinquioris & remotioris delectu, nonne dimetiendi facultas primo excessus, defectusq;, æqualitatis item mutua consideratrix est?* PR. *Necesse.* Soc. *Quoniam vero metiendi facultas est, necesse est, ut ars, & scientia sit.* PRO. *Annuerit.* SOC. *Quæ vero potissimum hæc scientia sit, aliâs considerabimus.* &c. Paulò post: *Actio errans, & quam scientia non regit, ut & vos non latet, ab inscitia est.* Sed missis hisce Platonicis, audiamus Magistrum nostrum *10. Nic. ult.* §. *14.* & *15.* *Ratio & Doctrina fortasse non satis validæ sunt ad virtutem inducendam causæ, oportetq; prius animum auditoris excoli moribus, ut recte gaudere ac dolere possit; non aliter, quam terram, quæ proferendi seminis facultatem habitura sit, prius probè excultam esse oportet. Nam qui adfectibus ducitur, nunquam auditurus est dehortantem à vitiis, neque etiam rationum ac præceptorum momenta intelligit.* Idem monuit *lib. 1. c. 4.* de auditore Politicæ. Eodem simili etiam utitur Cicero 3. Tusc. qu.

V. Pergamus ad nostrum propositum, quid Natura conferat, & quale illud sit. Hanc rem ita docemur *7. Polit. 13.* φῦναι δεῖ πρῶτον, οἷον, ἄνθρωπον, ἀλλὰ μὴ τῶν ἄλλων τι ζώων. εἶτα, καὶ ποιόν τινα τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχήν. Hæc ita reddidit Victorius: *Primùm oportet nasci, veluti hominem, & non aliud quodpiam animal: deinde qualem corpore & animo.* A Natura igitur est commoda ad Virtutem imbibendam, & Leges naturales intelligendas dispositio. Quia enim quod recipitur in alio, recipitur per modum recipientis, uti hic Thomas loquitur; ita etiam hic se res habet, non

aliter

aliter quàm in artibus. Si enim dispositio materiæ optima est, optimè recipiet artis effectum. Si quoque hominis natura bene fuerit constituta, Virtute & disciplina Juris Naturalis felicissimè imbui poterit. Quomodo autem se habebit illa dispositio? Si, inquit Aristoteles, homo fuerit natus, ratione præditus, qui non veluti brutum ad omnia torpeat, sed ad verum vitæ humanæ finem sit erectus. Ratione enim quia destituuntur bruta, hinc Virtutis, Jurium & felicitatis veræ nullo modo capacia esse possunt. Quod si qui sunt homines tam distorto ac pravo ingenio, ut ad omnem honestatem obbrutuerint, pari censu habendi sunt: quos ille appellat πεπηρωμένους πρὸς ἀρετὴν, *mancos ad Virtutem. 1. Nic. 9. §. 6.* Imò non solùm his, sed tardis quoque mentibus virtutem haut facilè committi, Cicero testatur *5. Tusc. qu.* πρῶτον μὲν ἐν πάντων δεῖ φύσιος. φύσιος γὰρ ἀντιπρηττούσης, κενεὰ πάντα. *Inprimis igitur Natura opus est, qua repugnante irrita sunt omnia;* inquit Hippocrates in Νόμῳ. Præterea requiritur & corporis quædam dispositio, ut illud rectè valeat, & ad virtutis munia mentisq; ministeria obeunda ἐναρμόστως καὶ ἐπιτηδείως, *concinne & aptè* sit compositum.

VI. Hanc Naturam Aristoteles εὐφυΐαν appellat alibi. Et hoc bono qui à Natura mactatus est, εὐφυὴς rectè dicitur. Quamvis autem Atheniensibus speciatim εὐφυὴς dicebatur ὁ εὐτράπελος καὶ σκώπτειν δυνάμενος, *urbanus & dicteriorum potens,* teste Isocrate in *Areopag.* hic tamen diversa planè significatione usurpatur, ut denotet eum, qui à Natura habet, ut sit ad aliquod bonum habilis, naturali ad bonum ingenii dexteritate præditus, ingeniosus ac probus. εὐφυΐα igitur etiam ingenitam dexteritatem &

bonam

bonam indolem significabit. Aristoteles quoque non una significatione hac voce utitur. Et quidem *3. Rhet. 10. pr.* facetias & urbanitates proprias ait esse εὐφυοῦς, aut certe maximè exercitati. Generalius eandem usurpat *1. Rhet. 6.* ubi conjunguntur εὐφυΐα, μνήμη, εὐμάθεια, ἀγχίνοια. In Arte Poëtica idem dicit εὐφυοῦς esse, posse versus scribere: & ibidem, notam & argumentum esse εὐφυΐας, nosse commodè uti & abundare Metaphoris. Galenus quoque *lib. 1. de usu part. c. 9.* corpori εὐφυΐαν tribuit, de quo tamen rariùs poni solet hoc vocabulum: dicitq;, quod εὐφυΐα & κάλλος sit optima partium seu membrorum conformatio, cum usu earum convenientes.

VII. Cum vero Natura hominis ex Anima illius rationali æstimetur, sine dubio illius aliqua pars erit εὐφυΐα: adeoque merito quæritur, ad quam illius facultatem pertineat? Notum ex *c. ult. 1. Nicom.* præcipuas Animæ facultates esse διανοητικὴν & ὀρεκτικὴν, *Intelligentem & Appetentem:* hæc vero in irrationali animæ parte complectitur, τὸ θυμοειδὲς καὶ τὸ ἐπιθυμητικόν, quod Tertullianus in *libro de Anima* reddidit, *Indignativum & Concupiscentivum.* Aristoteles cum postrema parte libri. 8. *Topic.* c. 14. edit. Pac. regulas pro acquirenda dialectica facultate tradidisset, ita differere pergit: δεῖ δὲ πρὸς τὸ τοιοῦτον ὑπάρχειν εὐφυᾶ. καὶ τοῦτ' ἔστιν ἡ κατ' ἀλήθειαν εὐφυΐα, τὸ δύνασθαι καλῶς ἑλέσθαι τἀληθὲς, καὶ φυγεῖν τὸ ψεῦδος. ὅπερ οἱ πεφυκότες εὖ, δύνανται ποιεῖν εὖ. οἱ γὰρ (al. legunt εὖ γὰρ, inter quos & J. Schegkius) φιλοῦντες καὶ μισοῦντες τὸ προσφερόμενον, εὐκρινοῦσι τὸ βέλτιστον, h. e. *Sed ad id efficiendum felici ingenio opus est. Et hac revera bonitas est ingenii ac indolis, ut possit id quod verum est, rectè assequi, & declinare falsum, quod quidem ii, quibus ingenii acumen &*

indolem natura largita est, praeclarè efficere possunt. Ita qui decenter amant & oderunt, quae oblata fuerint, bene, optimum quod fuerit, discernent.

VIII. Mirificè etiam illam commendat *3. Nic. 5. §. 41.* & 42: *Appetitionem finis nemo sibi suo arbitratu optare potest, sed ita natum esse unumquemque oportet, ut quasi lumen mentis habeat, quò & judicare rectè, & id quod verè bonum est, sumere atque optare possit. Ille item bene informatus est à Natura,* (εὐφυὴς) *cui hoc illius beneficio constitutum est: eò quod maxima sit ac pulcherrima isthaec res, quamq; ab alio neque consequi, neque discere aliquis possit, sed talem obtineat quisq;, qualis ipsi à natura data est, adeoq; quod ipsum illud, bene & pulchrè à natura factam compositamq; esse hanc partem, sit perfecta & vera natura bonitas.* Lib. I. *M. Mor.* hac de re ita disserit: *Dicat quispiam, si in me situm est, ut sim justus & probus, ero, si voluero, omnium optimus. Id vero fieri nullo modo potest. Cur nam? quoniam ne in corpore quidem fieri id potest. Neque enim si quispiam voluerit corporis curam habere, is statim omnium optimè habebit corpore. Nam opus est non solùm curam adhiberi, verum etiam natura pulchrum & bonum corpus esse. Melius certè habebit corpus, non tamen erit omnium optimum.* ὁμοίως δὲ δεῖ ὑπολαμβάνειν καὶ ἐπὶ τῆς ψυχῆς. οὐ γὰρ ἔσαι ὁ προαιρούμενος εἶναι σπουδαιότατος, ἂν μὴ ἡ φύσις ὑπάρξη. βελτίων μέν τοι ἔσαι. *Idem de anima intelligendum est; neque enim ut quisque voluerit, erit omnium optimus, nisi etiam natura exstiterit; melior quidem certè erit.*

IX. Sed cum perpauca τῆς εὐφυίας dicta reperiamus ab Aristotele aliisq; veteribus, ex Magistro illius quaedam conquiremus, an ita res satis obscura paulatim dilucidior red-

reddit possit. In *Epist. 7. p. 719.* ad Dionis Propinquos & Amicos ita scribit: *Traductio vero per omnia illa sursum deorsumq; in unumquodque discurrendo perveniens vix tandem scientiam parit intrinsecus: scientiam inquam ipsius, quod naturaliter bene affectum est in animo, ad ipsum quoque naturaliter bene affecto,* (ἐυ πεφυκότ۞, ἐυ πεφυκότι.) *At si quis malè affectus sit natura, qualis naturaliter animæ habitus inest multis, tum ad illa quæ discenda sunt, tum ad mores, corruptiq; illi sunt, ne Lynceus quidem, ut ejusmodi animus videat, efficere possit. Atque ut summatim dicam, neque acumen, neq; memoria faciet unquam, ut qui rei ipsius, de qua agitur, non est cognatus, ipsum inspiciat. Principium etenim in habitibus alienis non sortitur. Quamobrem quicunque justis aliisq;, quotcunque sunt pulchra, non sunt apti natura atque cognati,* (προσφυεῖς καὶ ξυγγενεῖς) *licet alii ad alia ingeniosi simul & memores: rursus quicunque cognati sunt quidem, sed hebetes & memoria parum validi, nunquam ad summum discendi veritatem pervenient vel virtutis, vel vitii.* Libro *3. de Rep.* ubi inquisivisset, quis esset bonus Judex, dixissetque, non Juvenem, sed senem esse bonum Judicem, qui diu quale quid injustitia sit didicerit; non quod propriam in animo suo senserit, sed alienam in alienis animis longo tempore noverit, atque idcirco cujusmodi sit malum discernat, scientia potius, quàm propria experientia judicans; mox ita pergit p. 441: *Non ergo talem opprtet quærere judicem, sed qualem paulò ante dicebam. Pravitas enim neque se, neque virtutem cognosceret unquam. Virtus autem naturæ addita temporis disciplina,* (ἀρετὴ δὲ φύσεως παιδευομένης χρόνῳ) *& seipsam simul, & pravitatem intelliget.* Paulò pòst: *Nonne igitur & medicinam qualem diximus, unà cum hujus-*

modi judiciaria æquitate in civitate constitues, quæ quidem eos cives, qui naturâ & animo corpore bene sunt adfecti, (εὐφυεῖς τὰ σώματα καὶ τὰς ψυχὰς) curabunt: alios vero, quia non sunt ejusmodi corpore præditi, mori sinant. Qui vero malo ingenio procreati, & insanabiles sunt, (τὰς κτ̀ ψυχὴν κακοφυεῖς καὶ ἀνιάτυς) morte multent? Lib. 5. *de Rep. p. m.* 458. ita disputat: Ἀπόκρινε, ἆρα ὅπως ἔλεγες, τὸν μὲν, εὐφυῆ πρός τι εἶναι, τὸν δὲ, ἀφυῆ, ἐν ᾧ ὁ μὲν ῥᾳδίως τι μανθάνοι, ὁ δὲ, χαλεπῶς; καὶ ὁ μὲν, ἀπὸ βραχείας μαθήσεως τυχὼν καὶ μελέτης, μηδ' ἃ ἔμαθε σώζοιτο; καὶ τῷ μὲν τὰ τοῦ σώματος ἱκανῶς ὑπηρετοῖ τῇ διανοίᾳ, τῷ δὲ ἐναντιοῖτο; ἄρ' ἄλλα ἄττα ἐστὶν ἢ ταῦτα, οἷς τὸν εὐφυῆ πρὸς ἕκαστα καὶ τὸν μὴ, ὡρίζε; *Responde, numquid ita dicebas, ad aliquod opus aliquem apto ineptove à natura ingenio præditum esse ex eo intelligi, quod ille facilè quidquam percipit, hic difficile: & ille si brevi quid à quoquam didicerit, ex eo ipse plurimum inveniat: hic autem cum plura didicerit excogitaveritq;, ne illa quidem, quæ didicit, servet, & illi quidem corporis membra sufficienter menti subserviunt, huic autem repugnant? An alia præter hæc sunt, quibus hominem ad aliqua natura bene institutum, ab instituto malè, distinguis?* Alibi appellat θείαν μοῖραν, & εὐμοιρίαν.

X. Cicero etiam Bonæ indolis seu Naturæ vim egregiè perspectam habuit, qui de ea sic loquitur pro Archia: *Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse, & sine doctrina, Natura ipsius habitu prope divino, per se ipsos & moderatos & graves exstitisse fateor. Etiam illud adjunges, sæpius ad laudem atque Virtutem Naturam sine doctrina, quàm sine Natura valuisse doctrinam.* In eandem sententiam loquitur Seneca *ep. 95: Quidam,* inquit, *ex hominibus egregiam sortiti indolem, in ea, quæ tradi solent, perveniunt sine longo*

longo magisterio, & honesta complexi sunt, cum primum audierunt. Platoni quoque hæc vox tribuitur: σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾶ, *Sapiens est, qui multa novit natura.* Sed non opus magnorum nominum suffragiis uti, cum rerum testimonia adsint.

XI. His ita cognitis, apparet εὐφυΐαν non ad Intellectum, nec unicè ad Appetitum, sed ad utrumq; esse referendam; nam & huic & illi suum εὖ communicat: sic ut nec excludatur cum internorum tum externorum etiam sensuum istarum facultatum operationibus inservientium commoda dispositio. Intellectum quod attinet, cum Aristoteles tum Plato naturalem ingenii solertiam, qua facilè veritas inveniatur & intelligatur, veram & propriam hominis εὐφυΐαν vocant. Nam solius veritatis causa homo dicitur habere intellectum. Et in bene natis ingeniis facilè inolescit veritas, & propter cognationem fit ξυμφυὴς, & unum quiddam, cùm naturâ nihil sit verius intellectu, ut qui principium sit omnium verorum. Talem indolem fuisse in Theæteto, Plato prædicat non procul ab initio istius Dialogi. Huic indoli maximè oppositus est stupor ingenii, quem Aristot. 8. *Phys.* ἀῤῥωστίαν τῆς διανοίας, *imbecillitatem mentis* vocat. Ut si quis hallucinetur in veritate principiorum percipienda. Quales sunt, qui dicunt, omnia unum esse, aut qui omnia moveri vel quiescere dicunt. Ejusmodi fallaces conceptus lumini Intellectus officiunt, ut ne quidem prima vera videre queat. Intellectum igitur quod concernit, εὐφυΐα illi hoc tribuit, ut amabilia ab iis quæ odio sunt digna, honesta ab inhonestis & turpibus singulari quadam naturæ facilitate ac felicitate discernere sciat: Appetitui hoc, ut æquè

facili inclinatione εὐφυῆς tale judicium sequentes, ad electionem boni, & fugam mali, propensi sint.

XII. Hinc jam decidi illa Quæstio potest, An εὐφυΐα idem sit quod Ingenium; sic enim à multis hanc vocem latine reddi solere notum est: Quibus accedit Episcopus Casertæ, qui in libris *Eversionum singularis certaminis* censet, Ingenium idem esse, ac εὐφυΐαν, & addit, Ingenium convenire cum Judicio, quod κρίσις Græcè dicitur, sic ut εὐφυΐα, Ingenium & Judicium inter se non distent. Probat hoc ipsum inde, quod illa facultas, qua possumus ex multis rebus propositis eligere verum, & fugere falsum, Judicium dici soleat. Jam vero vim κριτικὴν τῇ εὐφυΐᾳ tribuit Aristot. *d. l. 8. Topic.* adeoq; sequi, hanc esse Judicium. Quia verò simul observavit, Philosophum isto loco etiam ad εὐφυΐαν referre, *posse rectè eligere verum & fugere falsum*; eligere autem & fugere pertineant ad facultatem appetentem, ideo inquit ille Episcopus, usurpari eo in loco Electionem latè pro approbatione & adhæsione.

XIII. Cæterum bonis rationibus hanc sententiam refutat Piccolomineus *gr. 2. c. 3.* Primò enim εὐφυΐα non videtur idem planè esse, quod Ingenium; hoc enim ἀδιαφόρως se habet ad eum qui tardi, & velocis, pravi & probi est ingenii: εὐφυΐα autem per suum εὖ non nisi ad bonum restringitur. Hinc nonnulli Interpretes illam transtulerunt Bonum ingenium, aut Ingenii bonitatem. Deinde etsi Ingenium, & Judicium quandam adfinitatem inter se habere videantur; multos tamen deprehendimus judicio sic satis valere, ingenio vero esse obtuso: ut adeo ipsa experientia hæc quoque separet. Præterea Judicium unicè ad vim cognoscendi, εὐφυΐα vero etiam ad appetendi

tendi

tendi vim pertinet, ceu liquet ex textibus prolatis; per hanc enim & rectè discernimus à malo bonum, atque tum hoc optamus. Nec enim tam aliena & quæsita interpretatio admitti potest, ut Electionis vox in Topicis d.c.pro adsensu accipiatur. Plenè itaque & accommodatissimè à Cicerone dicitur *Naturæ bonitas 1. Offic.*

XIV. Hanc plenam εὐφυΐας significationem cum alii vidissent, duplicem illam constituerunt, unam Theoreticam, quam Alexander Aphrod. πρώτην καὶ κυρίως εὐφυΐαν vocat, alteram Practicam: & de priori Philosophum egisse *8.Topicor.* de altera in *3. Moralium Nicom.* Verum non apparet, illum has partes segregasse, sed utrobique illas conjunxisse. Nec enim secerni possunt commodè; parte enim una ab altera separata, homo per naturam rectè formatus ac constitutus dici non posset: εὐφυΐα verò est illa bona animi per naturam constitutio cum ad verum, tum ad bonum, sic, ut ad judicium veri & falsi, & ad fugam boni ac mali rectè se habeat. Unde & hoc sequitur, non esse illam idem cum Ingenio, quod hoc ad bonum & malum, variasq; conditiones recipiendas sit ἀδιάφορον. Imò ne quidem idem esse cum Bono Ingenio, quod hoc solum ad cognitionem spectet, εὐφυΐα autem hominis πολιτικῶς considerati vel præcipuè ad actionem vergat, sic ut & Judicii & Appetitus rectam naturalemq; constitutionem complectatur.

XV. His ita investigatis hactenus, vim εὐφυΐας jam propriùs cognoscemus, si ipsius Prudentiæ & Virtutum moralium effectus illustraverimus, & quid quantumq; ad eos conferat Natura, penitius inquisiverimus. Textum Philosophi jam suprà allatum hic repetere lubet ex *6.Nic.12.*

§.16.

§. 16. & 17. Ex Prudentia & ex virtute morali opus hominis absolvitur. Virtus enim scopum propositum agenti rectum efficit: Prudentia vero ea, quæ ad scopum ducunt. Idem repetit *c. ult. §. 31. 2. Eudem 11.* hæc habentur: *Utrum Virtus scopum, an ea, quæ ad scopum, regit? Asseveramus autem, scopum à virtute constitui.* Horum verborum sententiam ita explanat Vetus Paraphrastes: *Ad omnem actionem honestam conducit Prudentia, & per eam quodlibet tale opus perficitur. Virtus quippe moralis ad finem voluntatem dirigit bonum, scopumq́ rectum efficit. Prudentia vero ea, quæ ad rectum tendunt finem, quærit: sed & deliberat, quibus potissimum mediis optimè facillimeq́, & oportet, finem adsequi possit suum.* His quoque jungere liceat egregiam Eustratii commentationem: *Quo pactò autem scopum & propositum moralis virtus rectum facit, Prudentia vero eà quæ ad ipsum tendunt? Quia sanè ubi appetitivæ hæ facultates à ratione fuerint castigatæ ita, ut nihil nisi honestum & bonum appetant, nunquamq́ ad inhonesta & mala excidant ac delabantur: appetitionum rectum propositum efficitur, rectaq́ intentio, ut nunquam incitatione distorqueatur, ac declinet ad id, quòd non debeat; sed finem semper laudabilem habeat ac convenientem, ad quem intendatur, cum jam ratio appetitiones ipsas rationales quodammodo reddiderit, atque appetere rationaliter adsuefecerit. Nam cum talia appetitionibus proposita sunt, Prudentia modis idoneis ac rationibus excogitatis atque initiis prosperè ad ea consequenda perducit, ut meritò inter virtutes, earumq́ actiones obtinere principatum debeat.*

XVI. Omissa jam vi theoretica εὐφυΐας, ita ex præcedentibus colligimus. Si Rationis practicæ perfectio in Pru-

in Prudentia, Appetitus perfectio in Virtute morali consistit: & εὐφυΐα est naturalis utriusque Facultatis rectaq; constitutio, magnam sanè cum illis adfinitatem habebit; ut quidem εὐφυΐα sit naturalis atque inchoata Facultatum illarum perfectio, istæ vero plenam illis perfectionem tribuant. Atque hinc est, quod Aristoteles Prudentiam & Virtutes etiam quasdam Naturales constituat: illam δεινότητα, *Solertiam*, appellat, *6. Nicom. 12. §. 25.* has autem, ἀρετὰς φυσικὰς, *6. Nicom. 13.* Eodem capite *§. 6.* vocat φυσικὰς ἕξεις, *& 8. Histor. Animal. c. 1.* ὁμοιότητας, φυσικὰς δυνάμεις, ἴχνη καὶ σπέρματα, *similitudines, potentias naturales, vestigia & semina.* Quod autem hæ εὐφυΐας facultates seu inclinationes sint naturales, cum aliis argumentis, tum & hoc probat *d. §. 6. c. ult. 6. Nicom.* καὶ γὰρ παισὶ καὶ θηρίοις αἱ φυσικαὶ ὑπάρχουσιν ἕξεις. *Habitus namque isti naturales in pueris quoque, nec non & in bestiis, insunt.*

XVII. Sed cum luculentissimè hanc rem illustrent verba *cap. 1. l. 8. Hist. Anim.* non pigebit illa adscribere: *Generatio,* inquit, *& reliqua animalium natura ita se habet. Actiones autem & vita, pro moribus victuq; differunt. Sunt enim vel in plurimis cæterorum animalium, vestigia morum animi humani: quanquam hæc apertius in homine discernantur. Inest urbanitas, feritas, clementia, acerbitas, fortitudo, ignavia, metus, fidentia, ira, malitia. Atque etiam Prudentiæ imago inest in multis, quemadmodum, cum de partibus docerem, exposui. Alia enim quod magis minusve habeant, comparatione hominis differunt: homoq; ipse cum multis aliis animalibus ita dissidet; quippe cum aliqua ex his magis in homine habeantur, aliqua in cæteris animalibus latiùs: alia vero differant proportione. Ut enim in homine*

ars, sapientia, prudentia: sic in nonnullis brutis inest vis quædam ejusmodi altera naturalis. Constat hoc ita esse planè argumento puerilis ætatis, in qua futurorum habituum quasi vestigia & semina videris: & tamen nihil per id tempus animam hominis differre belluarum anima prope dixerim. Itaq; nihil remotum à ratione est, si partim eadem, partim similia, partim ex proportione in cæteris animalibus habentur. Sed adeo de inanimatis paulatim, sensimq; ad animata natura transit, ut continuatione ipsa lateat eorum confinium, & medium utriusnam sit extremi. Quod de Prudentiæ imagine in bestiis hic docet, etiam legitur *6. Nicom. 7. §. 9. & 10. Quod,* ait, *singulis in rebus ipsum εὖ earum rerum spectat & pervidet, id prudens esse aliquis dixerit, & eas res huic commiserit. Itaque & bestias quasdam prudentes esse dicunt: nempe eas, quæ rerum ad vitam necessariarum providendarum facultatem habere videntur.*

XVIII. Ἔστι δή τις δύναμις, ἣν καλοῦσι δεινότητα. αὕτη δέ ἐστι τοιαύτη, ὥστε τὰ πρὸς τὸν ὑποτεθέντα σκοπὸν συντείνοντα, δύνασθαι ταῦτα πράττειν καὶ τυγχάνειν αὐτῶν. *Est igitur vis seu potestas quædam, quam Solertiam appellant. Hæc autem ejusmodi est, ut ea, quæ ad scopum propositum pertinent, agere & consequi possit.* Verba sunt Philosophi *6. Nicom. 12. §. 25. & 26.* Perperam δεινότης hæc à Perionio aliisq; Ingenium vertitur; hujus enim vis ad cognitionem solùm pertinet, at ista respicit ea, quæ ad actionem referuntur. Discrimen vero inter δεινότητα & εὐφυΐαν est eadem, quæ inter partem & totum est. A Prudentia quoque quid distet, ex præcedentibus haut difficulter colligi potest. Solertia enim est naturalis quædam διάθεσις atque ἐπιδεξιότης investigandi ac dijudicandi media, sed valde imbecilla ac imperfecta.

Pru-

Prudentia vero ipsa est perfectio ac consummata Rationis Practicæ virtus. Etsi vero, inquit Aristot. *d. c. §. 29. & 30.* hæc facultas non sit prudentia, hæc tamen existere sine illa nequit. Præterea nec Prudentiæ habitus τῷ ὄμματι τούτῳ τῆς ψυχῆς, *huic animi oculo* ingeneratur sine virtute. Quemadmodum enim nec quispiam alius habitus acquiri potest, nisi subjectum ad suscipiendum idoneum fuerit: idoneum vero esse nequit, nisi naturalis ibi adsit ἐπιτηδειότης καὶ εὐφυΐα, inquit hic Scholiastes.

XIX. Quomodo Prudentia & Solertia sunt inter se affectæ, eodem modo comparatur & virtus illa naturalis cum ea, quæ propriè & præcipuè virtus est. Unaquæque enim virtus moralis in omnibus hominibus quodammodo videtur inesse natura. Nam & justi, & temperantes, & fortes sumus, & cæteras item virtutes habemus, cum primùm nascimur. Itaque quemadmodum in parte animi δοξαστικῇ duæ sunt species, Solertia & Prudentia: ita & in ea, quæ moribus attributa est, duæ: quarum altera est virtus naturalis, altera ea, quæ præcipuè ac propriè virtus dicitur. Ita docemur *6. Nicom. c. ult.* Est igitur talis virtus naturalis quædam ἐπιτηδειότης, *habilitas*, quæ ab ea, quæ propriè virtus est, formam quasi materia suscipit, dum in convenientem ὀρθότητα *seu rectitudinem* appetitiones redactæ, obsequentes rationi efficiuntur, quæ eas ad bonum atque honestum scopum incitat & inducit. Scholiastes hoc eleganter his dicit verbis: αἱ φυσικαὶ ἀρεταὶ, εὐφυΐαι πρὸς τὰς κυρίως ἀρετάς, αἱ μορφωτικαί εἰσι τῶν φυσικῶν, ὡς ὑλῶν. ἐν τῇ πρὸς τὸν ὀρθὸν λόγον ἀκολουθήσεως τῶν ὀρέξεων δεχόμεναι τὴν πλείωσιν, καὶ οὕτω τὰς μὲν ὀρέξεις καθιστῶσαι

στῶσαι ἐν τῇ ἁρμοτλέσῃ ταύταις ὀρθότητι. τὸν δὲ λόγον ἔχουσι πρὸς ἀγαθὸν σκοπὸν τὰς κινήσεις βάλλοντα.

XX. Lucem quoque aliquam hisce fœnerari poterit simile Stoicum, quod Cicero 1. Officiorum parte postrema proponit. Ut in scena, inquiebant Stoici, histrioni laudi vertitur, si ejus personæ, qua à Pöeta fuerit indutus, modum teneat, omniaq; illi aptè convenienterq; agat; sic in vita ille laudatur, qui omnes actiones ea moderatione regit, ut aptè congruant illi personæ, quam indutam seu à Natura, seu à Fortuna, seu à Voluntate sua habet. Quatuor enim quædam sunt quasi Personæ, inquit Cicero, quibus vulgo induimur. Duæ quidem ab ipsa Natura: una Communis, qua sumus omnes & rationis participes, & præcellentes bestiis; altera Propria, quæ ipsa est indoles cujusque privata. Tertia vero ab ipsa Fortuna, qua nimirum quispiam est Rex, nobilis, dives, &c. Quarta denique à delectu, seu judicio proprio, qua quis evadit Jurisperitus, miles, mercator, aut alius. Et cum hujusmodi Personæ in unam quasi coalescant, sic se gerere quisque debet, ut nihil peccans in singulis, generalem ex omnibus quasi resultantem præclarè sustineat. Cæterum quam Propriam personam appellitant Stoici, illa huc præcipuè facit. Quando enim Aristoteles dicit, quamlibet virtutem moralem quodammodo hominibus inesse natura, & inductione idipsum comprobat; ita quoq; Cicero idem experientia multiplici confirmat. Erat, inquit, in L. Crasso & L. Philippo multus lepos: in M. Scauro & in M. Bruto singularis severitas: in C. Lælio multa hilaritas, in ejus familiari Scipione vita tristior. Ex Græcis Socratem εἴρωνα fuisse accepimus, Pythagoram & Periclem

elem summam autoritatem consecutos sine ulla hilaritate. Callidus fuit Hannibal & Q. Fabius Maximus. Hostium præripere consilia norat Themistocles, & Pheræus Jason. Sed & hæc & alia singularia apud ipsum Romanorum Philosophorum principem videantur.

XXI. Antequam ad alia progrediamur, videamus & nos non contemnendam Quæstionem, quam Eustratius in suo ad *c. 13. lib. 6. Nicom.* commentario proponit. Est illa hæc: Cum τὰ ἤθη & in brutis & in homine naturalia sint, cur Virtutes naturales non etiam dicantur Morales à moribus, qui natura sunt communiq; nomine, licet æquivocè, omnes Morales appellentur? Huic dubitationi ita respondet: *Scire oportet, Virtutes morales ἠθικὰς, non ab ἤθος, id est moribus, sed ab ἔθος dici, quod morem & consuetudinem significat, brevi syllaba ε in longum η mutata; quippe quæ assuetudine & exercitatione ex rationis præsidentia ac præscriptione comparentur: Naturales vero, quæ ab ipso ortu natura existunt in iis, in quibus insunt. Quoniam igitur hæ naturam, illæ morem & consuetudinem efficientem causam habent, meritò utrisque à causa nomen impositum est. Nam mores, id est, ἦθος, non sunt causa, sed ex causa, quæ ipsa natura est, existunt. Ex more enim & consuetudine, quod ἔθος dicitur, morales virtutes appellari, ipse quoque Aristoteles testatur: qui in secundo hujus Operis libro, moralium virtutum nomen à more, id est ἔθος, parva inclinatione & mutatione facta esse deductum asserit. Non enim naturalis est mos, sicut mores, sed ex assuetudine & exercitatione in habitum evadit. Aptitudines igitur ad unamquamq; virtutem moralem ab ortu & generatione ipsa nobis insunt: sed non satis tamen id nobis est, ut ea quæ propriè virtus est, præditi esse dicamur: sed aliud*

est, quod quærimus; id scilicet quod propriè bonum est, id est quæ est propriè virtus, licet eodem quo naturalis nomine appelletur. Hæc ille ex translatione Jo. Bernh. Feliciani.

XXII. Si ergo Virtutes aliæ sunt Naturales in Homine, aliæ Morales, per adsuefactionem Bonitatis *ποιότητα*, *qualitatem* consecutæ, ipsæ etiam actiones harum facultatum erunt duûm generum. Quatenus verò omnes ad vitam spectant; liceat mihi illas dispescere in *τὰ ἤθη φυσικὰ mores naturales*, & *τὰ δι' ἐθισμὸν peradsuefactionem dispositos.* Non quod nesciam, *ἀκύρως* actiones illas naturalium facultatum Mores dici; non tamen etiam magis impropriè, quam illæ *δυνάμεις φυσικαὶ* dicuntur Virtutes; Virtutes enim propriè dictæ item per Adsuefactionem cumprimis parantur. Quod si illa distinctione hic uti velimus, qua nonnulli discrimen faciunt inter Actiones Hominis, & actiones Humanas, has homini peculiares, illas cum brutis ei communes esse dicentes; videntur sanè Virtutum naturalium actiones ad Humanas non ad Hominis referendæ esse. Etsi enim & bruta fortia, mitia & mansueta dicantur, uti pluribus accepimus ex *c. 1. l. 8. hist. Anim.* multò tamen excellentiores sunt naturales actiones bonæ humanæ; proficiscuntur enim ab *εὐφυΐα*, quæ quia cum aliarum, tum excellentissimæ facultatis rationalis quoque, naturalis est perfectio, hactenus sanè & propriè humanæ, & naturaliter bonæ, ac morales quodammodo dici poterunt. Si quis autem tam pertinax sit, ut postremum hoc admittere aut concoquere nolit, saltem tantisper toleret, donec videro, an hæc distinctio aliquid conferre queat adjumenti ad Galeni, summi Philoso-

losophi & Medici ſententiam examinandam; tum pro in-genii ſui ſævitia per me illam juguler.

XXIII. Scripſit hic Commentarium hujus argumenti, τὰ τῆς ψυχῆς ἤθη ἕπεσθαι τῇ τοῦ σώματος κράσει, *Mores animi ſequi temperamentum corporis.* Mox ita infit diſſerere: ταῖς τοῦ σώματος κράσεσιν ἕπεσθαι τὰς δυνάμεις τῆς ψυχῆς, *Corporis temperamenta ſequi potentias animæ*, &c. ubi velim notari, protinus δυνάμεις τῆς ψυχῆς, *potentias animæ*, appellari, quæ in ipſo titulo ἤθη ψυχῆς, *mores animæ*, dicebantur. Deinde obſervandum eſt, illum ſupponere, ipſam Animam eſſe κρᾶσιν, *temperamentum*, eamq; ὑπόθεσιν cum quibusdam argumentis, tum autoritate Platonis, Ariſtotelis & Hippocratis, *capp. 6. 7. & 8.* adſtruere conari, hujusq; κράσεως ſeu Animæ mores mutari locorum, alimentorum, ac in univerſum temperamenti ratione. Quo poſito, multa (ut molliter dicam) temerè pronuntiat: Non eandem omnibus naturam animæ eſſe: Platonem animam rationalem ſtatuere, ſe verò nolle contendere, resne ita ſe habeat, nec ne. ἐγὼ δὲ, inquit c. *3.* οὔθ' ὡς ἔστιν, οὔθ' ὡς οὐκ ἔστι, ἔχω διατείνασθαι. Eodem capite cum eandem Platonis ſententiam admittere nollet, ſic pergit: ἀκόλουθον ὁρῶ τοῦτο, τῷ περὶ ψυχῆς δόγματι τοῦ Πλάτωνος, ἀπόδειξίν γε μὴν οὐδεμίαν ἔχω λέγειν αὐτοῦ, διὰ τὸ μὴ γινώσκειν με τὴν οὐσίαν τῆς ψυχῆς, ὁποία τίς ἐστιν, ἐκ τοῦ γένους τῶν ἀσωμάτων ὑποθεμένων ἡμῶν ὑπάρχειν αὐτήν. Hæc ita vertit Barthol. Sylvanius Salonenſis: *Hoc Platonis dogmati de anima conſequens video, nullam tamen ejus demonſtrationem habeo dicere; quoniam eſſentiam animæ, qualiſnam ſit, haut quaquam novi: nimirum cum ex incorporeorum genere eam eſſe ſuppoſuerimus.* Intereſt vero pauca ſequentia adhuc cognoſcere: *In corporibus namq;* tem-

temperaturas satis inter se superq; diversas cerno, easq; quàm plurimas. At incorporeæ substantiæ, quæ per se ipsa esse possit, neque qualitas, aut species corporis sit, differentiam nullam intelligo: quamvis sæpius super ea re cogitaverim, atque accuratius perquisiverim. Sed nec quomodo, si corporis nihil esset, in totum ipsum valeret extendi. Horum sanè nihil, ὐδ' ἄχρι φαντασίας, ne ad imaginationem quidem usque consequi potui, quamvis diutissimè præmeditatus fuerim.

XXIV. Nescio vero quid sibi velit *cap. 4.* ubi Andronico contradicens, propria quoque videtur destruere dogmata. Verba illus hæc sunt: *Enimvero Andronicum Peripateticum, quod omnino intrepide, ut vir ingenuus, essentiam animæ nihil obscuritate involvens enunciarit, & multum commendo, & viri dicta recipio. Nam & in aliis pluribus talem eum comperio. Cæterum quod temperaturam esse eam dicat, aut facultatem temperaturæ comitem facultatis additamentum vitupero.* Mox redit ad demonstrationes suas, qualitatibus quibusdam cum meliorem tum deteriorem animam evadere. Inter alia hæc leguntur cap. 5. *Sed quamvis siccitatem Prudentiæ autorem esse nequaquam permiserint, schola tamen concesserit Heracliti. Etenim is ita dixit, αὐγὴ ξηρὰ, ψυχὴ σοφωτάτη, Splendor siccus, animus sapientissimus. Quo sanè dicto prudentiæ causam esse censet siccitatem. Nam hoc splendoris, hoc est αὐγῆς, vocabulum indicat. Atque hæc melior opinio existimanda est; cum stellas quoque fulgentes simul, & siccas animo concipiamus summa præditas esse prudentia. Quod si quis hoc ipsis non suppetere dicat, is sensum nullum obtinere Deorum excellentiæ videbitur.* Capite jam 7. ex Aristotelicis scriptis demonstraturus,

Mutari

Mutari animam à Corporis temperamento, hæc cumprimis notatu digna sunt: *Prædictis iis Aristoteles hæc deinceps adnectit. Profectò naturam sanguinis causam esse, ut permulta animalibus veniant, tum per mores, tum etiam per sensum, ratio est; materia enim totius corporis est, quippe cum alimentum materia sit, sanguis autem ultimum alimentum habeatur. Facit igitur, ut plurimum differentia existat, si calidus, aut frigidus sit: si tenuis, aut crassus: si turbulentus, aut nitidus. Sed cum aliæ quoque ejus dictiones sint tum in tractatibus suis de Animalibus, tum in Problematum libris, supervacuum mihi visum est adscribere universas. Satis enim mihi est Aristotelis sententiam, quam de corporis habet temperamentis, animæq; facultatibus, indicasse. Verumtamen adjiciam quoque ex eo libro, qui primus Animalium Historiæ dictus est: quorum nonnulla plane ad temperaturam referuntur: quædam vero physiognomonicis signis, hoc est naturæ indicibus intervenientibus, præsertimq;, ut opinio fert Aristotelis, siquidem huic placet, animi moribus ac facultatibus conflari propriam cuique animalium generi totius corporis formationem. Verbi causa, sanguineorum generatio quidem ex matris sanguine est: hujus vero temperiem mores animi consequuntur.* &c.

XXV. Etsi ex his aliisq;, quæ ibi leguntur, multa παράδοξα emergant, & graviter in doctrinam & naturam de Anima Galenus impingere videatur, non tamen omnis hæc disputatio ceu frivola omnino est rejicienda. Essentiam itaque Animæ quod attinet, hanc litem non faciemus nostram, at τὰ ἤθη ἕπεσθαι τῆς φύσεως κρᾶσιν h. e. mores propendere ad qualitatem & naturam temperamenti, propria hujus loci, & verissima disputatio est, siquidem

τὰ ἤθη hic intelligas φυσικά. Et quamvis summus ille Vir videatur nonnunquam verbis discrepare, attentus tamen lector profectò deprehendet, de Naturalium morum propensione ipsum præcipue ac plerumque loqui, eosq; benè à propriè dictis secernere. Ecce enim quæ ille adfert cap. ult. εἰκότως ἂν καὶ τῶν ἀνθρώπων τοὺς πονηροὺς μισοῦμεν, οὐ περιλογιζόμενοι τὸ ποιῆσαν αἴτιον αὐτοὺς τοιούτους. ἔμπαλιν δὲ προσιέμεθα καὶ φιλοῦμεν τοὺς ἀγαθοὺς εἴτ' φύσεως, εἴτ' ἐκ παιδείας καὶ διδασκαλίας, εἴτ' ἐκ προαιρέσεώς τι καὶ ἀσκήσεως ἐγένοντο τοιοῦτοι. h. e. *Non injuria igitur & malos odimus, haut prius causam, quæ tales eos præstiterit, æstimantes: bonos contra agnoscimus atque amamus, sive tales ex natura, sive ex institutione, sive ex proposito & meditatione* (rectius exercitio seu adsuefactione) evaserint. Bene igitur distinguit inter τῇ φύσει & τῇ προαιρέσει bonos malosq;: quamvis perperam dicat malos nos odisse nulla hujus differentiæ ratione habita. Natura enim quatenus boni sumus, ferè necessariò fit, atque hactenus tanquam naturale bonum amatur, & ἐκ προαιρέσεως quæ fiunt, liberè à nobis aguntur, veramq; moralitatem inducunt, adeoq; vel laudem vel vituperium, præmium vel pœnam demum merentur. Ipse hoc explicat in sequentibus: *Proinde sanè*, inquit, *consuetudine accedente secundum partem animæ ratione carentem pravi reddimur, falsis autem opinionibus secundum intellectricem partem imbuimur. Sicut si à bonis humanisq; viris instruimur, opiniones quidem veræ sunt, mores autem humani.* Hæc quidem in Græco Codice desunt, ex veteri autem translatione ita restituta sunt. Imò quod de Naturalium morum inclinatione potissimum loquatur, vel inde constare poterit, quod citet etiam caput primum libri primi Histo-

Historiæ Animalium Aristotelis: cujus explicationem ex parte jam suprà dedi.

XXVI. Sed quantum ille vel Educationi & Adsuefactioni vel Naturali indoli tribuat, videre est ex egregio textu, qui habetur cap. 7. libri *de cognoscendis curandisq; animi morbis*, quas Perturbationes Latini appellant. Vitio forsan quis mihi vertat, si post tot excerpta dogmata Galeni etiam hanc prolixam dissertationem huc transcribam; dum tamen cogito, quantæ hic autoritatis & scientiæ Vir sit, nec non à quam paucorum manibus versetur, nil expavesco Theonis dentem. Sic igitur ille ex versione Bernardini Donati Veronensis: *Quod & mala sint & fugienda, perspicere opera pretium est in iis hominibus, qui vehementer iis detinentur. In talibus enim turpitudo admodum perspicua est. Cur autem ipsi in nobis ipsis nihil tale prorsus cernamus, causam putare oportet eam veritatem, qua adficimur vel ad id, quod nos amat, vel ad id, quod ipsi amamus: nonnulla etiam esse, quæ nos fugiant, propterea quod exigua sint, & à nobis negligantur, quæ tamen propter magnitudinem in aliis negligi non possint. Invenire ergo oportebit senem quempiam, qui illa possit inspicere, rogareq; hunc, ut omnia nobis summa cum libertate indicet. Deinde, ubi ille nobis aliquid dixerit, tum continuò illi magnas agere gratias. Ubi vero ab illo abierimus, tum dispicere & considerare diligenter, quid sit, nosq; ipsos tum, cum soli sumus increpare, conariq; adfectum evellere, non usq; adeo solum, ut ab aliis duntaxat videamur, sed ut ne radicem quidem illius ullam in nostro animo prorsus relinquamus. Nam ex iis, quæ sic relinquantur, solet aliquid rursus pullulare, dum idipsum ab ipsa nequitia & pravitate irrigatur. Idcirco in nobis ipsis omnes sigillatim adfectus diligenter*

 atten-

attendere scrutariq; oportet, quoscunq; in amicis necessariisq; nostris cernimus, num aliquid tale in nostro item animo deprehendi queat. Excidendum quippe est, dum adhuc pullulat, nec exspectandum, dum crescat, & fiat insanabile. Nam cæteros quidem omnes animi adfectus plerique despiciunt, tametsi, cum alios vident ab iisdem teneri, contemnunt: tristitia verò ac mœror omnibus planè esse malum videtur, veluti labor in corpore. Cæterum olim quidam ex iis adolescentibus, qui mihi familiarissimi erant, cum se in parvis commoveri negasset, postquam tamen id sibi accidere animadvertisset, summo mane ad me venit, dicens se super ea re totam illam noctem insomnem duxisse, interimq; sibi venisse in mentem, se ne in maximis quidem rebus unquam æquè turbatum fuisse, ac in parvis fuisset. Itaque voluisse discere, quo id sibi pacto evenisset, utrumne ab aliquarum disciplinarum usu, an vero ab ipsa natura talis extitisset. Cui ego id respondi, quod verum est, scilicet naturam quidem ipsam in puerili ætate ad vitam perficiendam in cunctis plurimum posse, secundo autem loco studia exercitationesq; disciplinarum. Nam quod naturæ nostræ, sive ingenia plurimum inter se differunt, ex obviis passim pueris facilè intueri licet. Nam eorum alios semper hilares, alios semper tristes inspicimus: alios quidem omnibus de rebus ad ridendum promptissimos, alios vero ex qualibet vel levissima occasione plorantes. Sunt item, quibus æqua omnia & communia placeant. Sunt, quos contra, rapere ac prædari delectet. Alii etiam minimis quibusq; de causis vehementissimè excandescunt, ut & mordeant, & calcibus feriant tum lapides, tum ligna, sicq; se ulcisci putent, si quando ab illis injuriam accepisse arbitrentur. Alii ad ignoscendum faciles ac mites, neq; irascentes, neque plorantes, nisi post

magnam

magnam aliquam acceptam injuriam. Hac de causa Eupolis Aristidem illum, qui dictus est Justus, Nicia interroganti, quonam modo Justus evasisset, probè graviterq́ respondentem inducit, Naturæ quidem primum maximumq́ munus fuisse, deinde vero se quoque prompto animo naturam suam adjuvisse. Non solum igitur ad mœrorem atque tristitiam qualibet de causa propensæ sunt adolescentum naturæ, sed etiam ad excandescentiam atq́ ad suavissimorum ciborum appetentiam. De quo quidem vitii genere, quod ad illos pertineat, ad hunc usque locum, maximè sum locutus. Cæterum præter illa, quæ jam dicta sunt, licet aliquos puerorum impudentes intueri, aliquos autem verecundos: item alios memori natura præditos, alios, immemores, alios præterea obliviosos. Nec non alii sunt, qui promptè ac libenter discendi causa laborem ferant: alii negligentes atque ignavi. Porrò ex illis ipsis, qui labores facilè tolerant, alii sunt, qui citò efferantur lætitia, si quandò laudentur: alii qui adficiantur pudore, simul atque à præceptore contemni se videant: alii vero qui terreantur verberibus. Idem autem, sed contraria ratione, de ignavis intellige. Itaque ex illis, quæ pueris vident accidere homines universi, alios solent appellare pudentes, alios impudentes: & eadem ratione alios ambitiosos, & probos alios, improbos & honoris negligentes: alios timidos, & alios verborum contemptores: aliasq́ item illis appellationes, quæ naturis ipsorum conveniant, imponunt. Sic etiam ex iisdem pueris alios intuemur natura mendaces, alios veritatis amatores: multisq́ præterea morum differentiis inter se distinctos: de quibus nunc dicendi locus non est, quod huic duntaxat instituto nostro conveniat. Nam eorum alii quidem bonam facillimè disciplinam recipiunt, in aliis ea

nullius momenti esse solet. Neque tamen ob hanc causam negligendi sunt pueri, sed in optimis moribus nutriendi. Nam, si natura illorum curationis, ac diligentiæ bonitatem recipiet, in viros bonos opera nostra evaserint: sin autem contra, nostræ sedulitatis utilitatem nullam perceperint, quod tamen nos attinet, culpa in hoc nostra nulla fuerit. Nam puerorum educatio similis quodammodo est curæ ac sedulitati, qua in plantis arboribusq; alendis utimur. Siquidem quamvis bonus arborum ac plantarum sator & cultor, nunquam tamen efficiet, ut rubus uvam ferat. Neque enim natura illius talem à principio suo perfectionem capere potest. Rursus vites, quæ, quod ipsas attinet, fructum ferre paratæ sunt, si neglexeris, soliq; naturæ curandas reliqueris, aut multò deteriorem, aut planè nullum edere fructum animadvertes. Idem in animalibus usu solet venire: equum quippe si erudieris, ad multas res utilem habebis: rursum vero quamvis olim mansuefeceris, non tamen perpetuo habitu talem possidebis. Vipera autem & scorpius ne eò quidem usque progredientur, ut mansuescere videantur.

XXVII. Primas itaque Naturæ, secundas partes Galenum Educationi adsignare, haut obscurè ex his colligitur. Quo, quæso inductus argumento? verbo dicam, Experientia, uti quidem ille putat. Hinc ita stomachatur adversus illos, qui suam sententiam admittere nolebant, *c. ult. Lib.* Quod animi mores sequantur temperamentum: *Ea igitur, quæ ab hujusce tempestatis Philosophis dicuntur, relinquenda sunt: Verum non Philosophos eos fortasse, sed philosophiam profitentes appellare præstiterit. Nam si legitimè philosopharentur, illud inprimis observarent, ut ab his, quæ sensibus patent, demonstrationum principia sumerent, quandoquidem & vetu-*

vetustissimi id fecisse sciuntur: & propter hoc ab ejus seculi hominibus Philosophi vocari meruerunt. Ipse quoque singulare aliquod suppeditat de sua natura & adsuefactione *lib.* de cognosc. curand. animi morbis *in fin. c. 7. & c. 8. Ego,* inquit, *cujusmodi sim natura non facilè dixerim; nam seipsum cognoscere vel ætatis maturæ viris difficile est, nedum pueris. Mihi vero quadam ingenti felicitate contigit, ut patrem ab omni iracundia alienum, justissimum, frugalissimum, humanissimum haberem: ac matrem usque adeò iracundam, ut etiam morderet interdum ancillas, semper autem & vociferaretur, & contenderet cum patre, & longè quidem odiosius quàm Xanthippe illa cum Socrate. Mihi itaq. intuenti bonitatem honestatemq. paternorum officiorum, quæ vitiositatem maternorum adfectuum in proximo collocatam quasi è regione respiceret, venit in mentem cum illam amplecti & amare, tum vero hanc alteram fugere odioq. prosequi. Ut autem in his ipsis maximam cernebam parentum meorum dissimilitudinem, sic item in hoc agnoscebam patrem meum quidem ex nullo damno dolorem concipere, matrem verò etiam ob res minimas oppidò quàm mœstam evadere. Porro nosti tu quoque, pueros, quæ vehementer attenderint, ea imitari solitos: quæ autem injucundè & cum molestia inspexerint, ab his longè fugere consuevisse.*

XXVIII. Ut igitur nos hinc expediamus, &, quid veri, quidq; falsi hæc Galeni opinio habeat, videamus, hæc tria distinctè in nobis consideranda sunt, Propensiones ad adfectus, deinde ipsi Adfectus, denique Mores; nec enim Mores simpliciter sunt Adfectus, sed qualitate aliqua informati adfectus, & quidam eorum modi. Deinde Moris nomen videtur dupliciter accipi, vel pro more inter-

interno, vel pro externo prodeunte ab interno. Mos externus igitur est actio ab interno proficiscens, ejusq; quasi character & index est. Internus mos est certa animi constitutio ad aliquid agendum. Hic vicissim duplex est; vel enim ab ipso ortu nobis competit, unde suprà Mores naturales appellabam, vel studio nostro paulatim acquiritur. Qui à Natura Mos est, vel datus apparet universo humano generi: vel genti cuipiam: qua de re videantur Aristot. *Problem. sect. 14. Bodinus Methodo legendi Historias, & Barclajus in suis Iconibus animorum.* Galenus in fin. libri sui τὰ ἤθη ψυχῆς ἕπεσθαι τῇ κράσει, hinc ita loquitur: *Apud Scythas unus tantùm post hominum memoriam Philosophus extitit, Athenis autem plurimi. Item apud Abderitas multi fatui sunt, Athenis vero pauci.* Et Demodocus de Milesiis apud Arist. *7. Nicom. c. 8. §. 11.* non esse quidem illos stultos, sed tamen eadem facere, quæ stulti. Vel certo Individuo. De his loquitur Aristot. *6. Nic. ult. §. 4.* καὶ γὰρ δίκαιοι, καὶ σωφρονικοὶ, καὶ ἀνδρεῖοι καὶ τἆλλα ἔχομεν εὐθὺς ἐκ γενετῆς. *Nam & justi, & temperantes, & fortes sumus & cæteras item virtutes habemus, cum primum nascimur.* De iisdem Seneca passim, & quidem *Ep. 93.* hæc habet: *Omnium honestarum rerum semina animi gerunt, quæ admonitione excitantur, non secus ac scintilla flatu levi adjuta suum excitat ignem.*

XXIX. Præterea ille Mos, qui ætatis progressu nostro paratur studio, item duplex est: Inchoatus & imperfectus, estque διάθεσις quædam seu dispositio: vel Perfectus & constans, & est Habitus, atque hic maximè proprie & κυρίως Mos dicitur, ceu etiam suprà indicatum fuit. De his agit Aristoteles *lib. 2. Nicom.* & pluribus demon-

demonstrat, illos per adsuefactionem parari, & in tales habitus adolescere.

XXX. His ita positis, clarius mox innotescet, quomodo mores sequantur temperamentum corporis, vel non. Si quis ergo per τὰ ἤθη denotet naturalem propensionem vel ad hoc vel ad aliud πάθος, nullum mihi dubium est, quin temperamentum sequantur, & prout hoc varium & mutabile est, ita eadem ἤθη variare & mutare. Ita Melancholicos ad tristitiam, Cholericos ad iracundiam proclives esse, quis nescit? Imò tanta temperamenti vis est, ut sæpe ipsum rationis usum vel ad tempus, vel perpetuò demat. Legantur in hujus rei illustrationem & testimonium Aristotelis Physiognomonica, & illa Variorum Problemata. Hinc jejunia nonnullis imperantur, ne copiosiori sanguine & nutrimento corpore repleto, animus quoque ad lasciviam & libidinem propendeat. Nec dispar ratio est morum naturalium, quos ab ipso ortu accepimus, quin & hi temperamentum sequantur.

Natura sequitur semina quisq; sua.

Et alius Poëta:

Naturam expellas furca, tamen usq; recurrit.

Et profectò, si verum amamus, de his præcipuè ibi Galenus loquitur. Cur enim τὰ ἤθη ψυχῆς, *mores animæ*, mox appellat δυνάμεις *potentias?* cur τὰ ἤθη *mores*, alia dicit ἐκ φύσεως, *à natura*, alia ἐκ προαιρέσεως καὶ ἀσκήσεως, *à consilio & exercitatione*, oriri? cur item tantum tribuit Educationi & Adsuefactioni, si etiam Mores propriè dicti temperamenti necessario nexu rapiuntur?

XXXI. Fateor interim, nonnulla à Galenó nimio ardore abrepto *cap. ult. d. libri.* esse prolata, quæ viden-

Ee tur

tur accipi posse etiam de propriè dictis Moribus, ac si & hi Temperamentum sequantur. Cum igitur se reperisse putaret, quod alii Philosophi ignorent, eorundem objectionem adfert, eiq; malè respondet. *Quoniam igitur pacto, inquiunt, meritò quisquam laudetur, & vituperetur, & invisus sit, & ametur, si malus, aut bonus, non sua culpa, sed temperatura fuerit effectus, quam aliis de causis sortiri videtur? Quoniam hoc nobis, dicemus, insitum omnibus est, ut bonum amplectamur, ambiamus, amemus: malum contra aversemur, oderimus, fugiamus, quod necdum considerantibus, genitumne sit, an secus, compertum est. Neque enim eorum alterum tale effecit, neq; ejusmodi ipsum constituit. Itaq; ob eam rem scorpiones, & phalangia, & viperas necamus, cum talia, non à se sint, sed à natura progenita. Deum quoq; primum & maximum Plato esse ingenitum adfirmans, bonum tamen appellat. Et vero nos cum naturali amore prosequimur: cum talis ab æterno, non bonus à seipso redditus sit. Nam nec deniq; est factus aliquando, cum perenniter ingenitus sit, ac sempiternus. Non injuria igitur & malos odimus, haut prius causam, quæ tales eos præstiterit, æstimantes: bonos contra agnoscimus, atq; amamus, sive tales ex natura, sive ex institutione sive ex proposito, ac meditatione evaserint. Quin perditos quoque ac scelestos occidimus, idq; tribus de causis hautquaquam ratione carentibus, tum ne nobis injuriam sospites inferant, tum, ut similis notæ hominibus terrorem incutiant, veluti scelerum pœnas, quæ commiserint, daturis. Tertia est, quod vel ipsis illis mori satius sit, quando animum adeò corruptio invasit, ut pravitas remedium nullum recipiat: ut ne à Musis quidem ipsis emendari queant, neque à Socrate aut Pythagora ad bonam frugem perduci. Cæterum in eo Stoicos demiror, quod omnes*

homi-

homines consequenda virtuti idoneos arbitrentur, perverti vero à non viventibus, ac depravari. Ut enim cætera omittam, quæ rationem eorum demoliuntur atq; prosternunt, unum autem duntaxat percunctor, nempe de hominibus, qui primi extitere, nullumq; ante se alium habuere; à quibus enim hi depravati fuerint, dicere non poterunt?

XXXII. Hæc ille, & quidem nimis confidenter, ne quid gravius dicam. Ad has ergo absurditates illum deduxit falsa illa ὑπόθεσις, Animam esse ipsum temperamentum. Huic ceu veram substituamus hanc propositionem, Animam non esse temperamentum. Deinde ea, quæ sequuntur temperamentum, duûm sunt generum; alia enim illud necessariò sequuntur, sic ut corrigi aut mutari nequeant, veluti sapores, odores, ejusq; generis alia. Hæc temperamentum ut causam principalem & adæquatam sequuntur. Sunt alia, quæ illud non pari necessitate sequuntur, sed illam à Natura facultatem acceperunt, ut studio & adsuefactione multis modis possint mutari atque emendari: & tales sunt propensiones, adfectus, moresque hominum. Mores igitur proprie dicti temperamentum non sequuntur necessario, sed in nostra sunt facultate & arbitrio, & usu atque adsuefactione parantur, cujus tanta vis est, ut altera Natura non immeritò nuncupetur. Sed illam cognoscere lubet ex Magistro nostro *Problem. Sect. 28. Cur aliqui ægrotent, ubi vitam luxuriosam vivere adsueti, agere luxuriosè cessarunt? ut Dionysius tyrannus, quod in urbis suæ obsessione aliquantum temporis à potu solito destitit, tabe protinus interea laboravit. An quod Consuetudo res magna cuique sit? Jam enim in natura habitum ferme absolvitur.* Disertius etiam *1. Rhet. 11.* ita loquitur: *Consue-*

tum quasi natura insitum jam sit. Similis enim est consuetudo natura. Nam vicinitatem habet quod sape fit cum eo quod semper. Est autem Natura quidem ejus, quod semper fit, Consuetudo vero ejus quod sape.

XXXIII. Dicas, experientia nos edoceri tamen, licet mores non sequantur temperamentum corporis necessariò, sequi nihilominus perfrequenter ac plerumque? Non repugno. Certissimum enim est, illas actiones & studia, ad quæ naturâ proclives sumus, faciliori cursu procedere, majoriq; alacritate expeti & suscipi, atque illa, ad quæ talem proclivitatem non sumus nacti. Homines itaque ex numero τῶν πολλῶν ad hæc aut alia vitia proni, non sanè emendant hanc propensionem, nec peccandi libidinem refrenant, quod facere & debebant & poterant, sed naturæ suæ impetum secuti in quævis vitia se præcipitant. At viri boni & ἐυφυεῖς, & quicunque rectè sunt instituti atque educati, bonam Naturæ propensionem suo studio & adsuefactione adjuvant, atque hac amica conspiratione ad summa quæque contendunt: & si qui forsan maligni stimuli animum punctiunculis suis ad voluptates illicitas aut iracundiam irritent, in ipsa, quod dicitur, herba illos opprimunt & obtundunt. Imo contraria experientia quorundam, qui ἀφυεῖς fuerunt, hoc ipsum magis etiam confirmatur, Socratis putà, & discipuli illius Phædonis, quem ex cinædo optimum Philosophum fecit, & Polemonem ex helluone & impudico Xenocrates una lectione de Temperantia, cum ille ebrius & coronatus irrupisset in scholam ejus, virum continentissimum reddidit, sibiq; successorem constituit. De Stilpone Megarensi quid Cicero de Fato memoriæ prodidit? *Hunc scribunt ipsius familiares,*

res, & ebriosum & mulierosum fuisse. Neque hæc scribunt vituperantes, sed potius ad laudem: vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam & compressam esse doctrina, ut nemo unquam vinolentum illum, nemo in eo libidinis vestigium viderit. De Æsopo nota quoq; est historia. Si jam necessariò secundum Galenum mores sequerentur *τὴν κρᾶσιν, temperamentum*, unde ergo hoc hisce aliter accidit? Verissimum igitur est, quod *ὁ ἐξηγητὴς lib. de Fato* ait, *Mores hominum hujus & istiusmodi fiunt pro diversa adsuetudine.* Et verò cum hæc disputatio cum illorum penè conveniat, qui à fato aut astris mores hominum suspendunt, integer liber ille Alexandri huc pertineret, quô cum Libertas voluntatis egregiè & explicetur, & argumentis confirmetur, contrariæ rationes refutentur, auro contra carior nobis esse debet: adeoq; hac jam vice libertatem illam agendi sive contra hos sive alios jam non demonstrabo pluribus.

XXXIV. Sed, inquis, si animi affectiones accuratiùs percenseantur, nonnullas certum aliquod definitumq; temperamentum necessariò sequi deprehendemus, veluti furorem & amentiam; tanta enim hæc violentia grassantur, mentisq; munia turbant, ut omne rationis imperium & moderationem excutiant, nedum illa regantur aut emendentur. Sciendum itaque est, non has esse naturales adfectiones aut perturbationes, sed potius ægritudines quasdam; unde etiam tales, quamdiu ejusmodi malis obnoxii sunt, nec institutione aut præceptis, sed elleboro aliisq, pharmacis corriguntur: tum si quid commiserint, insani mores non legum vinculis, sed custodia pro re nata, nullatenus suppliciis, coercentur. Diversæ

ab his animi affectiones disciplina & recta adsuefactione culturaq; ad bonitatem disponi possunt. Quod etiam quodammodo in Brutis cernere est. Horum enim actiones animi magis licet sequantur temperamentum, quàm in homine, sunt tamen nonnullæ species, quæ admissa disciplina suas naturales propensiones emendari patiuntur, veluti equus, canis, elephas, aliæq; feræ, quæ asperitate sua deposita cicurantur: quæ morum mutatio & in his rationis munere perficitur, non sanè propria (nullam enim habent) sed Hominum. Hinc rectè Scholiastes Græcus dicit, Mores propriè dictos soli competere homini, quod hi tales à ratione non possint sejungi.

XXXV. Posito jam, Galeni sententiam hanc fuisse, non minus propriè dictos, quam alios mores temperamentum necessariò sequi, videamus quid rationibus ipsius respondendum sit. Hypothesin illam falsam jam antè notavi: Animam esse temperamentum, seu ex temperamento emergere: quo posito, non poterat non alterum quoque hoc succedere, Mores necessariò sequi temperamentum: atque ita *ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος συμβαίνει τὰ πολλά*, *Uno absurdo admisso sequuntur plura*. Deinde hæc sententia Morum propriè dictorum naturæ planè adversatur; quæ enim absolute à Natura tanquam genuina causa unicè prodeunt, plurimùm sanè distant ab iis, quæ efficientem causam habent liberam agendi facultatem & adsuefactionem, sive exercitium actus, sive specificationem illius videas, ut Scholasticorum hac distinctione utar. Tum quomodo eidem repugnet experientia, singularium quorundam enarratione comprobavi: quod si vero mores unicè sequerentur temperamentum, nemo hominum

alius

alius atque alius, ratione πιότητ☉ moralis, studio aut assuetudine evadere posset, sed semper esset idem pro sui temperamenti conditione, quod secum non pugnat, vel seipsum vincit. Quod vero inter Pœnarum fines Exemplum, quo alii absterreantur ab ejusmodi peccatis, ponit, rectè se habet in thesi, minimè verò ratione ὑποθέσεως suæ; si enim temperamentum mores necessariò sequuntur, frustra sanè erit ille terror, quin potius malitiosus homo nitetur in vetitum, & semper negata sequetur. Præterea sic non hominis mores, sed ipsa natura esset reprehendenda, & si sic omnia necessario fierent, quid leges sibi velint, quorsum his præmia, illis pœnas irroges? Deinde errorem errore cumulat, instantia à venenatis bestiis petita. Hæ enim si per se malæ essent, vel moraliter vel tales naturaliter essent. Isto modo nemo malas dixerit, nisi pro cerebro cucurbitam in capite gestet; nec etiam hoc modo malæ sunt, quod venenum non tam perfectioni talium animalium quid detrahat, quàm eandem expleat. Atq; esto, esse mala hæc naturaliter propter virus suum; num vero μεθοδικῶς licet de natura mali moralis ex natura mali naturalis concludere? Ne quid dicam, impietatis insimulari rectè hanc sententiam posse, quod ea ratione Deus autor peccati fiat. De testimoniis Platonis, Aristotelis & Hippocratis nil dicam, quod ex parte illorum sententiam jam cognoverimus; nihilq; aliud hi velint, quam alios atque alios homines ad diversos mores & actiones esse proclives. Stoicorum assertionem quod ita vilipendat, & illa instantia elevet, quis depravaverit primos homines, non sat causæ habuit: & quidem posterius discere potuisset ex eodem Mosis libro, unde excerpsit illa, quæ de generatione

ratione differit *lib. 11. de usu part. corp. hum. c. 14.* Sed nolumus omnia jam ad vivum resecare. Legat, cui volupe est, & his addat *Piccol. grad. 1. c. 28. 29. & 30.* nec non *Hornei. Philos. moral. l. 3. c. 1. summ. 4. seqq.*

XXXVI. Age tamen aliquid etiam post hunc de Hippocrate dicamus, qui sanè de his Morum naturalium inclinationibus non ita intricatè, uti Galenus, sed distinctius veriusq; docet, illo multò antiquior, *πάντων τῶν ἰατρῶν κορυφαῖος, omnium medicorum princeps.* Hic enim in Libro *de Aëre loc. & Aquis* non semel adserit, pro anni temporum varia mutatione ac diversitate, & formas, & mores, & naturas plurimùm diversas reperiri: item, Magna ex parte hominum formas & mores regionis naturam imitari. Atque hæc multis singularibus comprobat. Cum enim dixisset, civitates Soli orienti expositas salubriores esse iis, quæ Septemtrioni & ventis calidis expositæ sunt; addit, Homines in istis viventes clara voce esse præditos, & ad iram ac prudentiam melius esse comparatos Septentrionalibus. Asiam quoque inquit plurimum Europæ præstare, tum eorum omnium natura, quæ è terra producuntur, tum hominum; Longe enim pulchriora & majora omnia in Asia gigni, regionemq; ipsa Græcia mitiorem, & hominum mores humaniores & benigniores. Docet etiam, qui regionem montanam, asperam & aquis carentem incolant, & anni temporum mutationes habeant admodum differentes, illorum hominum formas magnas esse, tum ad laborem, tum ad robur à natura optimè comparatas, at agrestibus & ferinis moribus ejusmodi naturas esse præditas. Hinc in genere sub finem istius libri pronuntiat, Ubi anni temporum mutationes tum crebræ sint,

ſint, tum plurimum inter ſe differant, ibi & formas & mores & naturas plurimum diverſas deprehendi. Deinde etiam, Magna ex parte hominum formas & mores regionis naturam imitari. Hinc porrò colligit, ubi terra pinguis ſit, & mollis, & aquoſa, aquæ vero valde ſublimes, ita ut æſtate ſint calidæ, & hyeme frigidæ; ibi homines carnoſos eſſe, articulis non diſcretos, humidos, labores non ferentes, καὶ τὴν ψυχὴν κακοὺς ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, & animi ut plurimum pravi. Ubi vero regio nuda ſit, non munita, aſpera, quæque hyeme prematur, & ſole exuratur; ibi duros, graciles, articulis diſcretos, carnoſos & hirſutos homines cerni, & qui ad aliquid agendum natura ſint induſtrii & vigilantes: Moribus autem uti ſuperbis, in iram eſſe proclives & pertinaces, magisq; feritatis quàm lenitatis participes, ad artes acutiores & ſolertiores, nec non ad res bellicas meliores.

XXXVII. Ex his videre eſt, quantum ille Naturæ rebusq; naturalibus tribuat circa morum mutationem & diverſitatem. Suum interim locum reliquit morum horum naturalium culturæ, quæ cumprimis adſuefactionis ſecundum leges inſtitutæ beneficio fit. Hinc cum Aſiaticum hominum genus dixiſſet eſſe Europæis ignavius, illudq; planè ἀναλκέας εἶναι ſtatuiſſet, vel hoc nomine cumprimis debere illos corrigi Legibus. Hinc cum dixiſſet etiam, qui loca concava, herboſa & æſtuoſa habitent, quique ventis calidis quàm frigidis magis perflentur, & aquis utantur calidis, illos animi robore & laborum tolerantia, non æquè à natura valere; νόμος δὲ προσγινόμενος, ἀπεργάσαιτ' ἄν, ſed accedens vitæ inſtitutum illud effecturum. Quam egregiè etiam Natura per inſtitutum,

aut hoc ab illa (Νόμον ille semper appellat) adjuvetur aut emendetur, lepida de Macrocephalis narratione ostendit, præ quibus nulla alia gens similia capita habeat. *Ac initio quidem*, inquit, *hominum institutum longitudinis capitis causa fuisse videtur. Nunc vero natura etiam ad institutum accedit. Longissima enim habentes capita, generosissimos existimant. Hujusmodi autem est institutum. Cum primum editus est infans, caput ejus adhuc tenellum ac molle manibus effingunt, & in longitudinem adolescere cogunt, vinculis & idoneis artibus adhibitis, quibus capitis rotunditas emendetur, & longitudo augeatur. Hoc Institutum primum hujusmodi Naturæ dedit initium. Successu vero temporis in naturam abiit, ut proinde instituto nil amplius opus esset. Semen enim genitale ex omnibus partibus corporis provenit, ex calvis calvi gignuntur, ex cæsiis cæsii, & distortis ut plurimum distorti, eademq; in cæteris formis valet ratio: quid prohibet, cur non etiam ex Macrocephalo Macrocephalus gignatur?* Sed jam reliqua pertexamus.

XXXVIII. Cum verissimum sit, quod Galenus sub finem comm. sui, *quod animi mor. seq. temp. corp.* asserit, Puerum omni culpa carentem invenire difficilimum ac rarissimum esse, utcunque ille εὐφυὴς, fuerit; etiam *Verecundia*, αἰδὼς, videtur εὐφυΐας pars, aut necessarium consequens, esse. Quia enim Juvenes cupiditatibus ferè suis indulgent, Pudore tanquam freno eas reprimendas existimamus: adultioribus vero, qui non tam cupiditatibus, quàm προαιρέσει & judicio peccant, non pudore, sed pœna & graviore medicina opus fuerit. Sed cedo Magistrum: illius hæc sunt verba *lib. 4. Nicom. c. ult. §. 6. seq. Non omni ætati, sed primæ modo hoc πάθος convenit. Qui*

enim

enim hac ætate sunt, pudentes & verecundos putamus esse oportere: eo quod eorum vita adsiduis perturbationibus agitetur & multa peccet, à quibus pudore revocantur. Adolescentes itaque laudamus eos, qui sunt pudentes. Hæc quia adfectui, quam Habitui similior est, repugnante licet Aristoteli hac in re Alexandro Aphrod. *4. quæst. Moral. 21.* à Stoicis, uti cæteri adfectus, simpliciter damnabatur, magno ita vel loquendi vel sentiendi errore. Quatenus vero uti pars Temperantiæ ab iisdem constituitur, & cum illa à Cicerone 1. Offic. conjungitur dicam an confunditur, pro Virtute ab illis venditatur.

XXXIX. Quia vero non promiscuè omni ætati convenire videtur, hinc Scholiastes commodè hic monet Homerum & Hesiodum ex hac causa Verecundiam alteram laudabilem, alteram vituperabilem appellasse. *Ἀνερυθριάσας ὁ Χαρμίδης, πρῶτον μὲν ἔτι καλλίων ἐφάνη. καὶ γὰρ τὸ αἰσχυντηλὸν αὐτοῦ τῇ ἡλικίᾳ ἔπρεψεν. Tunc ergo ipsius Charmidis genæ rubore suffusæ gratiorem speciem ostenderunt. Nam pudor eam ætatem decet.* Verba sunt Platonis in *Charmide p. m. 237.* Cumprimis vero nostræ sententiæ favet *Piccolom. grad. 4. c. 32.* ubi inquit, quod Verecundia dici possit virtus quædam naturalis, quod sit congruens constitutio per naturam nobis competens. Bonæ indolis ac ingenuæ mentis argumentum esse Pudorem, facilè colligas etiam ex illo Diogenis ad quendam adolescentem erubescentem, *Confide fili, color hic virtutis est:* & illo etiam Comici: *Erubuit, salva res est.* Sed de Verecundia & Pudore alibi etiam quædam dixi. Plura etiam de hoc argumento legi possunt apud Mevium *in Prodrom. insp. 2. n. 10. seqq.*

 XL. Super-

XL. Supereſt ut oſtendamus, quibus adminiculis illa εὐφυΐα adſurgere, atque hæc Naturæ ſemina in perfectos Virtutum bonitatiſq; habitus adoleſcere queant. Fit hoc ſine dubio iis præcipuè, quæ à nobis ex Ariſtotele prioribus commemorata ſunt theſibus, videlicet Doctrina & Adſuefactione. De his igitur nonnulla adhuc dicenda erunt. Dixi Juris hanc eſſe rationem, ut cùm effectu obligare nequeat, niſi acceſſerit Promulgatio. Promulgantur autem hæ Naturæ leges modò citiùs, modò ſeriùs: evidentiùs, aut obſcuriùs: frequentiori, aut rariori numero; adſenſu ſubſequente vel firmo, vel infirmo, vel dubio: ordine etiam multùm diverſo; ut quisque nactus fuerit Naturam, excitatam vel inertem: propenſam ad bonum, vel malum: Doctrinam, veram vel falſam, inchoatam tantùm, an juſto citius abruptam, aut ordine non pertubato continuatam ac perfectam: Adſuefactionem maturè, in tempore, in loco, debito modo, ſollicitè, ac fideliter adhibitam: & qua in Societate, cum quibus quàm honeſtè vixerit, familiariterq; illorum conſuetudine uſus fuerit. Apparet hinc Promulgationem legum naturalium non omnibus eodem modo, nec omnes omnibus aut ſingulis ſimul innoteſcere, ſed illam magis magisq; ſe explicare atq; diffundere, prout Ratio & Appetitio ſuis adminiculis adjutæ diverſimode proficiunt. Parentes igitur, aliiq;, quibus hæc cura incumbit, cereos liberorum ſuorum animos fingere, & ad omnes virtutum imagines indefeſſa ſedulitate formare debent, ſic ut nil fœdum dictu viſuq; iſta limina tangat, intra quæ puer eſt.

XLI. Quia vero τὸ ἔθος ἐστὶ πολλάκις καὶ συνεχῶς ποιεῖν, *Adſueſcere conſiſtit in ſæpe ac continenter agendo* ſecun-

cundum Aristotelem in Problematibus, qui etiam *lib. de memor. c. 2.* τὸ ἔθος καὶ πολλάκις conjungit; quodlibet tempus & momentum Educatores captabunt religioseq; observabunt, ut ad virtutum actiones manus animosq; admoveant, ac maturè, vitiorum seminibus oppressis, virtutum culturæ operam suam navent. Quia enim hæc ætas proclivior est ad libidinem & vitiositatem, temporiùs animi illorum per adsuefactionem ad bonas actiones deducendi sunt, ut non tam quæ sensibus grata, quàm quæ honesta sunt sequi discant, virtutumq; officia, molesta primum, per consuetudinem autem edulcata, tanquam Naturæ suæ rationali convenientissima expetant. In iis sanè, qui εὐφυεῖς fuerint nati hoc studium felicissimè procedet.

XLII. Sin nonnullorum animi pertinaciores & intractabiliores fuerint, tantum abest ut protinus pro desperatis (quibus Hippocrates vetat adhiberi medicinam) suos habere velint Educatores illi, ut potius majori cura ipsis in asperitate illa morum naturalium domanda mitigandaq; incumbendum sit. Si igitur aliquid deliquerint, seriò reprehendendi sunt & vituperandi: qua reprehensione si Verecundiæ colorem evocaveris, salva res est, meliusq; jam sperare licet de emendatione morum, modo nihil de cura remittatur. Absque hac si omnino fuerit, valde vereor ne locum sit habiturum illud Comici, *Illi quidem periisse omnia putem, cui periit pudor.* Attamen neque tali casu spes omnis abjicienda animusq; planè despondendus est, quin acrioribus remediis, legibus aut pœnis ejusmodi animi refrenandi sunt, & quidem primum iis, quas Græci κολάσεις appellitant, quæq; propter

 emen-

emendationem illorum, qui illas luunt, irrogantur. Quod si nec his cedere malitiosus animus voluerit, sed ita cum ætate obriguerit, ut tales sint planè ἀνίατοι *insanabiles*, quos nec ipsa salus servare queat, τιμωρίαις suppliciis ultimis exscindendi sunt, tanquam vomicæ & carcinomata, illorum scilicet arbitrio, quibus puniendi potestas natura vel lege competit. Adde *caput ult.* Operis Nicomachici.

XLIII. Ubi tenerior animus, tanquam mite solum Tiburis, tanta sedulitate excultus, eaque adsuetudine emollitus fuerit, magno cum fructu Doctrinæ, præceptorum & institutionis semina excipiet. Quamdiu enim juvenilis animus perturbationibus huc illuc impellitur, adeoque animum geret incultum ac hispidum, præceptorum tanta vis erit, quanta est fabulæ, quæ surdo narratur; nullum enim adsensum iis aut fidem tribuet. Cæterum quomodo hæc morum Doctrina institui debeat, est profectò μέγα λίαν ἄιτημα. Aliquid tamen hac de re dicam. Primò si consideres quid universo generi humano honestum sit, & ad quod nemo non est obligatus, communissima maximeque necessaria *praecepta auriculis morum instillare memento:* videlicet ab homine suscipiendam esse nullam actionem aut fugiendam, unde non appareat, te statuere Deum esse, ejusq; Providentia regi omnia, etiam singularia quæque, animam quoque esse immmortalem, neminem esse lædendum, suum cuique tribuendum, benefactoribus esse gratiam referendam: breviter, ut ex omnibus actionibus eluceat Honestas, & Juris Naturalis reverentia & obsequendi ei studium. His principiis imbuta Ratio amplius excitanda informandaq; est, ut quæ-

ut, quæcunque negotia aut officia sint obeunda, promptè horum singularium collectionem ex istis principiis deducere sciat, atque ita nunquam non certus sit, quæ actiones honesti capaces sint, nec ne: tum etiam, quo honestatis gradu quælibet consistant. Quia vero varia sunt vitæ genera & conditiones, quibus homines distinentur, in quolibet se quisque ita gerere debet, ut personam suam in hoc vitæ theatro rite sustineat, uti loqui amant Stoici: hoc est, ut hæc περιστατικὰ καθήκοντα eo delectu & prudentia tractent, ut si non omnia Honestati simpliciter respondeant, id tamen unicè agant, ne ei vel Legibus naturalibus ullatenus repugnent.

XLIV. Hæc morum institutio potest esse vel Publica vel Privata. Ista publicis legibus, hæc privatorum autoritate & voluntate regitur. Ista pro fine habet publicum Reip. bonum ac salutem: hæc privatæ alicujus societatis commodum spectat. Ita Aristoteles *c. ult.* Operis ad Nicomachum §.*35*. meminit, in sola Laconum Rep. Legislatorem aliquam habuisse curam educationis, & studiorum, in plurimis autem civitatibus eam fuisse neglectam, ubi quisque vivat ὡς βούλεται, κυκλωπικῶς θεμιστεύων παίδων ἠδ' ἀλόχου, *pro libidine, Cyclopum more liberis & uxori imperando.* Videri potest etiam hac de re Xenophon *1. de Rep. Lacedæm.* qui etiam initio κυροπαιδείας Persas hoc nomine laudat. *Hodie*, inquit ad hunc textum Gifanius, *neque in Germanico, neque in toto Christiano orbe ulla est communis disciplina & institutio, præterquam Scholastica.* Sed nec hæc ita est communis, ut Laconica. Cæterum qua vel Doctrina Intellectum, quave Adsuefactione Appetitum nostræ Scholasticæ institutiones imbuant, lubens prætermitto,

termitto, quod infinitis illæ partibus laborent, nec ad meam censuram ista res pertineat. Hoc nemini non est manifestum, in unam quasi cortem εὐφυεῖς, ἀφυεῖς, promiscuè compingi, horum nequitiam ac proterviam variis ex causis magno cum privato tum publico damno sæpe foveri, istorum vero bonam indolem ab Orbiliorum sævitia, ignavia, ignorantia ac stoliditate non minus frequenter corrumpi & exstingui. Cum igitur tantus sit Institutionis, Doctrinæ & Educationis fructus, ut iis igniculi Naturæ excitentur, Intellectus & Appetitus perficiatur, utilissimam & summè necessariam operam Reipublicæ navant illi, qui tædiosum hunc laborem non fastidiunt, primæq; ætati informandæ & regendæ totam vitam impendunt. Huic verò muneri ac oneri sustinendo ac ferendo cum perpauci sint pares, tantò majori in pretio illi sunt habendi, studiumq; eorum lautiori stipendio fovendum & pensandum est, qui hoc Sisyphi saxum volvere non solum sciunt, sed nec detrectant: ut adeò illi præclarè post hos de Republica mereantur, qui patrocinium docentibus præstant, illorum non tantùm necessitatibus sed & commodis prospiciunt, salaria potius augent, quàm accidunt, aut eorum solutionem differunt, omniq; studio ac cura id agunt, ut hæc Ecclesiæ & Reip. seminaria quàm rectissimè se habeant, & diligentissimè excolantur. Sed manum de tabula.

Σὺν

Σὺν Θεῷ.

DISSERTATIO ALTERA
DE
JURE GENTIUM.

I.

NOn solùm Natura hominibus suum Jus ingeneravit, quô tanquam universali vinculo, quà sunt Homines, invicem obligarentur; Sed & ipsum genus humanum varia Jura positiva pro suo arbitratu constituit, non tantùm ea, quibus in qualibet Republica imperantes sibi suos subditos, vel etiam hi sese obstringerent, sed etiam quibus illud in liberas Gentes diversasque Civitates dispertitum pro communi obligationis vinculo uteretur, Gentesque Rebuspublicis & numero diversæ his placitis, mutua fide subnixis, continerentur. *Nam usu exigente, & humanis necessitatibus, Gentes humanæ Jura quædam sibi constituerunt. §. 2. Inst. de J. N. G. & C.* Quæ verba uti rectè de Jure Gentium propriè accepto, & de quo hic agere consilium est, dicuntur; ita Juri Naturali hæc ratio, & illi subjecta ibi promiscuè exempla perperam accommodantur: quod post Wesenbecium rectè observavit *Bachov. in suo Comment.*

II. Pactis itaque Gentium Jus Gentium est constitutum. Cum enim una Respublica in alteram, aut una libera Gens in alteram nihil autoritatis habeat, neque altera alteri sit obnoxia, nedum ut plures liberæ gentes ac Respublicæ uni cuipiam subsint, sed singulæ suam habeant αὐτονομίαν & αὐτοκρατείαν; hinc si quo jure arbitrario inter

 sesoci-

se sociantur, cui ab omnibus ita sociatis omnino parendum sit, Pactis illud constitui necesse est. Nam sicuti par in parem, privatus in privatum, extra pacta conventa nihil juris habet; ita quoque liberi Populi Gentesq; tanquam privati pactis consociantur, aliusq; Juris positivi, quod pro communi inter illas vinculo obtineat, capaces non sunt. *l. 4. ff. de arbitr.*

III. Duo igitur hinc colligi, & diligenter notari merentur. Primum est, quod more privatorum per Pacta Jus Gentium à liberis populis constituatur. Alterum, quod hoc ipso inter se consocientur & invicem obligentur. Si quod enim jus observetur quidem apud plures gentes, cujus tamen obligatio non obtineat inter ipsas illas, ut ejus vinculo in societatem constringantur, atque in ea contineantur; illud sanè Jus Gentium nec est, nec dici debet, sed est Jus Civile pluribus gentibus commune, singulis proprium. Quod licet rectè observaverit & monuerit Grotius, passim tamen aliquid indulget vulgari, licet haut probatæ consuetudini, tale Jus civile plurium gentium, impropriè, aut quasi Jus Gentium appellitans. Exemplum ejus rei videre licet *lib. 2. de J. B. P. cap. 8. n. 7. Germania,* inquit, *populi thesauros, ut & alia ἀδέσποτα addixerunt Principi: atque id jus nunc commune est, & quasi gentium. Nam & in Germania, & Gallia, & Anglia, & Hispania, & in Dania id observatur.* Quale autem revera hoc Jus sit, rectissimè omnium ipse docet Grotius *d. l. 2. cap. 8. n. 1.* his verbis: *Hoc non est illud Jus Gentium propriè dictum; neque enim pertinent ad mutuam gentium inter se societatem, sed ad cujusque populi tranquillitatem. Unde & ab uno populo aliis inconsultis mutari potuit, imò & hoc evenire, ut aliis locis atque tem-*

temporibus longè alius mos communis, ac proinde Jus Gentium impropriè dictum introduceretur; quod & revera factum videmus, ex quo Germaniæ nationes Europam ferme omnem invaserunt. Sicut enim olim Jura Græca, ita tunc Germanica instituta passim recepta sunt, & nunc etiam vigent. Vide quoque illum *d. c. n. 26.* Et ejusdem *lib. 2. c. 3. n. 5.* hoc qualecunque Jus Gentium ita explicat, quod non habeat vim pacti inter Gentes, sed esse illud Jus civile plurium gentium distributum, quod à singulis tolli possit. Ita quoque Seldenus hoc Jus aliquot seu plurium gentium *Civile* seu *Domesticum* vocat *lib. 1. de Mari clauso cap. 3.* & alibi passim.

IV. Apparet hinc, Jus Gentium propriè dictum Juris Arbitrarii speciem, eamque præcipuam esse, & omnino malè hoc ipsum cum Jure Naturæ confundi. Cum enim Ulpianus tale aliquod Jus Naturale commentus esset, quod non humani generis proprium, sed omnium animalium, quæ in terra, quæ in mari nascuntur, avium quoque commune esset, *l. 1. §. 3. ff. de J. & J.* de Jure Gentium mox ita disserit: *Jus Gentium est, quo gentes humanæ utuntur: quod à Naturali recedere facilè intelligere licet; quia illud omnibus animalibus, hoc solis hominibus inter se commune sit. §. 4. d. l.* Cautiùs hac in re versatus fuit Cajus, qui *l. 9. ff. eod.* Jus Naturale satis bene describit, ut tamen Juris Gentium appellationem ei malè tribuat. *Quod* inquit, *naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peræque custoditur: vocaturq; Jus Gentium, quasi quo jure omnes gentes utuntur.* Etsi enim sint quædam κοινὰ τῶν ἀνθρώπων δίκαια, *communia hominum jura*, ceu Thucydides, Polybius & alii loquuntur, & exstet quædam *Lex communis in Publico Mundi*

& naturalibus tabulis scripta, uti ait Tertullianus *de Cor. Milit.* cujus obligatio concernat omnes homines, eò quod sunt Homines, eoq; jure omnes Homines, & quoque Gentes uti oporteat, sic ut nulli integrum sit universali illi Naturæ Juri se subducere, aut eximere; non tamen Jus Naturæ Juris Gentium vocabulo promiscuè insigniri, tot erroribus occasio inde præberi, & Jura toto genere diversa confundi debuerant.

V. Huic nævo igitur tegendo quæsita & inventa fuit distinctio Juris Gentium Primævi, seu Primarii, & Secundarii. Priori Jus Naturæ, posteriori Jus Gentium propriè dictum denotari adsolet. Unde ita commentatur *Vinn. ad §. 2. Inst. de J. N. G. & C. n. 2. Hic locus confirmat receptam Juris Gentium distinctionem in Primarium & Secundarium: quanquam vitio non caret, quod Tribonianus non apertiùs distinctionem proponit. Primarium enim non ab hominibus excogitatum aut introductum est, sed nobis ingenitum: quemadmodum & notitiæ illæ simplices, unde illud promanat, mentibus nostris divinitus insita, & in cordibus nostris insculpta sunt. Secundarium autem ab hominibus inventum est, & mentis quadam agitatione, comparatis inter se aliis atque aliis rebus, excogitatum ad communem vitæ usum, retinendamq; gentium inter se societatem: ut hujus Juris ex parte causa sit Usus & Indigentia, teste Arist. 1. Polit.* Ideo Wesenbecius jam antè monuerat, Jus Gentium dividendum fuisse in Jus Rationis, & Ratiocinationis. Hinc quoque Grotius, ut huic consuetæ loquendi formulæ aliquid daret, nonnunquam *Jus Gentium Voluntarium, & lib. 2. de J. B. P. cap. 13. n. 15. Jus Gentium constitutum,* per πλεονασμὸν appellat; cum propriè non sit aliud Jus Gentium, quàm Arbitrarium, Voluntarium seu Constitu-

ſtitutum. Quapropter ita ſcribit Bœclerus in ſuo *ad Grotii de J.B.P. lib. 2. cap. 4. n. 9.* commentario: *Non poſſum diſſimulare, me de receptiſſima quidem, ſed non ſatis accurata loquendi conſuetudine, qua aliquid & Juris Naturæ, & Juris Gentium Voluntarii dicitur, non adeò magnificè ſentire.* Et Joannes Coraſius JCtus Tholoſanus cum hanc diſtinctionem Juris Primævi & Secundarii fuiſſet amplexus, atque iſtud commune brutis cum homine affirmaſſet in Opere, de Jure civili in artem redigendo, eam ſententiam rectiùs examinatam in Juris Civilis Miſcellaneis, Cum Albetto Bologneto, Joachimo Mynſingero, Franciſco Connano, Hugone Donello, Jacobo Cujacio, Franciſco Hottomanno & aliis damnavit, Plutoniſque familia dignam judicavit. *Selden. lib. 1. de J. N. G. juxta diſcipl. Hebr. cap. 5. p. 27. edit. Argentor.*

VI. Cum igitur JCti Romani Jus Gentium verè tale, & à Jure Naturæ admodum diverſum non exactè diſtinxerint, id quod in Juris philoſophia fieri quàm maximè intereſt, quin potiùs confuderint, accidit, ut plurimas res Juris Gentium obligationi ſubdiderint, de quibus ſingulis vix etiam hodie convenit, ad Jus Naturæ, an vero ad Jus Gentium propriè dictum referri debeant. Pauca ex multis adducam, ex quibus id fiat liquidum. Nam etſi fortè quis non perdiderit operam, ſi omnes Juris civilis Rom. textus de Jure Gentium loquentes diligentiùs expendat, nobis tamen ad fidem faciendam paucorum explicatio ſufficere poterit. Ita Hermogenianus *l. 5. ff. de J. & J.* & Imperator *§. 2. Inſtit. de J. N. G. & C.* tradunt, Jure Gentium introducta fuiſſe bella, captivitates, ſervitutes, diſtincta dominia, ædificia collocata,

commercia, emptiones, venditiones, locationes, conductiones, aliasque obligationes institutas fuisse. Conringius hanc promiscuam exemplorum congeriem non veteribus JCtis, sed oscitantiæ Triboniani imputat, *disp. de Jure th 24.* Mihi illud vix verisimile fit, quod tam errare hac in re potuerit Hermogenianus, quàm in describendo Jure Naturali Ulpianus, & quod Tribonianus hæc ita ex *lib. 1. Epitomarum Juris* Hermogeniani excerpserit: qui quamvis alienis textibus sæpe sua emblemata impresserit; durum tamen & nimis temerarium fuerit, si ab aliis perperam, temere aut minimè commodè dicta Triboniani incuriæ quis omnia tribuere ausit. Rectè vero animadvertit Bachovius, non posse jam recitata exempla ad eandem Juris Gentium speciem referri; nam & ipse utitur illa distinctione Juris Gentium Primævi & Secundarii. Bella quidem, quod illorum certos effectus attinet, inter quos etiam captivorum servitus reponenda est, sunt Juris Gentium propriè dicti: de quibus prolixè agit Grotius *lib. 3. de J. B. P.* Dominium rerum ejusque distinctio generaliter saltem considerata Juri Naturæ est accepta referenda: ceu id luculentè à Bœclero ad Grotii *lib. 2. de J. B. P. cap. 2.* fuit demonstratum, & quoque à me ibi pluribus est ostensum. Eodem pertinent Commercia & Contractus inter homines usitati, quatenus legibus Justitiæ διορθωτικῆς diriguntur, & ab iis error, dolus, iniqua vis metusque abesse, è contrario bona fides & æqualitas illis inesse debet. Ædificiorum vero collocatio ab arbitrio humano unicè, non ex obligatione Juris Naturalis profecta est? Fenni nullos habuisse penates dicuntur. Alii veteres Germani subterraneos specus aperire, eosque multo

multo insuper fimo onerare soliti fuerunt, suffugium hyemi, & receptaculum frugibus. *Tacit. de morib. Germ.* Quemadmodum igitur his, Nomadibus, Scythis aliisque populis ἁμαξοβίοις olim lubitum est pro domibus currus circumferre, inque iis latitare, aut sub tentoriis ac pellibus degere, salvo jure naturæ; ita cultior paulatim vivendi ratio esse cœpit, postquam homines commoda vitæ civilis etiam domiciliis exstructis auxerunt, ut tamen hinc nulla inter Gentes exstiterit obligatio.

VII. Accedant his alia Juris Gentium ex hypothesi JCtorum Romanorum capita sparsim proposita. In *l. 1. §. 2. ff. de contrah. empt.* dicitur, quod Emptio sit Jurisgentium. Et *l. 51. ff. eod.* Littora jure gentium omnibus vacare putantur. In *l. 1. ff. loc. cond.* ait JCtus, quod Locatio Conductio sit naturalis, & omnium gentium. Tryphoninus *l. 31. ff. depos.* hanc Quæstionem, si reus capitalis judicii deposuit apud te centum, isque deportatus, & bona ejus publicata sint, utrum ipsi hæc reddenda, an in publicum deferenda? inter alia his expedit verbis: *Si tantùm Naturale Jus & Gentium intuemur, ei, qui dedit, restituenda sunt: si civile jus, & legum ordinem, magis in publicum deferenda sunt.* Paulus inquit, illum natura debere, quem jure gentium dare oporteat, cujus fidem secuti simus *l. 84. ff. de R. I.* Idem ait *l. 23. pr. ff. de rei vindic.* in rem actionem competere ei, qui aut jure gentium, aut jure civili dominium adquisiverit. Jure gentium condici puto posse res ab his, qui non ex justa causa possident; verba sunt Marciani *l. 25. ff. de act. rer. amot.* Quarundam rerum dominium nanciscimur jure gentium: atque hoc esse ait Cajus *l. 1. ff. de adquir. rer. dom.* quod ratione naturali inter

ter omnes homines peræquè servatur. Idem *l. 5. §. 7. eod.* inquit, quæ ex hostibus capiantur, illa jure gentium statim capientium fieri. Idem putat, quod per alluvionem agro nostro flumen adjecerit, jure gentium nobis adquiri. In *l. 7. §. 1. ff. eod. & §. 5.* ait, quod novus alveus ejusdem juris esse incipiat, cujus sit ipsum flumen, id est, publicus juris gentium. Iterum Cajus *l. 9. §. 3. eod.* docet, res, quæ Traditione nostræ fiunt, jure gentium nobis adquiri; nihil enim tam conveniens esse naturali æquitati, quàm voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi. Addantur §. 1. 4. 5. 11. 12. 20. *Instit. de Rer. div.* Ulpianus *l. 7. pr. ff. de pact.* inquit, Juris gentium conventiones quasdam actiones parere, quasdam exceptiones. Ad istas refert contractus nominatos, &, si subsit causa, etiam innominatos; ad has nuda pacta. Ab eodem statuitur, quod Juris gentium sit Acceptilatio, puta, quod significationem & obligationem consensus deliberati attinet. *l. 8. §. ult. ff. de acceptil.* Si indebitam pecuniam per errorem promissam solverit suo nomine, qui pro te fidejusserat, hunc à stipulatore repetere eam posse, quoniam indebitam jure gentium pecuniam solvit, Celsus existimat. *l. 47. ff. de condict. indeb.* Libertas naturali jure continetur, & dominatio ex gentium jure introducta est, inquit Tryphoninus *l. 64. de condict. indeb.* Fiunt servi jure gentium, id est, captivitate, ait Imperator *§. 4. Inst. de jur. person. Et pr. Inst. de Libertin.* Servitus ingenuitatem jure gentium invasisse dicitur. Præterea *§. 1. Inst. de his qui sui vel al. jur.* dominorum in servos potestas Juris gentium dicitur. Nam, inquit, Imperator, apud omnes peræquè gentes animadvertere possumus, dominis in servos vitæ necisque potestatem fuisse,

VIII. Plu-

VIII. Plura ejus generis congerere nolo. Nam vel ex his abunde constat, JCtos Romanos vocabulo Juris Gentium, modò ad Jus Naturæ, modò Jus Gentium propriè dictum designandum, promiscuè ac confusè uti, abuti; plerumque tamen per Jus Gentium intellectum velle Jus Naturæ. An autem illa omnia sint Juris Naturalis, quæ appellatione Juris Gentium eò ab illis referuntur, veluti quod de mari, littore, alveo, & similibus tradunt, alia, imò aliena à præsenti instituto quæstio est. Consuli interim legique poterit Grotius *lib. 2. de J. B. P. cap. 5.* ubi pensiculatiùs examinantur, quæ vulgò Jure Gentium adquiri dicuntur. Quod autem attinet Belli effectus quosdam, captivitates, legitimas servitutes, & ut bona ab hostibus capta capientium fiant, illi quidem ex Jure Gentium propriè dicto descendunt, ceu deinceps rectiùs cognoscetur. Tantum verò abest, ut jus vitæ necisque, quod apud Romanos domini in servos usurparunt, juri naturæ congruat, ut potiùs ab illo damnetur: quod pluribus evincit Grotius *lib. 2. de J. B. P. cap. 5. n. 28.* Quod si Imperator illud solùm indicare voluit, jus vitæ necisque in servos à dominis apud plures gentes usurpari, hoc foret Jus civile plurium gentium. Si vero dicas, Jure Gentium propriè dicto exasperatam tantopere esse auctamque dominorum in servos captos venditosque potestatem, colligere hinc liceret, impunè id fieri consuevisse; sed agendi impunitas impropriè Jus dicitur, inquit rectè Grotius loco jam citato.

IX. Explicatis his JCtorum malè concinnatis involucris redeamus in viam. Diximus Jus Gentium propriè dictum Juris Arbitrarii speciem esse: idque etiam deinceps liquidiùs cognoscetur. Cum vero supra meminerim,

Jus Gentium, more inter privatos usitato, per Pacta constitui, vix aliis hoc probabitur, quòd cum ab aliis, tum ab ipso Grotio in frontispicio Operis *de J. B. P.* Juri Publico accenseri soleat. Huic dubitationi ut satisfiat, probè tenendum & observandum est, sæpe eandem rem pro diverso respectu diversis præditam esse qualitatibus, easque sequi solere diversas appellationes. Ita Publica dicitur Lex, quàm Respublica etiam de privatis negotiis sancit; hactenus enim inspicitur, à quo sit illa sanctio, non de qua materia vel objecto. Hoc enim si videas, Lex istiusmodi Privata foret. Ita quoque Jus Gentium est Privatum, si consideres Gentium invicem pacifcentium conditionem, eamque inter se contendas. Quod si vero quæque Gens libera pactiones istiusmodi ineat de rebus suæ Reipublicæ publicis, hactenus idem Jus Gentium dici potest Publicum. Quin & si ipsum subjectum, Rempublicam in se spectatam, & cum alia Republica paciscentem inspicias, eamque non contendas cum altera Republica, cum qua paciscitur, sed quatenus hujus pacta à Reip. paciscentis subditis eorumq; pactis, distinguuntur, etiam hac ratione Jus illud Gentium rectè dicetur Publicum.

X. Juris Gentium obligationem Pactis inniti diximus. Pactum, inquit Aristoteles *1. Rhetor. cap. 15.* est lex privata. Quod *Legis* nomen neque JCti Pactis denegant, *t. t. ff. de l. commiss. tit. C. de pact. pign. & l. commiss. l. 13. pr. ff. commun. præd.* Secundum Ulpianum Pactum, sive Pactio, est duorum pluriumve in idem placitum consensus. *l. 1. §. 2. ff. de pact.* Ille Consensus non uno fit modo, sed vel expressè, vel tacitè, aut per quandam præsumptionem. Unde Labeo ait, convenire posse etiam *re*, nec non *tacite. l. 2. ff. de pact.*

de pact. Huc quoque pertinet illud Juliani ex *l. 30. §. 1. ff. de legib. Quid interest, suffragio Populus suam voluntatem declaret, an rebus ipsis & factis?* Pacta igitur, quibus Jus Gentium innititur, vel sunt Expressa, vel Tacita; sic ut ex his de Consensu vel per Præsumptionem, vel evidentiora etiam indicia multò certiùs constet. Cum vero Juris Gentium per Divisionem constituendæ sint plures species, antequam has ostendamus, doceamusque, quæ expressis, quæ vero tacitis pactis sit subnixa, pauca adhuc ad ipsum genus pertinentia erunt præmittenda.

XI. Jus Gentium quando dico, illas Gentes intelligo, quarum quæque peculiari Republica à reliquis sit secreta & distincta, sive illa Respublica ab uno, vel paucis, vel populo regatur. Neque certum Gentium numerum ineo, aut definio, intra quem istius Juris obligatio vel observantia concludatur. Minimè verò hoc volo, ac si omnes omnino universi orbis Gentes in tale aliquod Jus arbitrarium commune consenserint, seque invicem eo obligari voluerint. Hinc Grotius *lib. 1. de J. B. P. cap. 1. n. 14.* cum Juri Civili Jus Gentium vellet contradistinguere, his utitur verbis: *Latiùs patens est Jus Gentium, id est, quod Gentium Omnium, aut Multarum voluntate vim obligandi accepit. Multarum addidi, quia vix ullum Jus reperitur, extra jus Naturale, quod ipsum quoque Gentium dici solet, omnibus gentibus commune. Imò sæpe in una parte orbis terrarum est Jus Gentium, quod alibi non est, ut de captivitate & postliminio suo loco dicemus.* Cum enim ne quidem cognitæ sint omnes gentes, quomodo de illarum omnium sive expresso sive tacito consensu aut voluntate in re arbitraria constare poterit? Sed neque illas Gentes omnes hoc Jure obli-

gari puto, quas fortè cognitas habemus. Et quamvis sint quædam Juris Gentium communis capita, quibus omnes ex cognitis Moratiores obligentur, non tamen in genere de quolibet Jure Gentium idipsum adseverabo. Vid. Seldenus de triplice Gentium Omnium significatione seu explicatione *lib. 1. de Jur. Nat. & Gent. jux discipl. Hebr. cap. 6. p. 77. edit. Argent.*

XII. Mihi igitur ad significationem Juris Gentium in genere considerati sufficiunt plures Gentes, numero certo licet haut definitæ, etiamsi illæ vel duæ fuerint, cum & hæ numerum pluralem conficere possint. Adstipulatur mihi ea in re Conringius *Disp. de Legib. th. 24.* ubi ita differit: *Gentium lex est, quam plures gentes non fortuito, aut altera alterius* (ad proprium usum instituta) *imitatione, sed quasi ex compacto sibi inter se constituerunt. Plures dico, eo modo, quo apud Grammaticos plurale singulari opponitur: non quasi id solùm, quod inter multas aut plerasque gentes jus intercedit, Gentium jus dici mereatur. v. g. Inter Hispanos & Batavos peculiariter hodie constitutum est, ut bello captus à captore se suo mensis unius stipendio possit redimere. Hoc cur minus Gentium Lex appellandum sit, quàm illud, quod olim, ut capti capientium hostium servi fierent, obtinuit, non video. Utraque certè lex Gentium est, etsi quidem illa duarum sit, hæc plerarumque fuerit.* Huic sententiæ etiam suum adjicit calculum Richardus Zouchæus, JCtus Anglus, qui Libri, quem inscribit, *Jus inter Gentes, part. 1. sect. 1.* Jus Gentium facit duplex; unum, quod ortum ducat à communi aliquo consensu. De altero ita differit: *Deinde præter mores communes pro jure etiam inter gentes habendum est, in quod singulæ gentes*

gentes cum singulis inter se consentiunt, utpote per pacta, Conventiones & Fœdera.

XIII. Solet Jus Gentium etiam Jus Feciale nuncupari, de quo si quædam ex veterum monumentis collegerimus, ad illustrationem hujus argumenti non parùm conferent. Feciales, Φηπαλεῖς, à faciendo nomen acceperunt, ut autor est Festus, quod belli pacisque faciendæ penes eos jus erat. Sicuti vero Augurum & Pontificum, ita quoque Fecialium integrum collegium fuit institutum. *Multorum Numa sacerdotiorum fuit autor. Eorum duo commemorabo, ex quibus elucet inprimis illius religio, Saliorum & Fecialium; siquidem Pacis Feciales arbitri fuerunt, qui nomen ex officio suo trahentes disceptatione comprimebant certamina, neque prius quàm abscissa omni juris obtinendi spe ad arma iri sinebant. Pacem enim vocant, quum verbis, non vi mutuas controversias diremerunt. Feciales Romani frequenter commeabant ad eos, qui injuriam inferrent, poscebantq; res reddi. Si non redderent, deos testati multa diraq; sibi ipsi ac patriæ suæ, nì justè injuriam vindicatum irent, imprecabantur. Ita indicabant illis bellum. Intercedentibus his aut improbantibus, neque militi licebat neque Regi Romano arma movere, sed ab his auspicandum ei bellum ut justo duci erat, inde quid expediret expendendum.* Verba sunt Plutarchi *in Numa:* cujus & hæc leguntur *in Camillo*: *Feciales quietissimus & justissimus Rex instituit Numa, pacis custodes, cognitores arbitrosq; causarum belli indicendi legitimarum.* His accedant diligentissimi scriptoris, Dionysii Halicarnassensis ex *lib. 2. Longum esset, recensere omnia Fecialium officia, sed in summa sunt hæc: Dare operam, ne Romani ulli fœderatæ civitati injustum bellum inferant. Quod si qua prior contra fœderis conditiones aliquid*

 com-

commiserit, Legatos agere, & verbis primùm suum jus repetere, Quod si dedignetur facere postulata, tum vero bellum indicere. Itidem si qui illatam sibi contra fœdus querantur injuriam, causam eorum cognoscere, & comperto crimine sontes comprehensos læsis dedere. Judicare item de Legatorum injuriis, & dare operam, ut serventur conditiones fœderum. Pacem etiam conficere, aut, si parùm legitimè facta videatur, irritam reddere. Præterea si quid Imperatores contra jusjurandum peccaverint, cognoscere atque expiare. Adscribi his merentur, quæ habet Pomponius Lætus de Sacerdotiis *cap. 9.* diligentissimus ille antiquitatis Romanæ scrutator, judicio Politiani, Lilii Gyraldi, & Vossii; sic ut quoties marmor aliquod ex Urbis ruinis effoderetur, illacrymatus sit. *Feciales,* inquit, *dicti, quod fidei publicæ inter populos præerant. Nam per hos fiebat, ut justum conciperetur bellum, & ut fœdere fides pacis constitueretur. Eos instituisse dicitur Numa, quum indicendum esset bellum Fidenatibus. Hi mittebantur prius, quàm conciperetur bellum, ad res repetendas: & si non impetrabant, bellum indicebant. Fecialium unus, qui Patrem Patratum faciebat ex ipsis Fecialibus electum, sacris vestibus ornatus, ad autores injuriarum procedebat: prius quam urbem intraret, janitorem vel alium qui obviam fuisset, alloquebatur quibusdam imprecationibus. Inde in forum pergit, illic disserit, qua causa venerit, tempus ad consultandum dat triginta dierum. Si per hos dies res infecta maneret, diis cœlestibus manibusq; invocatis, abit, & ad Senatum refert: & ubi in Senatu, quod justum piumq; esset, actum erat, Fecialis bellum indicebat. Fecialium sacra nefas violare erat. Nam Fabius cum ea violasset, urbs Romana à Gallis Senonibus eversa fuit. Dicuntur Feciales à fœdere faciendo seu feriendo. Pater Patratus à patrando, id est,* san-

ſanciendo fœdere qui à Fecialibus creabatur, qui tantùm in fœdere faciendo praerat, ut quidam ſcribunt.

XIV. Cum igitur Fecialibus belli pacisque diſciplina eſſet commendata, quibus verbis illorum officium breviter complectitur Carolus Sigonius *lib. 1. de ant. jur. civ. Rom. cap. 19.* magna illam cura ac ſedulitate excoluerunt, ſic ut Jura gentium non ſolùm magnam partem condiderint, certis voluminibus deſcripſerint, ſed & interpretati ſint, ſibique ſingularis hujus Jurisprudentiæ gloriam atque autoritatem conciliaverint. Unde Cicero ait *lib. 1. de Offic. Belli quidem æquitas ſanctiſſimè Feciali populi Romani jure perſcripta eſt.* Et ſeptima in Verrem: *Habemus hominem in Fecialium manibus educatum, unum præter cæteros, in publicis religionibus Fœderum ſanctum, diligentem.* Idem alibi præſtabilem dicit eſſe ſcientiam, in fœderibus, pactionibus, conditionibus populorum, regum, exterarumque nationum, in omni denique jure belli & pacis eſſe exercitatum. Apud eundem *lib. 2. de Legib.* hæc exſtat Lex: *Fœderum, pacis, belli, induciarum, oratores* (id eſt, Legati,) *Feciales, judices ſunto.* Et mox ibidem: *Sequitur de Jure belli: in quo & ſuſcipiendo, & gerendo, & deponendo, ius plurimùm valet, & fides: horumque ut publici interpretes eſſent, lege ſancimus.* Eadem confirmantur à M. Terentio Varrone, Pomponio Feſto & Nonio: quæ diſtinctè & perſpicuè ex ipſo Jure Feciali cognoſci potuiſſent, niſi ſolum iſtorum monumentorum deſiderium ad nos perveniſſet. Itaque Albericus Gentilis non dubitat profiteri, Feciales non tantùm fœderum, pacis, bellorum, legationum, ſed & reliquorum Juris Gentium cum exteris capitum fuiſſe curatores *lib. 1. de Jure belli. cap. 1. n. 5.* Cui addi pote-

poterit Rosinus *lib. 3. antiq. Roman. cap. 21.* Bodinus *lib. 5. de Repub. cap. ult.* & alii, qui de Re Militari, ejusque Jure vel studio scripserunt, veluti Spelmannus in sua Aspidologia, Uptonus, Nicolaus Reusnerus, Gabriel Naudæus, Valturius, Balthasar Ajala, Valtrinus, Franciscus Patricius, Justus Lipsius in Poliorceticis.

XV. De sanctitate & exacta religione, qua suum officium tractaverint Feciales, testes sunt solennes ritus, atque formulæ, quibus in diversis negotiis expediendis usi fuerunt. Pauca exempla ex multis proponam. Cincius *in lib. 3. de Re militari*, referente Gellio *lib. 16. cap. 4.* Fecialem Populi Romani bellum indicentem hostibus, telumque in agrum eorum jacientem, hisce verbis uti scripsit: *Quod Populus Hermundulus, hominesque populi Hermunduli, adversus Populum Romanum bella fecere, deliquereq;: quodq; Populus Romanus, cum populo Hermundulo, hominibusque Hermundulis bellum jussit: ob eam rem ego populusque Romanus populo Hermundulo hominibusque Hermundulis bellum indico, facioque.* De hac solennitate ita commentatur Servius ad illum Virgilii versum *10. Æneid. v. 14.*

Tunc certare odiis, tunc res rapuisse licebit.

Ancus Martius, inquit, *cum videret populum Romanum ardentem amore bellorum, & plerumque inferre gentibus bella, nulla justa exstante ratione, & exinde pericula procreari, misit ad gentem Equiculanam, & accepit jura Fecialia, per qua bella indicebantur hoc modo, sicuti etiam de Albanis retulit Livius. Nam si quando homines aut animalia ab aliqua gente rapta essent populo Romano, cum Fecialibus, hoc est, sacerdotibus, qui faciendis præsunt fœderibus, proficiscebatur etiam Pater patratus, & ante fines stans clara voce dicebat belli causam: & nolen-*

nolentibus res raptas restituere, vel autores injuriæ tradere, jaciebat hastam, quæ res erat pugnæ principium, & jam licebat more belli res rapere. Alia hujus generis Fecialium carmina recitat Grotius *lib. 3. de. J. B. P. cap. 3. n. 7.* Deditionis à Fecialibus factæ hoc exemplum suppeditat Livius *lib. 9. Progressi Feciales, ubi ad portam venere, vestem detrahi pacis sponsoribus* (ad Furcas Caudinas depectis) *jubent: manus post tergum vinciri. Cum apparitor, verecundia majestatis, Postumium laxius vinciret, Quin tu, inquit, adducis lorum, ut justa fiat deditio? Tum ubi in cœtum Samnitium, & ad tribunal ventum Pontii est, A. Cornelius Arvina Fecialis ita verba fecit: Quandoquidem hi homines injussu populi Romani Quiritium fœdus ictum iri spoponderunt, atque ob eam rem noxam nocuerunt, ob eam rem, quod Populus Romanus scelere impio sit solutus, hosce homines vobis dedo.* In fœdere autem ineundo etiam ex Feciali jure certa verba adhibita fuisse ostendit Suetonius *in Claudio cap. 25. Cum regibus*, inquiens, *fœdus in foro icit, porca cæsa, ac veterum Fecialium præfatione adhibita.* Ea Præfatio qualis fuerit, ex his Livii, quæ sequuntur, verbis illucescit. Sic enim ille *lib. 1.* de Fœdere inter Tullum Hostilium & Albanos percusso agens, *Fœdera*, ait, *alia aliis legibus, cæterum eodem modo omnia fiunt. Tum ita factum accepimus, nec ullius vetustior fœderis memoria est. Fecialis regem Tullum ita rogavit: Jubesne me Rex cum Patre patrato populi Albani fœdus ferire? Jubente Rege, sagmina, inquit, te Rex posco. Rex ait, Puram tollito. Fecialis ex Arce graminis herbam puram attulit. Postea Regem ita rogavit: Rex, facisne tu me regium nuntium populi Rom. Quiritium, vasa, comitesque meos? Rex respondit, Quod sine fraude mea populi Rom. Quiritium fiat, facio. Fecia-*

lis erat M. Valerius: is Patrem Patratum Sp. Fusium fecit, verbena caput capillosq. tangens (Pater Patratus ad Jusjurandum patrandum, id est sanciendum fit) fœdus, multisq. id verbis, quæ longo effata carmine, non opera est referre, peragit. Legibus deinde recitatis, Audi, inquit, Jupiter, audi Pater Patrate populi Albani, audi tu populus Albanus, ut illa palam prima postrema ex illis tabulis cerave recitata sunt, sine dolo malo, utique ea hic hodie rectissimè intellecta sunt: illis legibus Populus Romanus prior non deficiet. Si prior defexit, publico consilio, dolo malo, ut illo die Jupiter populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam: tantoq. magis ferito, quanto magis potes pollesque. Id ubi dixit, porcum saxo silice percussit. Quem ritum etiam duobus aliis locis idem Autor tetigit. Libro quidem 9 in hunc modum: *Quid enim sponsionibus in fœdere opus esset, aut obsidibus, ubi precatione res transigitur, per quem populum fiat, quò minùs legibus dictis statur, ut cum ita Jupiter feriat, quemadmodum à Fecialibus porcus feriatur.* Idem *lib. 30. Feciales cùm in Africam ad fœdus feriendum ire juberentur, ipsis postulantibus SCtum in hac verba factum est, ut privos lapides, silices, privasque verbenas, secum ferrent, ut Prætor Romanus his imperaret, ut fœdus ferirent: Illi Prætorem sagmina poscerent; herbæ id genus ex arce sumptum dari Fecialibus solet.* Alium firmandorum Fœderum ritum etiam describit Cœlius Rhodiginus *lib. 21. lect. antiq. cap. 15. Fecialis sumpto in manus lapide, postquam de fœdere inter Patres convenerat, hæc verba dixit: si rectè ac sine dolo malo hoc fœdus, atque hoc jusjurandū facio, dii mihi cuncta præstent felicia: sin aliter aut ago aut cogito, cæteris omnibus salvis, solus ipse peream, uti lapis hic è mani-*

è manibus meis decidet. Nec locutus plura, manu lapidem excussit. Atque hæc hactenus.

XVI. Proderunt nobis hæc cum ad alia, tum ad Juris Gentium divisionem, & specierum ejus explicationem rectè faciendam. Quas antequam investigemus, ex superiori dissertatione generalis aliqua Juris Gentium definitio proponetur, ne fortè res tam necessaria à quoquam in hoc argumento desideretur. Jus igitur Gentium est jus, plurium liberarum gentium pacto sive placito expressè aut tacitè initum, quo Utilitatis gratia sibi invicem obligantur. Dixerit mihi quis, operam me perdere in concinnanda definitione, cum adhuc sub Judice lis sit, an ullum omnino Jus Gentium sit, vel obtineat. Hanc equidem dubitationem in ipso limine hujus diatribæ prospexi, cui ut rectiùs pleniusque satisfiat, Divisio Juris Gentium antè constituenda est: deinceps ejus speciebus & capitibus examinatis, contra illos disputationem instituemus, qui Jus Gentium omne pernicioso dogmate sublatum eunt.

XVII. Progrediamur itaque ad Juris Gentium Divisionem, de qua non solùm anceps aliorum, sed & erroribus obnoxia est disceptatio. Spero tamen has difficultates faciliùs nos superaturos esse, quàm volucres Fossam Cimbricam in Phrygia: quod impossibile iis esse scribit Antigonus Carystius *in Mirabilibus.* Illam Juris Gentium divisionem, qua in Primævum seu Primarium, & Secundarium dispescitur, suprà vidimus, refutavimus, rejecimus. Neque factum mutamus. Neque etiam ad divisionem hujus juris pertinet, si dixeris illud esse voluntarium, quia nullum Jus Gentium propriè dictum est aliud, quàm

 à libera

à libera paciſcentium populorum voluntate profectum. Grotius ſæpiſſimè mentionem facit Juris Gentium externi, idque cum Jure interno contendit. Illius effectus eſt, quod quidem non ſola agendi impunitate, ſed & Judiciorum tutela conſtat. *lib. 3. de I. B. P. cap. 7. num. 7.* Internum eſt, quod in foro conſcientiæ ſuſtineri queat. *Grot. lib. 3. de I. B. P. cap. 10. & ſeqq.*

XVIII. Honos Britanniæ, Joannes Seldenus (quo elogio illum Grotius decorat in Annotatis *ad lib. 2. de I. B. P. cap. 2. n. 2.*) planè nova Juris Gentium diviſione utitur, cum in Libris, *de Jure Naturæ & Gentium juxta diſciplinam Hebræorum*, tum *de Mari clauſo*, diſpeſcens illud in Jus Gentium *Imperativum*, & *Interveniens*. Iſtud ſic explicat, quod à Numine ſit præſcriptum: Hoc, quod ab ipſis Hebræis ſit ſuperinductum. *lib. 2. de I. N. G. jux. diſc. Hebr. cap. 5. p. 115. edit. Argent.* Sed quod pace tanti Viri fiat, etiam hic potior veritatis ratio erit habenda, minimeque ea diſſimulanda. Exiſtimo itaque, neutrum ad Jus Gentium propriè dictum referri poſſe, ceu de utroque Seldenus diſſerit. Quod cum jam ante nos deprehendiſſet, atque animadvertiſſet Bœclerus, ita ad Grotii *lib. 1. cap. 1. n. 14. p. 169.* ſcribit: *Seldeni Jus Gentium Imperativum & Interveniens extra hypotheſin diſciplinæ Hebræorum vix ullum habet uſum.* Bene enim notandum eſt, Seldenum ſuo Opere non tractaſſe Jus Naturæ abſolutè, ſed juxta diſciplinam Hebræorum. Perinde quoque deſcripſit Jus Gentium non abſolutè, & quod mentem ab omni ſingulari Republica abduxiſſet, ſed etiam hactenus ad uſum Reip. & diſciplinam Hebræorum ſe adſtrinxit. Eſto igitur, quod Deus quaſdam leges tulerit, juxta quarum normam Hebræis

bræis fuerit vivendum cum gentibus; non certè ad Jus Gentium, sed divinum voluntarium hæ sunt referendæ. Nam Jus Gentium verè dictum est id, quod mutuo gentium liberarum pacto aut consensu obligationis vim inter illas sortitur. At Seldeni Jus Gentium Imperativum sancitum fuit legibus divinis, quibus Deus sibi obligare voluit populum suum peculiarem ad certa officia gentibus præstanda, aut quomodo omnino cum his esset vivendum; sic ut hæ gentes ex suo arbitratu has leges sibi non condiderint cum Hebræis, aliisve gentibus, pro Jure Gentium, sed illarum fuerint objectum externum, quibuscum Deus Legislator certo modo agi cum suis Hebræis voluit, eoque nomine has Leges civiles his præscripsit.

XIX. Sed nec Interveniens Jus Gentium quod appellat, nomen suum tueri potest. Exempla ex multis pauca adferam, quibus idipsum declaretur. Exstat in Levitico lex, de viri seminis, & mulieris sanguinis profluvio laborantis immunditie. Hanc Judæorum magistri extenderunt ad omnes gentiles, hos sine discrimine pro immundis habendos, adeoque contactu aliis immunditiem adfricare, perinde ac si perpetuo seminis aut sanguinis profluvio laborarent. Hanc ab iis diductam interpretationem legis divinæ voluntariæ Seldenus ad Jus Gentium Interveniens refert. *l. 2. de J. N. G. jux. disc. Hebr. cap. 5. pag. 115. seq.* Quod quàm parùm commodè fiat, quis non videt? Serviat ergo licet hæc distinctio instituto & hypothesi Seldeni; ne tamen cuiquam imponat ceu ad veritatis limam & *ἀκρίβειαν* exacta.

XX. Ita quoque cum Judæi hac lege divina, *Non eriges tibi statuam, Deuter. 26. v. 1.* Proselytos domicilii,

quos appellabant, quoque obligatos esse vellent, ob novandæ idololatriæ metum, Seldenus illam refert ad Jus Gentium Interveniens *lib. 2. de J. N. & G. cap. 6. pr.* & quidem tale, quod ad illos Proselytos regendos Civili sit superinductum. *d. l. 2. cap. 6. in fin.* Sic memorat ejusdem Operis *lib. 4. cap. 2. p. 493.* Si Hebræus Proselytum domicilii, sive liberum sive servum, casu occidisset, migrandum ei fuisse in urbem refugii, seu, ubi Asylum esset. At Proselyto, si casu occidisset Hebræum, Asylum ipsi non prodeerat. Sin proselytum sui generis sive liberum sive servum fortè interemisset, Asyli privilegio gaudebat. Quod si gentilis alius, qui non esset factus proselytus domicilii, sui generis gentilem obtruncasset, huic Asyli jus denegatum fuit. Minus quoque indulgebatur Proselytis aut gentilibus in Rep. Hebræorum viventibus tempore messis aut vindemiæ, legendi spicas, aut uvas comedendi, quàm Hebræis. *lib. 6. cap. 2. p. 700. seq.* Cætera de genere hoc passim istic legas. Hæc vero, & quæ iis accenset Seldenus, omnia illi Juris Gentium Intervenientis nomine & censu veniunt, ut illi mores & jura, quibus gentilibus aut Proselytis in Republica Hebræorum degentibus vivendum fuit, & quibus ab Hebræis originariis distincti sunt, hoc Jus Gentium Interveniens constituerint.

XXI. Sed, quæso, quale hoc est Jus Gentium, quod fortè peregrinis quibusdam Reipublicæ cuipiam se vel perpetuò vel ad tempus subjicientibus à Legislatore sancitur, aut etiam ipsis indigenis dictatur, quatenus cum illis peregrinis in ditionem vel perpetuò vel ad tempus receptis vivere conveniat? Hi certè ita admissi peregrini non

non constituunt Gentem, & quidem liberam gentem, cui cum altera æquè hactenus libera pro arbitrio & consilio pacta condere, iisque se invicem obligare jus sit. Jam vero Seldenus disertè profitetur, quod & res ipsa affatim confirmat, Proselytos domicilii fuisse in ditione Hebræorum: ejusdemq; Operis libro postremo passim ostendit, potuisse illos ex sententia Judicii Hebræorum puniri. Tantum igitur abest, ut hi fuerint ejusmodi libera gens, quæ Jus Gentium cum aliis sanciendi facultatem habuerit, ut infinitis propè in rebus deteriori plerumque loco & conditione fuerint in Republica Hebræorum, quàm ipsi Hebræi. Unde nec illa mihi probantur, quæ scribit ejusdem Operis *lib. 2. c. 12. p. 262.* ' Si proselytus domicilii Nomini tetragrammato expressim maledixisset, ex gentium jure Imperativo hunc morte fuisse plectendum, Judæum vero ex eadem lege, si idem patrasset, sibi civili. Nam etiamsi diversa pœna animadversum fuerit propter idem delictum in Judæum & Proselytum, utraque tamen profecta fuit ex determinatione Juris civilis. Quare quæso? quia hi omnes fuere ejusdem Civitatis subditi, sic ut Proselyti inferiori subjectionis gradu ac jure ibi præ Hebræis vixerint, nedum quod gentem liberam repræsentare potuerint.

XXII. Neque etiam pro gente libera reputari potuerunt illi gentiles, qui subinde civitatem Hebræorum ingressi, istic ad tempus commorati fuerunt, etiamsi in diversa ab Hebræorum civitate Republica domicilium habuerint, ejusque membra fuerint. Non minus enim censendi sunt subditi illi homines peregrini, qui momento in aliqua Republica commorantur, quàm qui perpetuo, etsi duratione aut etiam aliis rebus utrorumque subjectio

jectio differat. Nam *subditus temporarius legibus loci subjicitur. Grot. lib. 2. de J. B. P. cap. 11. n. 5. Struv. Exercit. 2. th. 12.* Exemplo etiam res erit illustrior. Notum est, quo sint loco Judæi in Imperio Germanico, ejusve liberis Urbibus. Sunt illi diversæ gentis à Germanis homines, at liberam gentem minimè constituunt. Imò olim servi fisci Cæsarei appellabantur, eaq; conditione alienati & transcripti sunt paulatim Urbibus Imperialibus, necessariis temporibus iis ab Imperatoribus venditi. Et quamvis nonnullis in Urbibus liberiùs vivant ac commercentur Judæi, atq; ipsi fortè indigenæ cives, sintque his perquam graves ac detrimentosi; non tamen liberæ gentis instar aut partem Reip. habent, etiamsi fortè Oligarchicorum opes horum ministerio, exemplo stabiliendæ Oligarchiæ Aristoteli aliisque veteribus planè incognito, conserventur & locupletentur. Si igitur vel Imperii subditi, vel cives Urbium legibus latis jubeantur cum Judæis hoc vel illo modo conversari, habitare, negotiari; iisne constitutum inter hos censebitur aliquod Jus Gentium sive Imperativum, sive Interveniens? Nequaquam; sed Civile.

XXIII. Mea igitur sententia Jus Gentium propriè ac verè dictum constituendum est duplex, Commune, & Proprium. Aliis nominibus si quis res easdem designare malit, cum eo non contendam. Commune appello, quo complures, aut fortè pleræque gentes, saltem moratiores, pro jure inter se utuntur & consociantur. Proprium quod in paucarum & fortè duarum liberarum gentium peculiarem usum & communionem est conditum, sic ut ad ejus observantiam reliquæ gentes adstringi nequeant. Agnovit quodammodo hoc discrimen ipse Gro-

Grotius. Cum enim *lib. 3. de J. B. P. cap. 4. n. 16.* docuisset, nefas esse in bello spicula veneno inficere, & geminare mortis causas, subjicit, si secus quid eveniat, hoc fore contra jus gentium non Universale, sed gentium Europæarum, & si quæ ad Europæ melioris cultum accedant. Eodem *cap. n. ult.* his utitur verbis: *Atque id inter Christianos observari par est, non tantum ut disciplinæ militaris partem, sed & partem Juris Gentium: id est, ut, qui pudicitiam vi læsit, quamvis in bello, ubique pœnæ sit obnoxius.* Paulò antè vero dixerat, esse hoc Jus Gentium non omnium, sed meliorum. *num. eod. ult.* Eodem *lib. cap. 6. n. 3.* cum disputasset, quando res mobilis capta censeatur ex jure gentium, concludit his verbis: *Recentiore jure gentium inter Europæos populos introductum videmus, ut talia capta censeantur, ubi per horas viginti quatuor in potestate hostium fuerint.* Notat quidem ibi Zieglerus, *abusivè à Grotio dici Jus Gentium, quod inter populos duos, tres, quatuorve mutuis conventionibus receptum est*; Sed de hac censura arbitrandi potestas mox dabitur. Secundum Grotium igitur liceret Jus Gentium Commune quod appellavimus, subdividere in latè, quod non semel Universale nuncupat, & minùs latè patens, quod à moratioribus tantum populis, vel Christianis observetur.

XXIV. Ad Jus Gentium Proprium refero omnia Fœdera, & publicas liberorum populorum conventiones, peculiaris utilitatis gratia, etsi non nisi à duobus initas. Nam quodcunque libero gentium, sive duarum sive plurium arbitrio introductum, vim Juris inter illas obtinet, societatemque illarum continet ac conservat, illud est Juris Gentium; Hanc vero esse autoritatem Fœderum pu-

blicarumque, etiam duarum gentium, conventionum quis ausit inficiari? Conferantur cum his ea, quæ suprà proposui *th. 11. & 12.* Confirmant eandem sententiam ea, quæ suprà de Fecialium officio disserui. Neque enim ad illud solùm ea pertinere credebant, quæ Juris Gentium Communis capita sunt, veluti belli causas expendere, illud denuntiare, legationis munus obire, & similia facere; sed etiam Juris Gentium Proprii causas sibi competere existimarunt, veluti pacis conditiones certas proponere, fœdera pangere, eadem interpretari, similiaque peragere. Et quamvis perlibenter concedam, Jus illud Gentium Commune κατ' ἐξοχὴν Jus Gentium esse, aut perhiberi, præprimis si vulgarem loquendi usum spectes; verè tamen ac propriè etiam illud Jus Gentium est, dicique meretur, quod vel inter duas gentes per Fœdus est constitutum. Malè igitur nonnemo monuit, & malè id approbavit Mevius, *cavendum esse, ne quæ Juris Gentium sunt, & quæ pactis populorum constituuntur, confundantur: in Prodrom. insp. 5. n. 16. in f.* Etsi enim nec nos confundi velimus Jus Gentium Commune & Proprium, revera tamen utrumque Jus Gentium est. Rectius se illa habent, quæ paulò antè eodem *n. 16.* præmiserat: *Non facit differentiam juris numerus utentium.* Cum vero suprà dixerimus, consensu Gentium seu pacto Jus Gentium constitui, eoque, vel Tacito, vel Expresso; id protinus monendum hic erit, Jus Gentium Commune tacitis, Proprium expressis ferè pactis introductum esse. In utriusque naturam penitiùs inquiremus.

XXV. Videamus igitur primò, quale sit illud Jus Gentium Commune quod diximus, & quod κατ' ἐξοχὴν hoc

hoc nomine cluet, & quomodo Juris autoritatem obtinuerit. Viam nobis commonstrat Grotius *lib. 1. de J. B. P. cap. 1. n. 14.* quando ait, Jus Gentium probari pari modo, quo Jus non scriptum civile, usu continuo, & testimonio peritorum, inque eam rem maximum præbere usum illustres Annalium conditores. Nam sicut in genere Jus omne vel est Scriptum, vel Non-scriptum, & secundum Græcos τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι, οἱ δὲ ἄγραφοι, *l. 6. ff. de Just. & Jur. §. 3. Inst. de J. N. G. & C.* Ita quoq; speciatim Jus Gentium, quod verè est tale, vel Scriptum est, vel Non scriptum. Hujus generis est Jus Gentium Commune: istius ferè, quod Proprium diximus. Itaque de natura hujus non scripti Juris Gentium fortè constabit, ubi inquisiverimus, quomodo in genere Jus non-scriptum obligandi autoritatem consequatur.

XXVI. *Sine scripto Jus venit, quod Usus adprobavit; nam diuturni mores, consensu utentium comprobati, legem imitantur*; inquit Imperator *§. 9. Inst. de J. N. G. & C.* Bene Julianus *l. 32. ff. de legib. Inveterata consuetudo pro lege non immeritò custoditur. Et hoc est Jus, quod dicitur moribus constitutum. Nam cum ipsæ leges nullâ alia ex causa nos teneant, quàm quod judicio populi receptæ sunt; meritò & ea, quæ sine ullo scripto Populus probavit, tenebunt omnes. Nam quid interest, suffragio Populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis & factis? Quare rectissimè etiam illud receptum est, ut Leges non solùm suffragio Legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur.* Et Ulpianus *l. 33. Diuturna consuetudo pro jure & lege in his, quæ non ex scripto descendunt, observari solet.* Hermogenianus *l. 35. ff. eod. Sed & ea, quæ longa consuetudine comprobata sunt, ac per annos plurimos*

 mos

mos observata, velut tacita civium conventio, non minus, quàm ea, quæ scripta sunt jura, servantur. Immo, inquit Paulus *l. seq. magnæ autoritatis hoc ius habetur, quod in tantum probatum est, ut non fuerit necesse scripto id comprehendere Add. tit. Cod. quæ sit longa consuet. c. consuetudo. 5. dist. 1. c. cum tanto. 11. X. de consuet.*

XXVII. Ex his ferè textibus JCti doctrinam Juris per Consuetudinem introducti arcessere solent. Hoc vero in iis displicet, quod dum nimis tenaciter literæ harum legum & apicibus inhærent, non satis commodè vel sentiant ubique, vel loquantur, præter alia hinc colligentes, hoc Jus unicè à Populo introduci. Nam potestas Legislatoria utique penes eum eosve est, penes quem quosve est τὸ κύριον, seu ἀρχὴ κυριωτάτη Reipublicæ. Qui enim omnes Reipublicæ subdtos sibi lege velit obligare, necessum est iis omnibus sit superior, Remque publicam in sua habeat manu. Etiamsi igitur illa autoritas juris constituendi fuerit Republica libera penes Populum Romanum; ubi tamen alia est Reipublicæ facies, penes eum eosve est hæc autoritas Nomothetica, penes quem quosve est Respublica. Pro indubitato igitur habeatur, publici juris autoritatem nil posse consequi nisi à Majestate civili, virtute supremæ potestatis Legislatoriæ, quæ ei inest, sive illud Jus sit Scriptum, sive Non-scriptum.

XXVIII. Etsi igitur ad Consuetudinis Jus requiri soleat actuum frequentia, & illi plerumque à subditis peragi soleant; non tamen subditi aliquid ad ipsam Juris autoritatem conferunt, sed materiam Legislatori præbent, ut si ei ita visum fuerit, formam ac vim juris ei tribuere possit; adeoque opus est, ut ille sciverit, tale quid in sua civi-

civtate factitari: deinde ut non contradixerit, sed permiserit id fieri: denique ut ita id fieri & frequentari permiserit, ut consensu tacito videatur approbasse, idemque etiam ab aliis fieri velit, & quasi jubeat; absque hoc enim tertio si fuerit, fortè mera permissio existimari possit, aut conniventia, non Jus. Hinc nonnunquam illud explorandum arbitratur Ulpianus, an etiam contradicto aliquando judicio Consuetudo firmata sit. *l. 34. ff. de legib.* Quo tamen simpliciter opus non esse prolixè probat *Tib. Decian. vol. 2. resp. 51. n. 61. seqq. Gail. 2. observ. 31. n. 8. Donell. & Hillig. l. 1. c. 10. lit. H. Bach. ad. l. 32. ff. h. t. ad Wesenb. eod. n. 9. Hahn. diss. de Consuet. th. 14.*

XXIX. Quando igitur tacito consensu & approbatione Majestatis civilis ex actuum (qui non superstitiosè numerandi, sed arbitrio Legislatoris submittendi sunt) frequentia Consuetudini, Juris autoritas tribuitur, illa deinceps in similibus actibus illos sibi tributos juris effectus exserit. Atque ea ratione Consuetudo dicitur esse *pro jure*, ac *pro lege:* & quod *imitetur legem*, hoc est, paulatim à Legislatore tacitè eosdem consequatur juris effectus & autoritatem, qualem Leges expressè sancitæ & promulgatæ. Quemadmodum igitur Legem publicam scriptam seu expressam Pactum expressum, ita Consuetudinem juris autoritatem consecutam ea in re imitantur Pacta Tacita, quibus Jus Gentium Commune inniti diximus.

XXX. Qualis vero sit ille usus, quo Gentium Jus constituitur, uti non est obvium, ita multùm ejus cognitio ad naturam illius Juris penitus cognoscendam facere videtur. Mihi certè verisimillimum apparet, quiquid aliis

visum fuerit in medium relinquens, Jus Gentium Commune & καὶ ἐξοχὴν ita dici solitum, ortum suum inprimis habere ex Jure Gentium Proprio, quod expressis sancitur pactis. Cum enim paucis, & fortè duabus, gentibus placuisset, expressis pactis certos quosdam legitimosque belli effectus inter se sancire, & ad belli pacisque negotia commodiùs obeunda Legatos Sacrosanctos esse, & varia alia negotia mutua obligatione constringere voluissent; frequentatis paulatim bellis, aliisque istiusmodi inter gentes & civitates negotiis, idem jus ab aliis successu temporum quoque usu comprobatum videtur, non sanè ut sui tantùm causa singulæ gentes paucas illas ea in re imitarentur, sed ut hæ omnes paulatim inter se idem jus constituerent, autoritatem illi placito tacito adstruente propagata per gentes longumque satis tempus, communi utilitati illarum hoc ipso serviente, Consuetudine. Unde liquet bene Grotium dixisse *lib. 1. de J. B. P. cap. 1. n. 14.* Jus Gentium pari modo probari, quo Jus Non-scriptum civile, Usu continuo & Testimonio peritorum; esse enim illud *εὕρημα Cis καὶ χρόνου, repertum temporis & usus. Quidquid orbis præter creata habet, cæteris præbuit imitandi exemplum. Quo id ad usus humanos aptius, ita citius longiusq; traductum extensumq;.* Mevius *in prodr. insp. 5. n. 11.* Et *n. 13. Si per exempla ibis, nihil eorum, quæ indubie sunt juris gentium, sic semel & simul per gentes constitutum demonstrabis.*

XXXI. Dixi Jus Gentium Commune plures gentes à paucis per *Imitationem* videri accepisse, & ex tacito pacto per continuatum sive propagatum inter eas Usum etiam autoritatem Juris & Obligationis inter illas obtinuisse. *Nam Imitari insitum hominibus à pueris est. Et hac re dif-*

re differunt ipsi ab aliis animalibus, quod Homo est animal maximè accomodatum ad Imitandum. Et prima disciplina elementa per Imitationem percipiunt. Et gaudent omnes rebus Imitatione expressis. Signum hujus rei est id, quod contingit in operibus opificum. Quæ enim ipsa molestè cernimus, horum imagines exactissimè expressas dum spectamus, gaudemus, ut abjectissimarum ferarum & cadaverum formas. Naturâ igitur ad Imitationem propensi sumus. Hæc Aristoteles *lib. de Poëtica, cap. 4. Imitari* autem est conformare sese ad exemplum alterius, ut ejus similes fiamus. Requiritur ergo in Imitatore Opera vel Usus, quo ad Exemplum alterius se componat, atque ita similitudinem ejus adsequatur. Vossius *de Imitat. cap. 1.* Duplex vero Exemplum proponi poterit, quod utrumque imitatæ gentes liberæ inter se obligationem videntur induxisse, autoritatem talem paulatim adstruente Imitatore Usu à pluribus, & quidem inter se pro Jure ex tacito pacto recepto. Unum Exemplum, cujus imitatione ego cumprimis extitisse credo Jus Gentium Commune, dixi esse Jus Gentium Proprium. *th. præced.* Neque tamen aliorum Exemplorum Imitationem excludam, aut pertinaciter adseverabo, tantùm uno modo Jus Gentium Commune fuisse introductum. Uti enim mea conjectura mihi verisimillima visa est, ita nec illa opinio verisimilitudine destituitur, Jus Gentium Commune ex plurium gentium Jure civili consimili, de quo suprà *th. 3.* ortum esse. Ut adeò hoc alterum sit futurum Imitationis Exemplum, quâ Jus civile pluribus gentibus usitatum, pro communi vinculo juris inter ipsas illas sit paulatim receptum.

XXXII. Et quidem Ferdinandus Vasquius in hac est sen-

est sententia, *Ea omnia, quæ sunt Juris Gentium, priùs fuisse iuris tantùm civilis, sed paulatim serpsisse, aut velociter transvolasse ad reliquas gentes & regiones. lib. 2. controv. illustr. cap. 54. §. 4.* Sed videtur Vasquius loqui de quasi, seu impropriè dicto Jure Gentium, quod Bachovius, hanc Vasquii sententiam expendens, Jus Gentium Secundarium appellat, nova significatione, & ab ea, quàm suprà hoc nomine proposuimus, planè diversa. Sed cum hoc sit Jus Civile plurium gentium, nos autem de propriè dicto simus solliciti, hactenus ad nostrum institutum nihil facit. Nec tamen, uti paulò antè monui, improbabile est, cum idem Jus Civile pluribus gentibus propter eandem Utilitatis rationem placuerit divisè, & potuisse quoque inter illas conjunctim recipi per modum & vim Pacti, mutuam obligationem inducentis: quod Grotius rectè in Jure Gentium Communi proprieque dicto requirit *lib. 2. de J. B. P. cap. 3. §. 5.*

XXXIII. Vir Clarissimus Jo. Henr. Bœclerus de origine Juris Gentium ita disputat ad Grotii *lib. 1. cap. 1. §. 14. p. 169. Quærendum est: An illæ multæ gentes Pactione aliqua induxerint, atque sibi invicem commune fecerint tale jus: an vero per Imitationem ab una gente ad aliam, atque ita tandem ad multas jus istud pervenerit. Posterior modus, qui potest impedire, quin sit & maneat tale jus, plurium gentium Jus Civile? Prior modus, qui solus idoneus est ad faciendum Jus Gentium, à gentibus scilicet constitutum, quàm sit demonstratu arduum, idoneis locis attingetur. Aperta certè pactio vix apparebit: igitur ad tacitam confugiendum erit.* Facile quisque videt, disputare illum de Jure Gentium Communi; nam Jus Gentium Proprium quod diximus, expressis

ctiam

etiam pactis constitui, non puto unquam in dubium vocaturum fuisse. Si igitur originem Communis illius Juris Gentium inquiras, duo illi modi à Bœclero propositi, non separandi, sed conjungendi sunt. Imitatio enim cernitur in Usu vel Juris Gentium Proprii, vel plurium gentium Juris Civilis, cujus utriusque exemplum sibi habere potuit propositum. Pactio tacita cernitur & præsumitur ex eodem Usu paulatim inter diversas pluresque gentes, impellente magis magisque varia Utilitatis ratione, pro communi Juris vinculo recepto.

XXXIV. Richardus Zouchæus, JCtus Anglus, hac de re ita disserit, *Element. Jurispr. part. 1. sect. 4. Jus Gentium est rectè agendi norma, quæ Gentium vel Hominum plerorumque judicio comprobatur: eaque vel Ratiocinatione, vel Moribus introducta est. Ratiocinatio est, quæ per discursum rationis quid sit Utile humano generi excogitavit. Mores Gentium sunt, qui, quid conveniens sit humano generi, Experientia communi comprobarunt.* Nihil hic distinctè, nihil accuratè demonstratur, quin omnia magis etiam confundi & intricari videas Juris Romani, quos subjicit, textibus, *l. 1. §. 4. ff. de Just. & Jur. §. 2. v. Jus autem gentium. Inst. de J. N. G. & C.* quibus Jus Naturæ & Gentium, uti suprà vidimus, in unum κυκεῶνα conjicitur. Si igitur Usu & Moribus aliquid pluribus gentibus Utile ac Conveniens deprehenditur, & hujus finis obtinendi gratia universalis norma actionibus, tanquam Juris regula & Lex proponatur, hoc ipsum sine Ratiocinatione fieri nequit, sed necessum est, ut hanc ad rem suam opem commodet Prudentia Nomothetica. Prudentia vero est habitus μετὰ λόγου ἀληθοῦς, *cum vera Ratione seu Ratiocinatione conjunctus*, quo quis de iis, quæ ad be-

ne beateque vivendum Utilia sunt, rectè deliberare & decernere potest *6. Nicom. 4. §. 10. & cap. 5.* Prudentiæ autem subservit Experientia, eique multa singularia, quæ comperta habet, subministrat. *Experientia enim rerum singularum usu exercitata intellectum facit idoneum, ad dispicienda & definienda principia, id est, propositiones, quas ex multis quæ sigillatim aguntur, comparare consuevimus, atque inde eventura etiam quandoque prospicimus. Cum enim factum aliquid est, quid secuturum sit, Prudens sæpenumero prædicit, eò quod multa inspexit hujusmodi, atque ita didicit, quid quamque rem antè factam consequi soleat.* Ita Eustratius ad *6. Nicom. cap. 10. §. 23.* Ubi idem catè observat, conjungi à Philosopho cum senioribus, qui Experientia pollent, Prudentes, qui ex singularibus per Experientiam collectis Ratiocinationem instituunt.

XXXV. Vereor sanè, ne Zouchæus hanc in curam incubuerit, ut textibus Juris Romani obsequeretur, & receptæ Juris gentium distinctioni in Primævum & Secundarium verbis allatis velificaretur. Ita enim veteribus JCtis servire solent Interpretes, ut Naturæ jus per Rationem, Gentium jus per Ratiocinationem innotescere dicant. Quæ etiam fuit Wesenbecii sententia, quam suprà *th. 5.* tetigimus. Unde etiam Mevio Jus Gentium non absurdè Jus Ratiocinationis dici videtur. Agnoscit tamen ille rectè, de Jure Naturæ non solùm ex primis principiis nobis constare, sed etiam ex conclusionibus per Ratiocinationem collectis. Imò pleraque Juris Naturalis decreta ratiocinando innotescunt. Etsi igitur etiam Juris Gentium placita ratiocinando Prudentia elicuerit, ex aliis tamen principiis, quibus videlicet Jus Arbitrarium innititur,

tur, colliguntur, ut sub ratione Utilitatis inventa & à gentibus approbata illarum Civitatibus prosint. Hinc inter alia ita loquitur Mevius *in suo Prodromo Jurispr. gent. communis Inspect. 5. n. 9. Ratiocinatio ex naturalibus dictatis intendit rectitudinem vitæ & morum, naturæ integræ quàm maximè congruam. At quæ parit Gentium jus, ex necessitatibus & usu vitæ humanæ depravationi reddita obnoxia, colligit, quid pro securitate & usu hominum quàm maximè commodum & expeditum. Ut utrumque Jus discrepat fine & mediis, sic & quæ ad id constituendum atque noscendum tendit Ratiocinatio. Quod ad evitandam utriusque confusionem, & errorem, Jus Naturale Ratiocinationis confundentium, notari meretur.* Hæc ille.

XXXVI. Sed operæ pretium fuerit, etiam hac de re audire Albericum Gentilem: qui cum vulgares illas Juris Gentium descriptiones proposuisset, quod omni generi humano commune est, sequentia subjicit: *ista non sic sunt capienda, quasi convenerint unquam gentes omnes, & Jus istud constituerint. Non sic dicunt: Non necesse est, sic capere verbum,* Omnes, *ut de Omnium usu quum dicitur, etiam de omnibus omnino gentibus intelligatur, quæ numero innumeræ, regionibus immensum disjunctæ, moribus prorsum discrepantes, linguis variis manerent incognitæ. Non te decipiat JCtus magnus Hugo Donellus, qui definitiones sic accipit & propterea improbat quoque. Sed quod successive placere Omnibus visum est, id totius orbis decretum & concilium fuisse existimetur. Et vero Jus non scriptum, ut hoc est, item ut Consuetudo, aliter non inducitur. lib. 1. de Jur. belli. cap. 1. p. 11.* Sed non unum in hoc JCto hic notandum est. Primò enim malè distinguit, imò potiùs confundit JusNaturæ & Jus Gentium propriè dictum, ceu cuivis integrum textum perlustranti

 non

non potest non esse manifestum. Deinde cum suprà demonstraverim, Jus omnium gentium non esse nisi Jus Naturæ, meritò pingues illas definitiones rejecit Donellus Hactenus vero rectè sentit Albericus, cum gentes sint innumeræ, multùmque distractæ, successive gentes in sui Juris placita consensisse. Modum vero, quo suo consensu illa approbaverint, & inter se receperint, eundem fuisse indicat, quem ego demonstravi, putà illorum usu frequentato, propagato, inveterato, & pro vinculo societatis inter gentes admisso; perinde sicuti usu diuturno paulatim Jus non scriptum Consuetudinis adstrui solet. Quem modum etiam multis explicat & confirmat verbis Mevius *in suo Prodr. Insp. 5.* ubi etiam singularis quædam opinio legitur, quo pacto Jus hoc dicatur *Omnium* Gentium; *non quod aut omnes gentes in illud consentiant; aut receperint, sed quod pro justitia, pace & salute omnes opus habeant, seu ad communem omnium utilitatem spectat. n. 5.* Sed sicuti de modo constituti Juris Gentium bene loquitur, ita hæc limam desiderare videntur.

XXXVII. Quæ de Jure Gentium in genere, ejusque primaria specie, quam Commune Jus Gentium vocavi, disserui, velim omnia commode dextreque accipiantur, neque verba captentur. Horum aucupia ut tantò magis evitem, quædam ex superioribus adhuc explicabo. Dixi de quibusdam Juris Gentium capitibus per Præsumptionem constare, quod inter liberas gentes consensu illarum sint recepta. Cum enim usu & consuetudine paulatim illa obligatio inducatur, non apertè nec uno momento promulgetur, sed sensim sine sensu invalescat, & quasi gliscat; primus certitudinis, quæ de illa obligatione cœpta

pta quamprimum haberi poterit, videtur quadam Præsumptione niti. At ubi Gentes suum consensum evidentiori indicio, & forte Factis testantur, plenè certi sumus, obligationem inter illas plenè inductam esse. Quod si denuo arguteris, etiam ex Factis hujusmodi de Consensu & Pacto gentium per Præsumptionem nobis constitutum esse; non quidem adversabor, cum nemini non sit cognitum, Præsumptiones non unius esse generis, & harum alias minùs, alias magis, alias maximè nos certos reddere posse. Unde etiam ultro sequitur, Pacta Tacita, quibus Jus Gentium Commune innititur, posse generis non unius esse. Nam *Tacitum potest intelligi variis modis. Primò, quando venit in necessariam consequentiam Expressi: & hoc quidem habetur pro Expresso. Deinde Tacitum intelligitur, quod venit ex natura actus: idq; etiam habetur pro Expresso. Tertiò Tacitum intelligitur, quod inducitur ex Præsumptionibus. Denique etiam Tacitum potest intelligi, quod Facto demonstratur. Franc. Mantic. de tacit. & ambig. convent. lib. 1. tit. 5. n. 30. & 31.* Postremi generis Tacitum quod attinet, illud tale perhibetur comparatè, quatenus illud Tacitum dici solet, quod verbis non est expressum. Nam absolutè si hoc Tacitum consideres, potius pro expresso habendum est. Quid enim interest, suffragio an facto Gentes suum consensum testentur? *arg. l. 32. ff. de legib.* Neque video, quid vetet, quò minus id, quod JCtus *l. 2. ff. de pact.* ait, Pacta etiam Re fieri, tam de Consensu per Facta, quàm per Verba expressè significato interpretemur; licet ad hoc tantùm mentem JCti restringat *Borcholt. comm. ad tit. de Pact. cap. 2. n. 2.* Quod si quis Consensum factis testatum, medium inter Voluntatem Expressam & Tacitam cum So-

cino Jun. Cravetta, Salyceto, Curtio Jun. collocet, præsenti instituto non officiet. Tacitus enim ille Consensus existimatur, comparatione facta cum eo, qui verbis sit expressis significatus. Expressus vero putatur, quod ad effectum. Imò Pactum quandoque potest dici partim Tacitum, partim Expressum. *Mant. d. l. n. 31. & 34.* Et quamvis regulariter plus juris sit in Expresso, quàm Tacito; interdum tamen hoc isto potentius est, veluti cum Jus, vel Prudentia, conventionem ob temporis vetustatem aliasq; rationes præsumit. *Mant. d. l. n. 26. & 29.*

XXXVIII. Denique quando Jus Gentium omne Utilitatis gratia comparatum aut constitutum esse docui, hoc fortè nemo in dubium vocabit, modò illud omnibus persuaserim, Jus omne Arbitrarium hunc finem sibi habere propositum, ejusque speciem Jus Gentium esse. Sub Utilitate Necessitatem complector. Quò enim magis res quædam nobis sunt necessariæ, eò magis iis tanquam Utilibus, indigemus. ἡ ἀνάγκη διδάσκαλος τῶν συμφερόντων, *Necessitas utilium magistra*, inquit *Dionys. Halic, lib. 5.* Si quis vero præterea à me desideraverit, ut illas utilitates vel necessitates sigillatim exponam, præstabo quidem illud in præcipuis quibusdam & evidentioribus rebus: in omnibus ut id fiat, nec à quoquam plenè præstari, neque adeò rectè peti poterit. Nam, uti Cicero *lib. 2. de Invent.* ait, Quædam ex Utilitatis ratione etiam obscura in consuetudinem venerunt. *Add. l. 20. ff. de legg.* Transeundum ergo jam est ad specialia quædam capita, in quibus vim & effectus Juris legitimos Jus illud Gentium commune obtinuit. De his enim primò, deinde de Jure Gentium Proprio, eoque pertinentibus agemus, & post illa, sitne omni-

omnino aliquod Jus Gentium, disputabimus. Hanc enim disputationem, nisi istis antè cognitis, feliciter haut aggredi vel tractare poterimus.

XXXIX. Cum Improbitas hominum sit inexplebilis, *2. Polit. 5. p. m. 91.* & maxima pars injustorum factorum, quæ spontè faciunt homines, ferme proficiscatur ab Ambitione & Avaritia, *2. Polit. 7. p. 113.* nec solùm homines propter res necessarias injurias inferant, sed etiam ut gaudeant, nec cupiditatibus & desideriis suis excrucientur; *2. Polit. 5. p. 89.* hinc ferè Bella quoque exstiterunt olim, & nunc item moveri solent, ut si forum conscientiæ (Justitiam Internam passim appellat Grotius) & Juris Naturalis decreta consulas, Bella maximam partem injusta fuerint pronuntianda: qualia quidem ad Juris Interni regulam examinata à Latrociniis nihil distant, arbitrante ita piè rectèque Grotio *lib. 3. de I. B. P. cap. 16. n. 1.* Sunt tamen etiam quædam bella Justa; esse utique secundum nostram theoriam possunt. Ut vero ipsum Jus est duplex, Naturale & Arbitrarium; ita utrumque suam in Bellis autoritatem habet. Hoc tamen non omne, sed quod Gentium Jus diximus.

XL. Jus Naturæ quod attinet, illud primò exigit Justitiam Causæ, quod iniquè in aliquo bono fueris læsus. Deinde, ut illa sit satis Gravis læsio. Si enim Prætor propter modicam summam extraordinarium Restitutionis in integrum remedium impertiri noluit, *l. 3. ff. de in int. restit. &. l. 9. in fin. ff. de dol. mal.* multò minus Natura propter exiguam læsionem subsidiarium, idque præternaturale, remedium Belli indulgebit.

XLI. Præterquam quod Justam Bello causam subesse,

esse, etiam Necessariam esse oportet. Si enim satisfactio aut reparatio injuriæ offeratur, aut exacta ulla alia ratione placida haberi possit, abstinendum est à cruento illo subsidiario remedio. Quàm religiosè veteres Feciales hoc observaverint, suprà vidimus, dolemusque vehementer, ab illa sanctitate gentilium tam longè Christianos abesse. *Natura humana seu rationalis nequaquam fertur ad bellum, nisi κατὰ δεύτερον πλοῦν, ut in Græcorum proverbio, sive per modum subsidii, id est, si pax & societas, ejusq; vinculum jus, aliter quàm bello servari aut obtineri nequit: sive ubi Bellum, unum & solum superest instrumentum socialis status jurisq; tutandi. Bœcler. ad Grot. lib. 1. cap. 1. p. 178.*

XLII. Porrò Naturæ Jus requirit, ut Bellum ad debitum referatur finem, Pacem, inquam, quæ si nihil sit habitura injuriarum vel insidiarum, ambabus manibus prehendi, & bello semper præferri debet. *Bella gerimus, ut pace fruamur. Nemo enim expetit, vel ut bellum gerat belli inveniendi causa, vel ut serere bellum liceat. Videretur enim esse planè quispiam sanguinarius, qui etiam amicis* (hoc est, quibus amicis uti liceat bonis conditionibus) *bellum faceret, ut pugnæ atque cædes fierent*, inquit Aristoteles, *10. Nicom. 7. §. 21. seqq.* Quantò majori igitur sollicitudine à Christianis Principibus vel tentanda sunt bella, vel fugienda potiùs, imò justa & necessaria etiam quantocyus abrumpenda: quibus omnibus & singulis in re tam atroci suscipienda vel tractanda convenit esse Christianissimis, hoc est, Christi præceptorum, & inprimis Charitatis observantissimis?

XLIII. Denique vult Jus Naturæ, Bella etiam justè geri, ut ad obtinendum eorum debitum finem, etiam

à bel-

à belligerantibus debita media modique hoc jure saltem permissi deligantur. Ut autem evidentiùs constaret, quis belli gerendi modus, ceu Justus, nonsolùm Juri Naturæ probetur, sed & ex instituto talis reputari possit, placuit gentibus tacito pacto, usuque, certa belli jura arbitraria constituere, ad modum belli vel legitimè capessendi, vel gerendi, vel finiendi determinandum pertinentia. Atque ita intelligendum est, quod Hermogenianus dixit, Jure Gentium introducta esse bella. *Add. Grot. 1. de J. B. P. cap. 2. n. 4.* Interim protinus monemus, effectus Belli legitimos ex Jure Gentium prodeuntes, si ad limam Juris Naturalis explorentur, partim tales deprehendi, ut graviter deficiant, & ab hoc injustitiæ damnentur. Quod quoties belligerantium quis prospicit, vel animadvertit; Jus illud Gentium Externum ad Juris Interni regulas piè revocabit, illiusque defectus hinc emendabit.

XLIV. Ut igitur Bellum ratione primordii, dum suscipitur, sit Jure Gentium legitimum, ejus autoritate & auspiciis ut suscipiatur necesse est, penes quem est τὸ κύριον Reipublicæ, utpote cujus magna pars est Jus Belli. Tale Bellum, inquit Grot. *lib. 1, de I. B. P. cap. 3. n. 4.* dici solet *Justum*, putà ex Jure Gentium, & quod singulares inde Juris effectus consequatur; perinde ut Justum Testamentum codicillis, Justæ nuptiæ servili contubernio aut concubinatui opponuntur, putà, quod tale testamentum talesque nuptiæ peculiares quosdam effectus ex Jure civili Rom. habeant. Hoc modo Justum Bellum eidem Grotio rectè dicitur *Publicum:* quod quale sit ex Hostium definitione à JCtis tradita intelligi potest. *Hostes* sunt, quibus bellum publicè Populus Romanus decrevit, vel ipsi Po-

est sententia, *Ea omnia, quæ sunt Juris Gentium, priùs fuisse juris tantùm civilis, sed paulatim serpsisse, aut velociter transvolasse ad reliquas gentes & regiones. lib. 2. controv. illustr. cap. 54. §. 4.* Sed videtur Vasquius loqui de quasi, seu impropriè dicto Jure Gentium, quod Bachovius, hanc Vasquii sententiam expendens, Jus Gentium Secundarium appellat, nova significatione, & ab ea, quàm suprà hoc nomine proposuimus, planè diversa. Sed cum hoc sit Jus Civile plurium gentium, nos autem de propriè dicto simus solliciti, hactenus ad nostrum institutum nihil facit. Nec tamen, uti paulò antè monui, improbabile est, cum idem Jus Civile pluribus gentibus propter eandem Utilitatis rationem placuerit divisè, & potuisse quoque inter illas conjunctim recipi per modum & vim Pacti, mutuam obligationem inducentis: quod Grotius rectè in Jure Gentium Communi proprieque dicto requirit *lib. 2. de J. B. P. cap. 3. §. 5.*

XXXIII. Vir Clarissimus Jo. Henr. Bœclerus de origine Juris Gentium ita disputat ad Grotii *lib. 1. cap. 1. §. 14. p. 169. Quærendum est: An illa multæ gentes Pactione aliqua induxerint, atque sibi invicem commune fecerint tale jus: an vero per Imitationem ab una gente ad aliam, atque ita tandem ad multas jus istud pervenerit. Posterior modus, qui potest impedire, quin sit & maneat tale jus, plurium gentium Jus Civile? Prior modus, qui solus idoneus est ad faciendum Jus Gentium, à gentibus scilicet constitutum, quàm sit demonstratu arduum, idoneis locis attingetur. Aperta certè pactio vix apparebit: igitur ad tacitam confugiendum erit.* Facile quisque videt, disputare illum de Jure Gentium Communi; nam Jus Gentium Proprium quod diximus, expressis

etiam

etiam pactis constitui, non puto unquam in dubium vocaturum fuisse. Si igitur originem Communis illius Juris Gentium inquiras, duo illi modi à Bœclero propositi, non separandi, sed conjungendi sunt. Imitatio enim cernitur in Usu vel Juris Gentium Proprii, vel plurium gentium Juris Civilis, cujus utriusque exemplum sibi habere potuit propositum. Pactio tacita cernitur & præsumitur ex eodem Usu paulatim inter diversas pluresque gentes, impellente magis magisque varia Utilitatis ratione, pro communi Juris vinculo recepto.

XXXIV. Richardus Zouchæus, JCtus Anglus, hac de re ita disserit, *Element. Jurispr. part. 1. sect. 4. Jus Gentium est rectè agendi norma, quæ Gentium vel Hominum plerorumque judicio comprobatur: eaque vel Ratiocinatione, vel Moribus introducta est. Ratiocinatio est, quæ per discursum rationis quid sit Utile humano generi excogitavit. Mores Gentium sunt, qui, quid conveniens sit humano generi, Experientia communi comprobarunt.* Nihil hic distinctè, nihil accuratè demonstratur, quin omnia magis etiam confundi & intricari videas Juris Romani, quos subjicit, textibus, *l. 1. §. 4. ff. de Just. & Jur. §. 2. v. Jus autem gentium. Inst. de J. N. G. & C.* quibus Jus Naturæ & Gentium, uti suprà vidimus, in unum κυκεῶνα conjicitur. Si igitur Usu & Moribus aliquid pluribus gentibus Utile ac Conveniens deprehenditur, & hujus finis obtinendi gratia universalis norma actionibus, tanquam Juris regula & Lex proponatur, hoc ipsum sine Ratiocinatione fieri nequit, sed necessum est, ut hanc ad rem suam opem commodet Prudentia Nomothetica. Prudentia vero est habitus μετὰ λόγυ ἀληθῦς, *cum vera Ratione seu Ratiocinatione conjunctus*, quo quis de iis, quæ ad bene bea-

tur, colliguntur, ut sub ratione Utilitatis inventa & à gentibus approbata illarum Civitatibus prosint. Hinc inter alia ita loquitur Mevius *in suo Prodromo Jurispr. gent. communis Inspect. 5. n. 9. Ratiocinatio ex naturalibus dictatis intendit rectitudinem vitæ & morum, naturæ integræ quàm maximè congruam. At quæ parit Gentium jus, ex necessitatibus & usu vitæ humanæ depravationi redditæ obnoxiæ, colligit, quid pro securitate & usu hominum quàm maximè commodum & expeditum. Ut utrumque Jus discrepat fine & mediis, sic & quæ ad id constituendum atque noscendum tendit Ratiocinatio. Quod ad evitandam utriusque confusionem, & errorem, Jus Naturale Ratiocinationis confundentium, notari meretur.* Hæc ille.

XXXVI. Sed operæ pretium fuerit, etiam hac de re audire Albericum Gentilem: qui cum vulgares illas Juris Gentium descriptiones proposuisset, quod omni generi humano commune est, sequentia subjicit: *ista non sic sunt capienda, quasi convenerint unquam gentes omnes, & Jus istud constituerint. Non sic dicunt: Non necesse est, sic capere verbum,* Omnes, *ut de Omnium usu quum dicitur, etiam de omnibus omnino gentibus intelligatur, quæ numero innumeræ, regionibus immensum disjunctæ, moribus prorsum discrepantes, linguis variis manerent incognitæ. Non te decipiat JCtus magnus Hugo Donellus, qui definitiones sic accipit & propterea improbat quoque. Sed quod successive placere Omnibus visum est, id totius orbis decretum & concilium fuisse existimetur. Et vero Jus non scriptum, ut hoc est, item ut Consuetudo, aliter non inducitur. lib. 1. de Jur. belli. cap. 1. p. 11.* Sed non unum in hoc JCto hic notandum est. Primò enim malè distinguit, imò potiùs confundit Jus Naturæ & Jus Gentium propriè dictum, ceu cuivis integrum textum perlustranti

non potest non esse manifestum. Deinde cum suprà demonstraverim, Jus omnium gentium non esse nisi Jus Naturæ, meritò pingues illas definitiones rejecit Donellus Hactenus vero rectè sentit Albericus, cum gentes sint innumeræ, multùmque distractæ, succesive gentes in sui Juris placita consensisse. Modum vero, quo suo consensu illa approbaverint, & inter se receperint, eundem fuisse indicat, quem ego demonstravi, putà illorum usu frequentato, propagato, inveterato, & pro vinculo societatis inter gentes admisso; perinde sicuti usu diuturno paulatim Jus non scriptum Consuetudinis adstrui solet. Quem modum etiam multis explicat & confirmat verbis Mevius *in suo Prodr. Insp. 5.* ubi etiam singularis quædam opinio legitur, quo pacto Jus hoc dicatur *Omnium* Gentium; *non quod aut omnes gentes in illud consentiant, aut receperint, sed quod pro justitia, pace & salute omnes opus habeant, seu ad communem omnium utilitatem spectat. n. 5.* Sed sicuti de modo constituti Juris Gentium bene loquitur, ita hæc limam desiderare videntur.

XXXVII. Quæ de Jure Gentium in genere, ejusque primaria specie, quam Commune Jus Gentium vocavi, disserui, velim omnia commode dextreque accipiantur, neque verba captentur. Horum aucupia ut tantò magis evitem, quædam ex superioribus adhuc explicabo. Dixi de quibusdam Juris Gentium capitibus per Præsumptionem constare, quod inter liberas gentes consensu illarum sint recepta. Cum enim usu & consuetudine paulatim illa obligatio inducatur, non apertè nec uno momento promulgetur, sed sensim sine sensu invalescat, & quasi gliscat; primus certitudinis, quæ de illa obligatione cœ-

pta

pta quamprimum haberi poterit, videtur quadam Præsumptione niti. At ubi Gentes suum consensum evidentiori indicio, & fortè Factis testantur, plenè certi sumus, obligationem inter illas plenè inductam esse. Quod si denuo arguteris, etiam ex Factis hujusmodi de Consensu & Pacto gentium per Præsumptionem nobis constiturum esse; non quidem adversabor, cum nemini non sit cognitum, Præsumptiones non unius esse generis, & harum alias minùs, alias magis, alias maximè nos certos reddere posse. Unde etiam ultrò sequitur, Pacta Tacita, quibus Jus Gentium Commune innititur, posse generis non unius esse. Nam *Tacitum potest intelligi variis modis. Primò, quando venit in necessariam consequentiam Expressi: & hoc quidem habetur pro Expresso. Deinde Tacitum intelligitur, quod venit ex natura actus: idq; etiam habetur pro Expresso. Tertiò Tacitum intelligitur, quod inducitur ex Præsumptionibus. Denique etiam Tacitum potest intelligi, quod Facto demonstratur. Franc. Mantic. de tacit. & ambig. convent. lib. 1. tit. 5. n. 30. & 31.* Postremi generis Tacitum quod attinet, illud tale perhibetur comparatè, quatenus illud Tacitum dici solet, quòd verbis non est expressum. Nam absolutè si hoc Tacitum consideres, potius pro expresso habendum est. Quid enim interest, suffragio an facto Gentes suum consensum testentur? *arg. l. 32. ff. de legib.* Neque video, quid vetet, quò minus id, quod JCtus *l. 2. ff. de pact.* ait, Pacta etiam Re fieri, tam de Consensu per Facta, quàm per Verba expressè significato interpretemur; licet ad hoc tantùm mentem JCti restringat *Borcholt. comm. ad tit. de Pact. cap. 2. n. 2.* Quod si quis Consensum factis testatum, medium inter Voluntatem Expressam & Tacitam cum So-

 cino

cino Jun. Cravetta, Salyceto, Curtio Jun. collocet, præsenti instituto non officiet. Tacitus enim ille Consensus existimatur, comparatione facta cum eo, qui verbis sit expressis significatus. Expressus vero putatur, quod ad effectum. Imò Pactum quandoque potest dici partim Tacitum, partim Expressum. *Mant. d. l. n. 31. & 34.* Et quamvis regulariter plus juris sit in Expresso, quàm Tacito; interdum tamen hoc isto potentius est, veluti cum Jus, vel Prudentia, conventionem ob temporis vetustatem aliasq; rationes præsumit. *Mant. d. l. n. 26. & 29.*

XXXVIII. Denique quando Jus Gentium omne Utilitatis gratia comparatum aut constitutum esse docui, hoc fortè nemo in dubium vocabit, modò illud omnibus persuaserim, Jus omne Arbitrarium hunc finem sibi habere propositum, ejusque speciem Jus Gentium esse. Sub Utilitate Necessitatem complector. Quò enim magis res quædam nobis sunt necessariæ, eò magis iis tanquam Utilibus, indigemus. ἡ ἀνάγκη διδάσκαλος τῶν συμφερόντων, *Necessitas utilium magistra*, inquit *Dionys. Halic. lib. 5.* Si quis vero præterea à me desideraverit, ut illas utilitates vel necessitates sigillatim exponam, præstabo quidem illud in præcipuis quibusdam & evidentioribus rebus: in omnibus ut id fiat, nec à quoquam plenè præstari, neque adeò rectè peti poterit. Nam, uti Cicero *lib. 2. de Invent.* ait, Quædam ex Utilitatis ratione etiam obscura in consuetudinem venerunt. *Add. l. 20. ff. de legg.* Transeundum ergo jam est ad specialia quædam capita, in quibus vim & effectus Juris legitimos Jus illud Gentium commune obtinuit. De his enim primò, deinde de Jure Gentium Proprio, eoque pertinentibus agemus, & post illa, sitne omni-

omnino aliquod Jus Gentium, disputabimus. Hanc enim disputationem, nisi istis antè cognitis, feliciter haut aggredi vel tractare poterimus.

XXXIX. Cum Improbitas hominum sit inexplebilis, *2. Polit. 5. p. m. 91.* & maxima pars injustorum factorum, quæ spontè faciunt homines, ferme proficiscatur ab Ambitione & Avaritia, *2. Polit. 7. p. 113.* nec solùm homines propter res necessarias injurias inferant, sed etiam ut gaudeant, nec cupiditatibus & desideriis suis excrucientur; *2. Polit. 5. p. 89.* hinc ferè Bella quoque exstiterunt olim, & nunc item moveri solent, ut si forum conscientiæ (Justitiam Internam passim appellat Grotius) & Juris Naturalis decreta consulas, Bella maximam partem injusta fuerint pronuntianda: qualia quidem ad Juris Interni regulam examinata à Latrociniis nihil distant, arbitrante ita piè rectèque Grotio *lib. 3. de I. B. P. cap. 16. n. 1.* Sunt tamen etiam quædam bella Justa; esse utique secundum nostram theoriam possunt. Ut vero ipsum Jus est duplex, Naturale & Arbitrarium; ita utrumque suam in Bellis autoritatem habet. Hoc tamen non omne, sed quod Gentium Jus diximus.

XL. Jus Naturæ quod attinet, illud primò exigit Justitiam Causæ, quod iniquè in aliquo bono fueris læsus. Deinde, ut illa sit satis Gravis læsio. Si enim Prætor propter modicam summam extraordinarium Restitutionis in integrum remedium impertiri noluit, *l. 3. ff. de in int. restit. & l. 9. in fin. ff. de dol. mal.* multò minus Natura propter exiguam læsionem subsidiarium, idque præternaturale, remedium Belli indulgebit.

XLI. Præterquam quod Justam Bello causam subesse,

esse, etiam Necessariam esse oportet. Si enim satisfactio aut reparatio injuriæ offeratur, aut exacta ulla alia ratione placida haberi possit, abstinendum est à cruento illo subsidiario remedio. Quàm religiosè veteres Feciales hoc observaverint, suprà vidimus, dolemusque vehementer, ab illa sanctitate gentilium tam longè Christianos abesse. *Natura humana seu rationalis nequaquam fertur ad bellum, nisi κατὰ δεύτερον πλοῦν, ut in Græcorum proverbio, sive per modum subsidii, id est, si pax & societas, ejusq; vinculum jus, aliter quàm bello servari aut obtineri nequit: sive ubi Bellum, unum & solum superest instrumentum socialis status jurisq; tutandi. Bæcler. ad Grot. lib. 1. cap. 1. p. 178.*

XLII. Porrò Naturæ Jus requirit, ut Bellum ad debitum referatur finem, Pacem, inquam, quæ si nihil sit habitura injuriarum vel insidiarum, ambabus manibus prehendi, & bello semper præferri debet. *Bella gerimus, ut pace fruamur. Nemo enim expetit, vel ut bellum gerat belli inveniendi causa, vel ut serere bellum liceat. Videretur enim esse planè quispiam sanguinarius, qui etiam amicis* (hoc est, quibus amicis uti liceat bonis conditionibus) *bellum faceret, ut pugna atque cædes fierent*, inquit Aristoteles, *10. Nicom. 7. §. 21. seqq.* Quantò majori igitur sollicitudine à Christianis Principibus vel tentanda sunt bella, vel fugienda potiùs, imò justa & necessaria etiam quantocyus abrumpenda: quibus omnibus & singulis in re tam atroci suscipienda vel tractanda convenit esse Christianissimis, hoc est, Christi præceptorum, & inprimis Charitatis observantissimis?

XLIII. Denique vult Jus Naturæ, Bella etiam justè geri, ut ad obtinendum eorum debitum finem, etiam

à bel-

à belligerantibus debita media modique hoc jure saltem permissi deligantur. Ut autem evidentiùs constaret, quis belli gerendi modus, ceu Justus, non solùm Juri Naturæ probetur, sed & ex instituto talis reputari possit, placuit gentibus tacito pacto, usuque, certa belli jura arbitraria constituere, ad modum belli vel legitimè capessendi, vel gerendi, vel finiendi determinandum pertinentia. Atque ita intelligendum est, quod Hermogenianus dixit, Jure Gentium introducta esse bella. *Add. Grot. 1. de J. B. P. cap. 2. n. 4.* Interim protinus monemus, effectus Belli legitimos ex Jure Gentium prodeuntes, si ad limam Juris Naturalis explorentur, partim tales deprehendi, ut graviter deficiant, & ab hoc injustitiæ damnentur. Quod quoties belligerantium quis prospicit, vel animadvertit; Jus illud Gentium Externum ad Juris Interni regulas piè revocabit, illiusque defectus hinc emendabit.

XLIV. Ut igitur Bellum ratione primordii, dum suscipitur, sit Jure Gentium legitimum, ejus autoritate & auspiciis ut suscipiatur necesse est, penes quem est τὸ κύριον Reipublicæ, utpote cujus magna pars est Jus Belli. Tale Bellum, inquit Grot. *lib. 1. de I. B. P. cap. 3. n. 4.* dici solet *Justum*, putà ex Jure Gentium, & quod singulares inde Juris effectus consequatur; perinde ut Justum Testamentum codicillis, Justæ nuptiæ servili contubernio aut concubinatui opponuntur, putà, quod tale testamentum talesque nuptiæ peculiares quosdam effectus ex Jure civili Rom. habeant. Hoc modo Justum Bellum eidem Grotio rectè dicitur *Publicum:* quod quale sit ex Hostium definitione à JCtis tradita intelligi potest. *Hostes* sunt, quibus bellum publicè Populus Romanus decrevit, vel ipsi Po-

pulo Romano. Cæteri Latrunculi vel Prædones appellantur. *l. 24. ff. de capt. & postlim. l. 19. §. 2. & l. 21. §. 1. ff. eod. l. 118. ff. de V. S.* Idem si fiat in aliis Rebuspublicis, ut autore eo bellum moveatur, qui habet summum imperium, quod erat penes Populum aliquando Romanum, Bellum hoc erit Publicum, & Justum.

XLV. Nec tamen hoc sufficit, ut bellum secundum Jus Gentium perfectè Justum sit: sed tum demum, si ita à Majestate civili sit publicè decretum, ut ejus significatio ab altera partium alteri solenniter seu more recepto facta sit: quod fieri solet per solennem Promulgationem, Indictionem, Denuntiationem seu Clarigationem. Unde tale Bellum hoc modo susceptum & significatum Grotio appellatur *Solenne* ex Jure Gentium. Nec tamen hic intelligo Solennitates Indictioni adhibitas, ex moribus & institutis quibusdam populis peculiaribus, veluti ut id fiat per caduceum, sagmina, verbenas, hastam sanguineam, ejus in hosticum missionem, & cætera de genere hoc, quorum suprà mentionem feci; *sed ut certò constaret, non privato ausu, sed voluntate utriusque populi, aut populi capitum, geri bellum. Nam inde nati sunt effectus peculiares, qui neque in bello adversus prædones, neque in eo, quod Rex gerit in subditos, locum habet. Grot. lib. 3. de I. B. P. cap. 3. n. 11.*

XLVI. In ipso bello, quod secundum requisita Juris Gentium Justum est, mutuò hostibus illata læsio ac detrimentum est licitum, sive id in personis, sive rebus contingat, etiamsi id eveniat ei, qui justa causa nititur, aut ei, qui ultra modum naturaliter fortè concessum læsus fuerit. Huc spectat illud Poëtæ.

Tum

Tum (bello solenniter denuntiato) *certare odiis, tum res rapuisse licebit.*

Ubi cumprimis notanda est homonymia ejus, quod *Licitum*, vel *Licere* dicimus. Quandoque enim id dicitur Licitum, quod omnino cum Honesto convenit, sic ut ad idem sis obligatus. Nonnunquam Licitum est, quod quidem rectum est, ut tamen aliud eò laudabilius fieri possit. Tertiò & id perhibetur Licitum, quod est ἀδιάφορον, ita ut sine vitio æquè fieri aut non fieri possit. Denique Licitum dicitur, quod quidem salva honestate & officiorum regulis fieri nequit, ut tamen apud homines habeat impunitatem, imò interdum præterea Judiciorum censeatur mereri præsidium. Jam vero in bellis varia eveniunt, quæ Licita sunt, vel saltem dicuntur, sed alia atque alia ratione. Hinc illa vox Marcelli apud Livium; *Quidquid in hostibus feci, Jus belli defendit.* In postremi generis Licitum quadrat illud Lucani: *Jusq; datum sceleri.*

XLVII. Etsi autem hoc *Licentia jus* uti Grotius appellat *lib. 3. de I. B. P. cap. 4. n. 6.* latè grassetur; nam & infantes & feminas occidere, & captos quovis tempore obtruncare, & dedere se volentes, non autem in fidem receptos, aut sine conditione deditos, interimere, hoc jure belli gentium externo licet; vetitum tamen est jure gentium saltem meliorum, ne veneno hostem perimere, tela illo inficere, aut aquas corrumpere liceat. *Armis bella, non venenis geri debere*, apud Val. Maximum legitur *lib. 3. cap. 8.* Toxico illitis telis qui in hostem utitur, hunc *ferrum infamare veneno*, dixit Silius. Jus vero Naturæ quod attinet, vix quidquam intererit, quem hoc jure interfice-

re liceat, gladio an veneno hoc perpetretur, siquidem cætera sint paria. *Grot.d.c.4.*

XLVIII. Multò magis hoc Jure Gentium licitum est, res hostium corrumpere, atque diripere. Plena sunt historiarum monumenta, muros fuisse subversos, oppida & castella solo æquata, sale illud consperfum, aratro hostili circumactum, domicilia, imò & sata fuisse exusta. Sed nec sacra loca, nec religiosa hoc mero gentium jure fuisse excepta confirmant *l. 36. ff. de religios. & l. 4. ff. de sepul. viol.* modò vim & injuriam à mortuorum corporibus hostes abstineant. Neque sola vi licet suas res hostibus eripere, rumpere aut perdere, sed & ad eam rem Dolo uti, à quo tamen perfidia absit: alioqui ne hoc quidem gentium jure Bonus ille Dolus censebitur. *Grot. 3. de J. B. P. cap. 1.*

XLIX. Præterea in bello Jure gentium solenni quidquid rerum hosti eripitur aut occupatur, in dominium occupantis eodem jure transit, sic ut illud non solùm ipsi, sed & iis, qui ab illo in ejusdem possessione titulum habent, sit à gentibus relinquendum, imò pro re rata judiciali præsidio adserendum. ὁ γὰρ νόμος, ὁμολογία τίς ἐστιν, ἐν ᾧ τὰ κατὰ πόλεμον κρατούμενα τῶν κρατούντων εἶναί φασι. *Lex namq; consensus quidam est & pactum, in quo bello victa victorum esse adfirmant;* inquit Aristoteles *1. Polit. 4. pr.* Quæ ex hostibus capiuntur, jure gentium statim capientium fiunt. *l. 5. §. ult. ff. de acquir. rer. dom. §. 17. Inst. de R. D.* Neque interest hactenus, hosti an subditis hostium res fuerint ereptæ. Sed & si illa hosti fuerint in bello erepta, quæ ille eodem jure antè aliis extorsit, non posse hos ista vindicare à victoribus, Jure gentium certum est. *Grot. lib. 3. de J. B. P. cap. 6.*

L. Tali

L. Tali bello qui sedunt, aut servitutem promittunt, aut capiuntur, Jure gentium Servi victorum fiunt. Capti vero tunc censentur secundum Pomponium, ubi intra præsidia sua eos hostes perduxerint. *l. 5. §. 1. ff. de capt. & postlim.* Et qui in pace pervenerunt ad hostes, si bellum subitò exarserit, victorum servi efficiuntur, apud quos jam hostes suo facto (Grotius legit *fato*) deprehenduntur. *l. 12. pr. eod.* Neque ipsi tantùm servi fiunt, sed & qui in ea conditione nascuntur. *Jure gentium servi nostri sunt, qui ab hostibus capiuntur, aut qui ex ancillis nostris nascuntur;* inquit Marcianus *l. 5. §. 1. ff. de stat. homin.* Res item cum hoste capto adquiruntur domino, atque hoc quidem Jure quidvis penè impunè in servos fieri licet, nisi quatenus fortè modum sævitiæ statuit lex civilis. Istud confirmat Cajus: *In potestate sunt servi dominorum: quæ quidem potestas Juris gentium est. Nam apud omnes peræque gentes animadvertere possumus, dominis in servos vitæ necisq; potestatem fuisse, & quodcunque per servum adquiritur, id domino adquiritur. l. 1. §. 1. ff. de his qui sui vel ali. jur. §. 1. Inst. eod.* Notat vero Grotius; Jus illud gentium circa captivos, nec semper receptum fuisse, nec apud gentes omnes. *lib. 3. de J. B. P. cap. 7. n. 8.* Apud Christianos vero hoc Jus gentium pridem exolevit, eademque humanitate Mahumetistas inter se uti, testes sunt Chalcocondylas *lib. 3.* Leunclavius *lib. 3. & 17.* Busbequius *epist. 3.* Adeoque erit hoc jam exemplum Juris gentium Communis minùs latè patentis. Confer *th. 23.* suprà.

LI. Quemadmodum singulos bello captos servitutem personalem subire oporet, ita finito victoriâ bello, vel pars civitatis, vel universa civitas subacta, in ditionem

& imperium victoris transit. Ariovistus Cæsari dicebat, jus esse belli, ut qui vicissent, quemadmodum vellent imperarent, populumque Romanum victis non ad alterius præscriptum, sed ad suum arbitrium imperare consuevisse. *Cæs. lib. 1. de bell. gall.* Et sicuti res, quæ singulorum fuerunt, jure belli cum personis adquiruntur, ita & res civitatis unà cum illa in potestatem victorum transeunt. *In sua enim potestate non videtur habere, qui non est sua potestatis,* inquit Ulpianus *l. 21. ff. ad l. Jul. de adult. l. 118. ff. de R. I. l. 54. §. ult. ff. de acq. rer. dom. Grot. lib. 3. de J. B. P. cap. 8.*

LII. Ut propter perpetrata facinora delinquentes puniantur, Juri Naturæ conveniens est. Ut vero vel puniatur facinorosus, vel dedatur, Juris Arbitrarii placitum est. Quod cum etiam inter gentes sit receptum, etiam hoc Juris gentium caput est. Si enim designato facinore in aliam civitatem delinquens profugerit, non licet illi civitati, ubi delictum est commissum, persequi delinquentem armata manu extra suam ditionem. Itaque illa gens, apud quam degit, qui culpæ est compertus, alterum facere debet, ut interpellata vel ipsa puniat nocentem, aut deditione facta eum arbitrio interpellantis permittat. *Cæterum jus hoc deposcendi ad pœnas eos, qui extra territorium profugerunt, hoc & proximè actis seculis in plerisque Europæ partibus circa ea demum crimina usurpatur, quæ statum publicum tangunt, aut quæ eximiam habent facinoris atrocitatem. Minora mutua dissimulatione transmitti invaluit, nisi fœderis legibus propius quiddam convenerit. Grot. 2. d. J. B. P. cap. 21. n. 5.* Cato certè Cæsarem Germanis ob bellum injustè illatum dedi voluit.

LIII. Quidquid vi fit adversus hostem, id omne per Indu-

Induciarum tempus fit contra Jus Gentium, ut in concione ad milites loquitur L. Æmilius apud Livium. Nam Induciæ sunt conventio, per quam bello manente ad tempus hostilibus actibus abstinendum est. Et quamvis nova indictione belli, ubi Induciarum dies exierit, opus non est, Feciales tamen apud Romanos aliud observasse, testis est Livius *lib.4.* ut ostenderent, quantopere à bello & bellicis actibus abhorrerent, & quod non nisi justis atque necessariis causis eò adducerentur. Quod si Induciæ petitæ & concessæ fuerint propter causas speciatim expressas, reliqua speciali conventione non comprehensa per Inducias illicita sunt. Si igitur obsessi sepeliendorũ cadaverũ gratia Inducias impetraverint, & interea fortè auxilia aut commeatum recipere studeant, hæc vero armis arceantur, nihil contra Induciarum pacta committitur. *Grot. lib.3. de J.B.P. cap.21.*

LIV. Jus quoque Postliminii Jure Gentium introductum est, etsi ex Jure civili Romano alii atque alii effectus ei accesserint: ceu videre est ex *tit. ff. de capt. & postlim.* Est vero Postliminium jus, quod nascitur ex reditu in limen, id est, fines publicos. *Grot. lib.3. de J. B. P. cap 9. n. 2.* Nec solùm Postliminii jus locum habet, ubi in nostra præsidia fuerit reversus, qui ex nostris fuerit captus, sed & si ille, vel res ejus generis, in quo Postliminium esse placuerat, pervenisset ad amicos nostros, aut ad regem socium, vel amicum, putà qui partes in bello easdem sequuntur. Nam apud eos, qui amici quidem sunt, sed non earundem partium, bello capti statum non mutant, nisi ex speciali pacto. *l. 5. §. 1. & l. 19. §. 3. ff. de capt. & postlim. Grot. d. c.*

LV. Perfrequens etiam fuit quondam fidei ac securitatis inter gentes confirmandæ modus, datis Obsidibus.

Atque

Atque hi non solùm Mares dabantur, sed & Feminæ. Ita nobilis Clœlia unà cum aliis virginibus Porsennæ, Etruscorum regi obses à Romanis fuit data. Nec solùm Obsides dati fuerunt adulti, qui ipsi consentire in illam obligationem possent, sed & pueri, infantes, ac pupili. *Grot. lib. 3. de J. B. P. cap. 4. n. 14.* Sive igitur Obsides ex sua se conventione obligassent, sive ab aliis fuissent traditi, & fides fortè aut securitas, cujus gratia exhibiti fuerant, læsa fuisset, hoc jure gentium puniri & trucidari poterant. Hinc Divitiacus apud Cæsarem conqueritur *lib. 1. de bell. gall.* Ariovistum obsides nobilissimi cujusque liberos poscere, & in eos omnia exempla cruciatus edere, si qua res non ad nutum aut ad voluntatem ejus facta sit. Mox addit, si Ariovistus rescivisset, quæ Cæsari conquestus sit, non dubitare se, quin de omnibus obsidibus, qui apud eum sint, gravissimum supplicium sit sumpturus. A Thessalis occisi olim ducenti quinquaginta: à Romanis Volsci Aurunci ad trecentos. *Dion. Halicarn. lib. 16.* Quod vero Obsides apud Romanos testari nequiverint, *l. 11. ff. qui testam. fac. poss.* & quod illorum bona in fiscum sint cogenda, *l. 31. ff. de jur. fisc.* videtur Juris civilis Romani proprium esse. Cujus rescripti hanc rationem videtur habuisse Commodus, quod eodem loco habuerit obsides, atque captivos; cum tamen isti verè captivi non sint, *Alber. Gentil. l. 2. de Jur. bell. cap. 19.* Cur etiam iidem testari fuerint prohibiti, ab eodem ibi docetur. Quod si Obsides fugam moliantur, itidem Jure Gentium necari possunt, quod in securitatem dati illa ratione eam maximè ipsi lædere conantur. Sic Tarentini, qui fugere tentarunt, retracti Romam, virgis cæsi, & de saxo dejecti. *Liv. lib. 25.* Hinc Edu-

Eduardus III. Angliæ Rex accusabat Gallum, quod contra jus fœderis receperit obsidem fugientem. *Polyd. Virgil. lib. 19. Hist. Anglic.* Si item Obsides fuissent ea conditione traditi, ut, si vel unus eorum fugisset, soluta esset omnibus fides, atque unus fortè fugerit, Jure Gentium reliqui morte possunt adfici. Id quod ab Atheniensibus factum esse memorat *Thucydides lib. 4.* Addatur *Albericus Gentilis d. l. Grotius lib. 3. de J. B. P. cap. 20. Jo. Schilteri dissertatio Juridica de Jure & Statu Obsidum.*

LVI. Enarravi hactenus quædam capita, Juris effectum ex placito gentium habentia, quæ si ad stateram Juris Naturalis appensa examinentur, partim recta sunt, partim dura, partim injusta prorsus & inhumana. Itaque Jus Gentium nova adhuc distinctione dividere licebit, in *Verum* & *Putativum.* Istud appello, quod Juri Naturæ non repugnat. Hoc, quod ei adversatur, & cui adeò Jus Naturæ contradicit. Postremi enim generis quæ sunt, habentur quidem pro justis, sed à Jure Naturæ injusta pronuntiantur: & licet in foro humano tales sanctiones vel conventiones dent licentiam & impunitatem, atque hactenus ceu Justæ venditentur, cum tamen in foro conscientiæ à Jure Naturæ damnentur, intrinsecus spectatæ sunt sanè illarum Justa sæpe Injustissima. Unde non solùm tale Jus Gentium Grotius Externum, sed & Dominium Externum passim appellat, quod militantes jure gentium in rebus bello iniquo captis adquirunt. Scilicet Jus Naturæ, utpote à Providentia divina profectum, semper est rectum: Arbitrarium vero non rarò deficit. Qua de re plura disserui *Disput. de Jure Arbitrario th. 6. seq.* quod in Jure Gentium bellico tantò facilius evenire potuit, quò magis a-

nimos Bellum, res asperrima, efferare solet. Unde etiam Aristoteles reprehendit Lacones, quod leges suas tantum non unicè militari studio accommodaverint, civesque eorum laboribus bellicis ita induruerint, ut facti sint θηριώδεις, *feri. 7. Polit. cap. 14. p. 486. & 8. Polit. cap. 4. pr.* Quod si quis à me requirat, ut sigillatim illa capita percenseam, quæ Juri Naturæ adversantur, delegabo Grotium, qui pro me satisfaciet. Ille enim hæc inhumana & iniqua Juris Gentium scita non solùm mitigat temperatque, sed sæpe enervat penitus & rescindit: ceu videre est ex illius *lib. 3. de I. B. P. capitibus 11. 12. 13. 14. 15. 16.* Quam quidem rem aggressurus graviter his verbis præfatur *lib. 3. de I. B. P. cap. 10. n. 1. Legenda mihi retro vestigia, & eripienda bellum gerentibus penè omnia, quæ largitus videri possum, nec tamen largitus sum. Nam cum primùm hanc Juris Gentium partem explicare sum aggressus, testatus sum,* Juris esse, *aut* Licere, *multa dici eo, quod impunè fiant, partim etiam quod Judicia coactiva suam illis autoritatem accommodent, quæ tamen aut exorbitant à recti regula, sive illa in jure strictè dicto, sive in aliarum virtutum præcepto posita est, aut certè omittantur sanctius, & cum majori apud bonos laude.*

LVII. Quod attinet Jus Gentium Verùm, quod verè obligat, ejus decreta partim sunt Dura & Rigida, ut tamen Jure Naturæ simpliciter non damnentur. De his accipienda esse videntur postrema ex Grotio jam allata verba, quod omittantur sanctiùs, & cum majori apud bonos laude. Cumque Æquitas sit ἐπανόρθωμα τοῦ νομίμου δικαίου, *correctio juris legitimi*, etiam illius in his Juris Gentium placitis ratio diligentissimè est habenda, sive illorum rigor sit relaxandus & mitigandus, sive quædam generaliùs

con-

concepta sint restringenda. Istius temperamenti exempla plurima proponit Grotius citatis paulò antè capitibus. Restringendo Æquitas suum officium faciet cum in aliis Juris Gentium quibusdam conventionibus, tum inprimis, ubi Fœdera interpretationem poscunt. *Nam quia multa sunt dubiæ interpretationis, patet semper perplexandi materia;* inquit L. Corn. Lentulus apud Appianum circa finem belli Punici secundi *lib. 14. Grot. lib. 2. de I. B. P. cap. 16. num. 22. seqq.*

LVIII. Humanissimum vero est illud Jus Gentium, quo Legatorum securitatem iis munire placuit. Unde passim scriptoribus *Sancti, Sacrosancti, Inviolabiles* illi dicuntur. Imò tam sancti habentur Legati, ut, qui illos læserit, non solùm humanum sed & Divinum jus violasse dicatur. Cicero de Haruspicum responsis: *Sic sentio, jus Legatorum cum hominum præsidio munitum, tum etiam divino jure esse vallatum.* Et Verrina 3. *Legatorum jus divino humanoq; vallatum præsidio, cujus tam sanctum & venerabile nomen esse debet, ut non modò inter sociorum jura, sed & hostium tela incolume versetur.* Nam apud Romanos jura Legationis, de quibus Feciales judicabant, ut suprà audivimus, procul dubio partem Juris sacri constituerunt. *Cujac. lib. 11. obs. 5.* Sed cum etiam Philippus in Epistola ad Athenienses, Plutarchus in vita Æmylii, & Josephus *lib. 15. hist. ant.* impium facinus esse dicant, lædere Legatos, hujus rei etiam aliam causam habuisse videntur, fortè quod sanctiùs & solenniùs ipsis fides securitatis nomine sit data, atque adeò religiosiùs etiam reventia divini Numinis, unde Obligationis necessitudo cumprimis apta est, conservanda. Bene Pomponius ad Q. Mutium: *Si quis legatum hostium*

 pul-

pulsasset, contra jus gentium id commissum esse existimatur, quia sancti habentur Legati. Et ideo si cum Legati apud nos essent gentis alicujus, bellum cum eis indictum sit, liberos eos manere; id enim Juri gentium conveniens esse. Itaque eum qui Legatum pulsasset, Q. Mutius dedi hostibus, quorum erant legati, solitus est respondere. l. ult. ff. de legation. Ulpianus Lege Julia de Vi Publica eum teneri ait, qui legatos, oratores, comitesve eorum pulsasset, aut injuriam iis fecisse arguetur. *l. 7. ff. ad l. Jul. de vi publ.*

LIX. Etsi vero Legatorum, qui etiam Oratores Nuntii, Interpretes dicuntur, appellatio sit generalis, & vulgari loquendi consuetudine illa extendi soleat; quod tamen Jus Gentium attinet, hujus non perinde participes sunt illi, qui quidem vulgò Legati dicuntur, cum tamen secundum significationem maximè propriam non sint; sed iis tantùm, vel certè præcipuè, quicunque invicem ab iis mittuntur, penes quos utrinque est τὸ κύϱιον Reipublicæ. Hinc ita docet Grotius: *Qualecunque est hoc Jus Gentium, ad eos Legatos pertinet, quos mittunt, qui summi imperii sunt compotes inter se. Nam qui extra hos legati sunt provinciales, municipales atque alii, non Jure Gentium, quod inter gentes est diversas, sed jure civili reguntur. lib. 2. de I. B. P. cap. 18. n. 2.* Qui ergo rectiùs vulgo in his sapiunt, solent illos, qui à minoris autoritatis & conditionis Principe ad majorem destinantur *Agentes* seu *Residentes*, magnarum civitatum nuntios, *Commissarios*, *Deputatos* & *Syndicos* appellare. *Perez. ad tit. C. de legat. n. 1. & 17.* Cæterum in hujusmodi appellationibus Usus sæpiuscule quid mutat, & feliciùs ferè hoc Legatorum discrimen jam lingua Gallica aut Italica exprimitur. Videantur Carolus Paschalius,

lius, Fridericus à Marselaer, aliique, qui de Legatis scripserunt. Illud quoque ex usu cujusque gentis vel civitatis erit dijudicandum, quod *Perez. ad d. t. n. 17.* testatur, magnarum civitatum legatos habere pleraque jura & privilegia cum Legatis Principum communia.

LX. Cum ergo Legati, *κατ' ἐξοχὴν* ita dicti, mittantur ab iis, & ad eos, penes quos est summa Reipublicæ potestas, seu Majestas civilis, atque illa hos mittendi facultas hujus quædam pars sit, usu nostri temporis illi solent duplicis generis constitui, Ordinarii & Extraordinarii. Isti sunt, qui aulis & consiliis eorum, ad quos mittuntur, incubant, donec ab eo, qui misit, revocentur. Extraordinariorum major est dignitas, qui temporarias legationes subeunt, vel officii, vel negotii, vel honoris gratia: ceu hos fines distinguit *Perez. ad C. d. t. n. 2.* Negotiorum & Honoris variæ possunt esse causæ. Legationem propter officium esse ait, si ad aliquid faciendum vel præstandum sit obligatus, qui misit: qualis est Hispaniarum Regis ad Pontificem recens creatum legatio, ratione regnorum Siciliæ & Neapolitani. *Guicciard. lib. 7.*

LXI. Ad Hostes qui mittuntur, olim *Feciales*, & *Caduceatores*, nunc *Heraldi* dici consueverunt. De Fecialibus plura suprà allata sunt. Caduceatores dicuntur legati pacem petentes, à caduceo, quem manu gestabant, & Græci *κηρύκειον* appellant. *Festus lib. 3. Suid. in v. κηρύκειον. Pollux lib. 8. Onomast. Gell. lib. 10. cap. 27.* Erat enim Caduceus, Mercurii virga, per quam ostendebatur Deus ille medius, sequesterque belli pacisque inter dissidentes esse. Ad hanc similitudinem Oratores de pace virgam in manu gestabant, per quam sancti, intacti, inviolabiles etiam

 ab ho-

ab hostibus ipsis habebantur. *Plin. lib. 29. cap. 3. Franc. Patric. de regno & regis instit. Lib. 1. tit. 6.* Præter Caduceum etiam sagmina & verbenas gestare solebant, securitatis debitæ symbola: de quibus etiam exstat *l. 8. §. 1. ff. de rer. divis.* Ad quam annotat Guil. Budæus *fol. 44. & 45.* sequentia: *Nostrates,* inquit, *Caduceatores spintere hodie utuntur, qua Armilla etiam dici potest, Blasonum lingua vernacula vocant. In præliis autem utuntur paludamento, quod eos velamentum sacrosanctos facit, id est, ab omni violentia tutos: vulgo Cotta armorum vocatur.* Idem confirmat P. *Greg. Tholos. syntag. jur. lib. 19. cap. 2. & l. 33. cap. 14.* Hinc apud Sleidanum *lib. 15.* legitur, quod à Francisco Galliæ Rege ad Carolum V. Imp. missus fuerit Fecialis, indutus veste solenni, sicut fieri consuevit. *Add. Herm. Kirchner. de jur. offic. & dignit. Legat. lib. 1. cap. 7. n. 64.* Ubi etiam explicat, quid sint *Heraldi* vel *Heroldi*: qui sint exercitui gratiosi & accepti, rejecta Æneæ Sylvii etymologia, qui *epist. 126.* ab Heroë hujus vocis originem ineptè arcessit. Meretur etiam de hac voce legi Vossius *de vit. sermon. lib. 2. cap. 9. p. 229.* Ab his, de quibus locuti sumus Heraldis planè sunt diversi, quorum meminit Wigulejus Hundius *in Genealog. Bavar.*

LXII. Jura Gentium circa Legationem sancita, ad duo summa capita pertinent, putà, ut admittantur, &, ne violentur admissi. Utraque vero sanctio suas quasdam habet exceptiones. Non enim omnes admitti sine discrimine Jus Gentium præcipit, sed ne qui temere & sine satis gravi causa rejiciantur. Causa vero repudiandi Legatos justa potest esse non una. Vel enim aliquid desideratur in eo, qui misit, vel eo, qui missus est, vel in cau-

sa, pro-

sa, propter quam missus est. Quæ cum singula sufficere queant ad rejiciendos legatos, multò magis plura conjunctim id efficere poterunt. Exempla, quibus hæc illustrentur, legere est apud Grotium *lib. 2. de J. B. P. cap. 18. num. 3.*

LXIII. Ferè enim Legati mittuntur, vel ut ineatur amicitia, vel ut inita certis officiis declaretur, aut conservetur, vel ut exstincta reparetur. Ferè inquam; nam alias, & quidem diversas causas non penitus excludo. Si quis igitur sciens eo utatur legato, qui sit exosus illi, ad quem mittitur, fueritque illi fortè aut Reip. infestus, is certè repudiari potest, quod natura amicitiæ non patiatur, ut ejus interpres sit homo suo merito exosus. Quod si ipse mittens legationem quidem sub specie officii aut amicitiæ adornet, non seriò autem eum rem agere gravis suspicio sit, quin potius ut vires, copias & consilia exploret, vel corrumpat, perniciosam temporis dilationem quærat, vel si bellum tam crudeliter sit gestum, ut de honesta pace spes nulla supersit, cæteris tunc paribus, Legati possunt non admitti; quippe ista omnia Amicitiæ, quæ sincerè colenda, non fuco tingenda est, repugnant. *Perez. ad C. d. t. n. 8.*

LXIV. Quin & pro Jure Gentium nonnunquam inter liberos populos Principesque observatur, ut antè explorandum sit, an legatos admissura sit Respublica, ad quam ituri sunt: aut ut ditioni illius Reip. vicini subsistant, donec exploraverint, an se sit admissura, aut etiam satis pro dignitate ejus, qui misit, exceptura. Quod si negligatur, sæpe illa Respublica, ad quam legatio adornatur, legatos in limine ditionis, antequam illam ingrediantur,

com-

commorari & subsistere jubet, ut causa omnis cognosci antè, &, si decreta fuerit admissio, pro dignitate excipi, comitesq; legatis adjungi possint. Aliquando temere ditionem ingressos regredi, aut planè ea excedere Respublica, ad quam iter adfectant legati, jubentur. Carolum V. Imp. Legatos Galliæ Regis, Venetorum & Florentinorum, ad bellum sibi indicendum missos deduci jussisse in locum, qui à comitatu suo abesset triginta milliaria, referunt Guicciardinus *lib.18.* & Bellajus *lib.3.*

LXV. Memorabile cumprimis est exemplum à Ptolemæo missi, & à Lysimacho rejecti legati, Theodori, qui ἄθεος cognominabatur. Quo enim modo cum illo sincerum consilium, pacta inire, fidem ei dare, aut accipere ab eo cum effectu possis, qui supremum fidei & societatum arbitrum ac sospitatorem ejeravit? Ex hac causa non solùm Jure Gentium, sed & Jure Naturæ tales legatos rejicere licet. Atheismum enim qui profitetur, fidei omnis, & societatis, & ordinis, & juris divini humanique contemptorem & eversorem se profitetur, qui inter homines ne quidem tolerandus est, nedum ut aptus sit, qui Reipublicæ alteri aut se aut ipsam Rempublicam suam obligare idoneè queat, alterumve, cum quo ipsi negotiũ sit, satis securum reddere. Cum vero Atheismus tantopere inter homines jam invaluerit, ut ne quidem latere cupiat, sed majores subinde vires adquirat, parumq; absit, quin gigantum malesano exemplo cœlum ipsum huic addicti fratres rescindant, si pacta, fœdera, amicitiæ in perpetuum quidem conceptæ, vix sint solstitiales, atque hoc restibile vinetum, deficiente fide, quotannis, aut etiam sæpius eodem anno sit repastinandum; opus est vel maximè cum

ad hanc,

ad hanc, tum ad rem omnem civilem rectè constituendam & administrandam iis hominibus & Ministris, qui veram prudentiam, non simulatam adfectant: à quo longissimè absunt, qui optimo Politicorum vocabulo, sed sensu pessimo insigniri superiori seculo cœperunt. *Thuan. lib. 44. histor. Conring. de civ. prud. cap. 2. pr.*

LXVI. Denique hoc membrum quod attinet, non prætermittendum est, quod in adsiduis legationibus notavit post Albericum Gentilem Perezius *ad d. t. C. n. 2.* & Grotius *d. c. n. 3. in f.* his verbis: *Optimo autem jure rejici possunt, quæ nunc in usu sunt legationes assiduæ, quibus quàm non sit opus, docet mos antiquus, cui illa ignorata.* Etsi autem non sint necessariæ hæ legationes, eo ipso tamen quod usu gentium invaluerint, quo hujus Juris Gentium autoritas nititur, sequitur, non posse ejus Principis legatum ab eo rejici, eò quod velit esse adsiduus legatus, siquidem ipse suum adsiduum legatum in istius Principis sede aut urbe regia habeat, ibique tutò ille & pro dignitate degat. Quod si utrinque aliud convenerit, aut placuerit, aut alia quædam gravior causa & ratio emerserit, pro re nata erit pronuntiandum. Sanè si vel voti vel consilii hæc res esset, præstaret morem hunc perniciosè receptum abrogare. Nam veritatem adagii Gallici, adsiduum legatum esse sine crimine proditorem, nimis multa exempla comprobant.

LXVII. Transeo ad alterum caput, quæ Jure gentium Securitas Legatis debeatur; de qua non idem omnes sentiunt. Putant enim nonnulli, Legatos debere ita esse securos, ut non patiantur vim injustam, non autem ne patiantur vim judicialem. Posterius qui negant, & Legatorum

torum securitatem ampliorem esse volunt, distinguunt inter crimen læsæ Majestatis, & reliqua omnia, putantque, propter istud puniri legatum posse, non item propter hæc. Perezius *d. l. n. 10.* existimat, in delictis nullam dari fori præscriptionem, sed unumquemque ubi deliquerit, & reperiatur, conveniri ratione pœnæ, cui se delinquendo obnoxium reddiderit, posse, *l. 20. ff. de judic.* Neque ab accusatione immunes legatos præstari muneris sui dignitate, ut quam reatu excluserint. *l. un. C. ubi senat. vel clariss. l. 12. C. de dignit.* ne beneficium ipsis tributum cedat in detrimentum ejus Reip. ad quam missi fuerint. Sed rectiùs post alios Grotium sentire arbitror, si Legati ab injusta vi tantùm tuti sint, nihil in eo magni aut præcipui esse. Cum vero Legatorum munus non tantùm sit utile, sed sæpe summè necessarium, utique gentes majorem iis ac præcipuam quandam securitatem tribuere voluisse videntur: id quod Grotius confirmat partim illarum voluntate expressa, partim præsumpta. Et licet Juris Naturalis autoritas sit maxima, neque temerè delicta, quibus illud violatur, debeant esse impunita, non tamen necessum est, neque conditioni Legatorum ex Jure gentium convenit, ut puniantur illi ab ea Republica, ubi deliquerint, sed possunt remitti ad suum dominum cum elogio, postulata ab eo vindicta, vel deditione. Nam securitas legatorum utilitati, quæ ex pœna est, præponderat, inquit bene Grotius *d. cap. n. 4.*

LXVIII. Sed neque tunc ad pœnam properandum est, ubi Legati fortè quid contra Rempublicam, ad quam missi, fuerint moliti. Hinc Livius de Legatis Tarquinii, qui proditionem Romæ concitaverant, ait: *Quanquam*

visi

visi sunt commisisse, ut hostium loco essent, Jus tamen Gentium valuit. Sed sicuti alia Jura Arbitraria sæpe exceptionem necessitatis admittunt, ita & hoc, puta, ut si imminenti periculo, quod Reipublicæ concitaverit Legatus, aliter obviam iri nequeat, retineri, interrogari, ac pro re nata etiam occidi queat. Postremum ubi evenerit, vult Grotius, qui valde circumspectè hoc argumentum tractat, id fieri non per modum pœnæ, sed naturalis defensionis.

LXIX. Hæc ergo Securitas debetur Legatis ab illa Republica, ad quam fuerunt missi, modò illi ab ea antè sint admissi; tunc enim ex Jure Gentium per tacitam conventionem est obligata. At ubi denuntiatur Reipublicæ missuræ legatos, ne hi mittantur, alioqui eos pro hostibus fore, tum si contra quid factum fuerit, pro re nata expelli, vinciri, imò & interimi possunt. Nec enim hæc securitatis lex ad eos pertinet, qui non accepta venia fines Reipublicæ transeunt, ituri ad ejus hostes, aut ab iis venientes, aut hostilia molientes. Ita Hispani Galliæ regis legatos ad Turcam destinatos, in Pado captos occiderunt. *Parut. lib. 2.* De Flandriæ civitatum legatis à Maximiliano I. Imp. captis videri potest Cranzii Saxonia *lib. 12. cap. 33.* Ex veteri autem historia congesta legere licet apud Grotium *d. c. n. 5.* Ubi igitur admissa fuerit legatio, non solùm apud inimicos, sed & apud hostes ex Jure Gentium Legati præsidium habent. *Nam in bello plurima incidunt negotia, quæ nisi per legatos transigi non possunt, & ipsa pax vix est ut aliter coëat,* inquit Grotius *d. c. n. 6.*

LXX. Atque hinc credo in bello etiam novum illud inter gentes jus exstitisse, ut securitas tribuatur Tubicinibus: qui ulto citroque mitti, & internuntii belligeran-

 tium

tium esse solent. Sanè cum videantur veterum caduceatorum vicem & munus obire, quibus in bello pacem esse dixit Diodorus Siculus, non repugnabo, si quis hoc antiquum gentium jus, ad Tubicines fortè extensum, dicere malit. Jo. Sleidanus, cum *lib. 17. Comment.* exposuisset, in quam sententiam clarigatio, literis concepta, Carolo V. fuerit à fœderatis denunciata, hæc subjicit: *Hanc epistolam per adolescentem quendam nobilem atque tubicinem, uti fieri solet, ad Cæsarem mittunt in castra prope Lantishutum.* Cæsar quamvis indignè hoc tulit, neque epistolam accepit, incolumes tamen atque illæsos dimisit, etiamsi ab iis venissent, qui Cæsaris judicio rebelles, adeoque jure gentium veri hostes non essent.

LXXI. Professus suprà sum, non solùm Legatos, sed & eorum comites esse inviolabiles. *l. 7. ff. ad l. Jul. de vi publ.* Sed & hoc producitur ad vasa & supellectilem Legatorum, uti ex antiquis Fecialium carminibus cognovimus. De his ita pronunciat Grotius *d. cap. n. 8. Hæc sancta sunt accessione, & proinde quatenus legato videtur.* Nam lex gentium disertè & primario ipsis Legatis prospicere voluit. Sed cum hi non possint esse sine ministris & comitibus, quò omnia respondeant & dignitati mittentis, & ejus, ad quem mittitur, hinc quoque his Securitas debetur, quatenus Legatorum partes sunt, & instrumenta, & quatenus usus sit iis, ut aliorum major, aliorum minor sit dignitas vel conditio, adeoque in quibusdam faciliùs & graviùs læsio contingere queat, quàm in reliquis. Quod si illi comites gravius quid deliquerint, postulari eorum deditio à Legatis poterit, quam si is facere detrectet,

ctet, debitamve satisfactionem deneget, eo, quo antè dictum est, modo cum ipso est agendum.

LXXII. Quod si hoc Jus gentium in Legatis fuisset læsum, sæpissime bello illam injuriam vindicatam esse legimus, cujus exempla historiæ tam sacræ quàm civilis monumenta larga manu suppeditant. Eorum quædam indicat Grotius *d.c.n.ult.* & in suis ibi Annotatis plura admetitur. Pertinet huc illud Quintiliani: *Si civis pulsatus est, actio injuriarum est: si magistratus, majestatis: si Legatus, bello & jure gentium agitur.* Non autem placet Talionis hac in causa jus, quod à nonnullis probatum & exercitum esse novimus, videlicet ut legatus ab eo veniens, qui malè habuerit legatum, pari modo vicissim tractetur. Jus enim Gentium non solùm mittentis dignitati, sed & ejus, qui mittitur, securitati prospicere ac cavere voluit. Hactenus de Jure Gentium Communi, ejusque capitibus quibusdam pro instituti nostri ratione disseruimus.

LXXIII. Nunc ergo dicendum est de Jure Gentium Proprio, quod expressis ferè pactis inter gentes certo numero definitas constitui nitique suprà adfirmavi: cujus obligatio uti illas invicem obstringit, qui definitè suæ utilitati peculiaria hæc placita condiderunt, ita hoc Jus Gentium Proprium nec extendi solet aut potest ad alias gentes, veluti Jus Gentium Commune. *Ferè*, inquam, expressis pactis hoc Jus Gentium Proprium niti dixi. Neque enim impossibile, aut inusitatum videri cuiquam debet, si inter paucas, & fortè duas gentes consuetudine, adeoq; pacto tacito, aliquando Jus aliquod gentium peculiare introductum dicatur. Nam non raro supplices, & qui se dedidissent, occisos, & hanc atrocitatem Jure gentium com-

muni defensam fuisse legimus. *Grot. 3. de J. B. P. cap. 4. n. 10. 11. 12.* Certè Romanorum mos ille penè fuit perpetuus, ut hostium duces militesque capti aut dediti triumphi die occiderentur. In Græcia, cujus fuere gentes Rebuspublicis diversis distinctæ, consuetudine meliori Jus gentium circa deditos & supplices Proprium videtur esse inductum. Nam Arrianus in deditos editam à Thebanis stragem, ait fuisse non Græci moris, ὀυχ ἑλληνικὴν σφαγήν. Ac similiter Thucydides *lib. 3.* de his loquens ait, *Mos Græcorum est, tales non interficere.* Idem confirmant Diodorus Siculus, Sopater, & alii.

LXXIV. Velim autem diligenter hic notetur, quod cum juris Gentium Communis placita magnam partem sint dura, aspera & rigida, Jure Gentium Proprio illa asperitas more vel pactis expressis mitigari, aut iniquitas omnis tolli non solùm possit, sed & in nonnullis capitibus mitigata aut sublata sit, cumprimis quarum mores religionis Christianæ disciplina emollivit, & charitatis regulas iis commendavit. Vide suprà *th. 50.*

LXXV. Pacta illa seu placita Juris Gentium Proprii Ulpiano dicuntur *Conventiones publicæ. l. 5. ff. de pact.* Mox ita pergit: *Publica conventio est, quæ fit per pacem, quotiens inter se duces belli quædam paciscuntur.* Grotius Publicas Conventiones dividit in Fœdera, Sponsiones & pactiones tales alias. *lib. 2. de J. B. P. cap. 15. n. 2.* Cæterum cum Sponsio sit, quæ quidem concipitur de re ad Rempublicam pertinente, ab his autem, qui à potestate summa neque mandatum neque autoritatem ejus rei habent, illam à Jure Gentium excludimus. Nam licet aliquando hujusmodi Sponsiones à Republica pòst ratæ habeantur, atque hinc

soli-

solidum juris effectum consequantur? desinunt tamen hoc ipso Sponsiones esse, atque in aliud nomen transeunt. Neque enim tam hic spectandum est, an de publica re vel causa, quàm an autoritate ipsius Reip. sit conventio concepta; hæc enim demum propriè est Conventio publica: qua de re plura commentatus sum ad d. c. Grotii.

LXXVI. Publicæ hæ conventiones modò latiùs patent, modò inter perpaucas & fortè duas gentes sunt constitutæ: ut adeò *Jus Gentium Proprium* hinc possit subdividi in *latiùs patens*, & *illo arctius*. Illud est, quò satis multæ gentes, hoc, quo paucæ admodum pactis ad definitum usum comparatis consociatæ mutuò obligantur. Hujus arctioris uti exempla sunt obvia passim, ita nec latiùs patentis desunt. Cum enim publica conventio sit, quæ fit per pacem, secundum Ulpianum, talis conventionis luculentum exhibet exemplum Germania suo Instrumento pacis, cujus obligatio latè patet, & non solùm ad Ordines Germaniæ, sed & præcipuas Europæ gentes pertinet, suoque vinculo eas continet. Si quoque illa pacificatio, quæ jam Noviomagi sub incude est, felicem exitum habitura est, plures certè gentes, Respublicas & Principes ejus obligatione seu jure comprehendentur. Sed & hic verba captari nolim. Etsi enim Jus Gentium Commune, & Proprium, in easdem species divisisse videamur; est tamen utriusque divisionis magna differentia. Juris enim Gentium Communis ea est natura, ut ejus placita pluribus quidem gentibus utilitatem adferant, non tamen ad singularum Rempublicam restrictam, sed quæ propter communem utilitatem à plurimis vel omnibus saltem moratioribus recepta sint, aut vero recipi ea conducat. Jus vero

Gen-

Gentium Proprium est ferè talè, ut vel duæ vel plures gentes mutuò quidem obligentur, sed ad diversas res aut præstationes, communi quidem consilio & pactione conventas, sed ad usum proprium vel singularum vel paucarum gentium determinatas. Deinde quando Multas gentes dico, vel illud absolutè, vel comparatè intelligi potest. Prior acceptio in Jure gentium Communi, posterior in Proprio potissimùm locum habet. Exemplis quidem res omnis fieri posset illustrior; sed in scirpo nodus non est quærendus.

LXXVII. Cæterum ex usu Gentium cumprimis hodierno conventio publica Pacis possit constitui duplex, una Principalis, altera Accessoria. Ista est, quæ spectat ipsum finem principalem, Pacem, quatenus illa ad quamque pro modo conventionis pertinet. Accessoria conventio publica est, quando evictio, securitas ac patrocinium singulis gentibus pacificatione comprehensis à reliquis promittitur, ratione eorum, quæ cuique ex conventione publica debentur. Hanc Accessoriam conventionem solent veteri Francorum vocabulo *Guarantiam*, atque ita autoritatem suam alteri accommodare, seu patrocinio suo alterum tueri, *Guarentare, Guarentilare*, vel *Guarentizare*, dicere. Vide Vossium *lib. 2. de vit. serm. cap. 20. p. m. 334. & cap. 23. p. 350.* *Lindenbr. ad Cod. LL. Antiq. in v. Warentem.* Ejusmodi Guarantia placuit etiam muniri Instrumentum Pacis, de quo dixi. *vid. ejus Artic. 17. §. Pax vero conclusa, cum seq.* Quod præsidium quàm sit sæpe lubricum, experientia satis testatur, idque pluribus hic ostendere nil attinet. Sed & ille mos hodie non est infrequens, ut ejusmodi Guarantiam promittant Respublicæ,

arbi-

arbitræ pacis delectæ, licet ipsius pacis conditiones aliàs ad illas vel omnino non, vel saltem principaliter non pertineant.

LXXVIII. Sed inter Gentes publicarum conventionum notissimæ & frequentissimæ sunt *Fœdera*, quæ autoritate, voluntate aut jussu summæ potestatis civilis fiunt, sic, ut si iis non stetur, tota Respublica vindictæ divinæ humanæque se obnoxiam reddat. Hæc vero vel sunt Æqualia, vel Inæqualia. De utrisque Grotius *lib. 2. de J.B.P. c. 15.* Utrorumque possunt & solent diversi esse fines. Vel enim fiunt pacis causa: de quibus dixi. Vel societatis bellicæ gratia, eaque tendunt vel ad ἐπιμαχίαν tantùm, ad tuendos fortè fines duntaxat, aut ut auxilia promittantur ad certum bellum, aut in certos hostes: vel etiam tendunt ad ἐπιμαχίαν, quando auxilia promittuntur ad quodvis bellum, contra quemvis hostem, hoc est, secundum Thucydidem, τὰς αὐτὰς ἐχθρὰς καὶ φίλους νομίζειν, *eosdem hostes & amicos habere.* Tale quondam fuit fœdus Achaicum: de quo Polybius. Tali fœdere sunt consociati Pagi Helvetici, & Belgii fœderati provinciæ: quæ licet unam videantur civitatem præseferre propter vim fœderis, sunt tamen distinctæ civitates: cui rei demonstrandæ genuina principia suppeditat Aristoteles *3. Polit. 6. p. 169.* & Grotius *de Antiquitate Reip. Batav.* Præterea Fœdera etiam iniri solent Commerciorum causa, ut illa tutiùs, aut majori emolumento frequentari possint: quale inter Tyrrhenos & Carthaginienses olim fuisse, eodem *cap. 6. lib. 3. Polit. p. 167.* memoratur. Quin & plures fines fœdera pacturi sibi habent propositos, quod usus satis confirmat, & quoque citato loco testatur Aristoteles, de Carthaginiensibus & Tyrrhe-

rhenis referens, quod non solùm commerciorum, sed & συμμαχίας gratia fœdus constitutum habuerint.

LXXIX. Cum vero in moralibus latius pateat Officii quàm juris nomen, & saltem non semper utriusque sit eadem autoritas & necessitudo; etiam Jure Gentium recepta esse videmus quædam Officia, quæ in excipiendis, dimittendis, tractandis, ditionem alienam transeuntibus, castellum aliquod prætereuntibus, aut nostro comitatu deducendis legatis, magna sedulitate ab istarum rerum peritis observari solent. Atque hæc omnia ex instituto gentium descendere certum est. Huc pertinent illa Xenia & Lautia, que Legatis dari vel offerri solent, pisces, avena, vinum honorarium, uti Cato ait, & si quæ sunt ejus generis alia. *l. 18. §. 12. ff. de muner. & honor. l. 2. in f. ff. de legation.* Ejusdem generis esse videtur, quod Thuanus memorat *lib. 57.* Caroli IX. Galliæ Regis exsequias à plerisque Europæis Principibus, & quoque Londini ab Elisabetha Angliæ Regina fuisse celebratas. Atque hæc sunt Juris Gentium genuina & præcipua capita, de quibus strictim dicere volui, quod fusè ab aliis, & nonnulla justis voluminibus sint tradita, atque hæc præsenti instituto sufficiant.

LXXX. Ne tamen in crimen immeritò vocer, ac si ea, quæ ad Jus Gentium quàm maximè pertinere videntur, neglexerim, aut præterierim: aut illorum exspectationi desim, qui *Hugonis de Roy* libellum, *De eo, quod justum est,* legerunt, etiam illius de Jure Gentium sententiam paucis prolatam examinabo. Videtur quidem ille Autor de Jure Gentium passim & bene loqui & bene sentire; dum tamen id enixè agit, ut quocunque modo veterum JCtorum de Jure Naturæ & Gentium effata & confusam

sam

ſam doctrinam defendat, ſæpe nec bene loquitur, nec bene ſentit. Jus Gentium inter ea jura refert, quæ ab homine ortum habent: quod propter neceſſitatem & utilitatem de tempore ad tempus in gentium uſum moresque pervaſit: quod toto cœlo à Jure Naturæ (quod ille non ſolùm aliorum exemplo Jus Gentium Primarium, ſed novo Antiquum vocat) diſtet: quod moribus introductum ſit. Hactenus bene. Reliqua ferè favent priſcæ confuſioni, qualia ſunt hæc: quod Jus Gentium Primarium verſetur circa prima principia rationis, & ex iis concluſiones morales faciliores, ac abſolutè neceſſarias: Jus Gentium Secundarium circa ſecunda principia & concluſiones ex ejusdem quidem rationis præmiſſis deductas, ſed difficiliores, auxiliares, nec per ſe ita neceſſarias: & ſimilia alia, quæ miſſa facio omnia, cum ex ſuperioribus facilè emendari, vel ſaltem illud chaos cognoſci queat.

LXXXI. Nimis vero abſurdum mihi ſemper fuit viſum, quod Juris Gentium duo ſumma capita conſtituerit, quorum primum ſit, *Res dividere*, alterum, *Punire ſontes*. Dividunt quidem etiam Gentes inter ſe res, easque maximi pretii, provincias, regna; uti vero Diviſio eſt facti, ita jura dominii quæ fortè diviſionem exigunt, non tantùm ex pactis gentium placitisq; arbitrariis, ſed ſæpe ex Jure Naturali ſuam menſuram accipiunt: id quod etiam ſuprà *th. 6.* paucis indicavi. Imò ipſa dividendi facultas ex univerſali dominio à Deo in Adamum, & ab hoc in genus humanum translato promanat. Itaque cum neque ſocietates naturales absque dominii jure eſſe aut conſervari, nec Juſtitiæ aut Liberalitatis officia absque eo exerceri poſſint, & quoque naturæ jure Furtum ſit vetitum, Do-

minii saltem universaliter considerati jura ad Jus Naturæ referenda sunt. Vide quæ Aristoteles *lib 2. Polit. capp.* prioribus contra Platonem, & Bœclerus ad Grotium *lib. 2. de I. B. P.* contra primævam rerum omnium communionem à Poëtis inventam eruditè disputat. Cautiùs alii hoc argumentum tractarunt, qui docent, Naturam quædam jussisse aut vetuisse κατηγορικῶς, simpliciter omniquè tempore agenda vel omittenda: alia vero ὑποθετικῶς posito nempe, si hoc aut illud placuerit hominibus. Ita simpliciter justum esse ajunt, Deum colendum esse: hypotheticum præceptum esse, si homines velint bona sua privatim possidere, tum alteri, quod privatim possidet, eripiendum non esse. *Conring. disp. de Jure. th. 49.* Sed hanc quidem JurisNaturalis differentiam aliàs considerabimus.

LXXXII. Alterum Juris Gentium caput cum Hugo de Roy dixisset esse, *Punire sontes*, agnovissetque hoc rectius ad Jus naturæ referri, his sibi verbis prospectum voluit *lib. 1. tit. 4. sub fin. In explicatione Juris Gentium non ea tractatur punitio, quæ juris naturalis est, sed ea, quæ Juris Gentium est.* Deinceps *tit. 6. n. 7.* hæc subjicit: *Jus puniendi sontes ex Jure Naturali ortum trahit: ex Jure Naturali Rationali fundamentum habet: ex Jure Gentium confirmationem, & ex jure cujusque gentis proprio, hoc est, Civili certam ac determinatam formam accepit.* Hujus Autoris vestigia legisse, eundem certè errorem erraſſe videtur Mevius *in prodr. insp. 5. n. 46.* Nolo hic prolixus esse, etsi multa hic moneri possent. Relegamus hinc illam hypothesin, vix amplius dupondio dignam, esse aliud Jus Naturale simpliciter, seu animalium etiam, & Jus Naturale Rationale. Jus vero puniendi sontes proximè cohæret cum Legislatoria pote-

state

ſtate & ordine judiciorum; quæ generatim conſiderata unà cum jure puniendi ſontes ad Jus Naturæ rectè referuntur. Quod uti etiam hic Autor fecit, ita malè ad Bella vindicandorum criminum cauſa ſuſcepta, *τὸ punire ſontes*, reſtringit, etiamſi his bellis certi modi atque effectus ex gentium placito ſint præfiniti. Neque levior is error eſt, quod etiam iis bellis, quæ defenſionis neceſſariæ gratia ſuſcipiantur, propoſitum eſſe velit, *Punire ſontes*. Quantum enim, quæſo, invicem diſtant, *Defendere, & Punire*? Ita multi luci tenebras, rebus planis tricas, & expeditæ veritatis inquiſitioni obſcuritatem, confuſionem & impedimenta præponunt.

LXXXIII. Quod ſi Joannis Feldeni de Jure Gentium ſententia admitteretur, denuo per veterem μεταμόρφωσιν illud in Jus Naturæ tranſiret. Dicit enim quòd JCtis Romanis Jus Gentium ſit facultas ad actus & negotia peregrinis competens, cui Jus Civile opponatur hoc effectu, ut peregrinos illud excludat. *in Annot. ad Grot. lib. 2. de I, B. P. cap. 2. §. 18. & 19. & ad cap. 8. §. 1.* Hanc ſententiam non planè rejiciendam eſſe monet Pufendorfius loco ſuprà citato. Imò favere illi videtur Marcianus JCtus *l. 15. ff. de interd. & releg. Deportatus*, inquit, *civitatem amittit, non libertatem, & ſpeciali quidem iure civitatis non fruitur, iure tamen gentium utitur; emit enim & vendit, locat, conducit, permutat, fœnus exercet, & cætera ſimilia.* Verum enim vero licet quidem deportatis & peregrinis non perinde negotiis jure naturæ determinatis interdictum ſit, aut interdici potuerit, quemadmodum communione juris civilis; non tamen ideo quæ Juris Naturalis propria ſunt, Juris gentium nomine comprehendi,

 & res

& res multùm distinctæ confundi debebant. Itaque & hæc explicatio tantùm in patrocinium inveterati erroris inventa est.

LXXXIV. Supremus ergo labor superest, ut demonstrem, Esse aliquod Jus Gentium; absque hoc enim si fuerit, oleum & operam omnem jam impensam perdidero. Argutabitur fortè quispiam, debuisse hanc disputationem reliquæ tractationi omni præmitti, non autem postponi. Quid enim opus est inquirere, quid & quale sit Jus Gentium, si nondum sit certum, an ullum Jus Gentium sit vel exstet. Ordinem naturæ si videas, rectè hoc moneri fateor. Cum vero doctrina omnis arcessi debeat non à notioribus natura, sed nobis notioribus, ideo hæc præmittenda esse duxi, ut, remota omni homonymia, designatis Juris gentium speciebus suis distinctis nominibus, explicatis item præcipuis illius juris capitibus, planè & perspicuè tradi & intelligi possit, sitne omnino aliquod Jus Gentium, quale nos illud descripsimus, divisimus, variis singularibus exemplis illustravimus.

LXXXV. Investiganti igitur mihi causas, ob quas hodie tantopere Jus Gentium omne impugnatur, quatuor præcipuè occurrunt, quibus in hanc dubitationem multi videntur abrepti. Primò quidem non fit illis verisimile, quod omnium gentium consensu Jus aliquod arbitrarium inter ipsas sit constitutum. Deinde quod nulla appareat tam generalis consuetudo, vel usus omnium gentium, ex quo illarum in hoc Jus factus consensus vel pactum tacitum colligi aut præsumi queat. Tertiò, quod Gentes & Principes factis suis subinde profiteantur, ac si Jus Gentium, quod vulgò venditatur, ad se nihil pertineat, suæque scenæ

hæc

hæc fabula minimè conveniat. Denique, quod illa capita, quæ ad Jus Gentium referri solent, partim Jure Naturæ sustineantur, ut adeò Juris gentium arbitrarii fictione opus non sit, partim omni jure destituantur. Singula argumenta quanti sint ponderis primùm expendemus, atque ubi deprehenderimus, esse illa levis aut nullius momenti, veritas magis magisq; elucescet.

LXXXVI. Primi argumenti ea est sententia, quod nullum sit Gentium Jus, ab omnibus & singulis gentibus comprobatum aut conditum. Hoc vero facilè largimur, & jam largiti sumus *th. 11. 12. 36.* ostendimusque, quomodo istiusmodi minùs accuratæ loquendi formulæ vel emolliendæ vel emendandæ sint. Esse vero aliquod Jus Gentium Proprium, quale illud *th. 24. 73. & seqq.* descripsimus, manifestius esse credo, quàm ut probatione indigeat: utique ab ea abstinebimus, ne, sola libidine dissentiendi quosdam duci, existimasse videamur. Quis enim nescit, aut dubitat, varias gentes variarum conventionum publicarum obligatione arbitraria inter se consociari? Redit ergo tandem vis argumenti hujus eò, non esse aliquod Jus Gentium Commune quod diximus. Cæterum ex quàm multis inter complures gentes usitatis placitis, quorum præcipua vidimus, evidenter apparet, præter Jus gentium Proprium, esse etiam aliquod Jus Gentium Commune, atque hoc non solùm à Proprio, sed magis etiam à Jure Naturæ discriminatum. Hoc posterius ubi deinceps diligentiùs commonstravero, non minùs sensui & experientiæ, quàm Juri Gentium communi quisquam adversabitur.

LXXXVII. Alterum argumentum tangit modum, quo Gentes istiusmodi Jus inter se Commune pepigerint,

inque

inque illud consenserint. Non equidem existimandum est, quod legis sanciendæ causa gentes omnes in unum convenerint, sed quod illud Jus propter communem utilitatem tacito consensu gentium approbatum, & ab omnibus receptum est. *Vinn. ad* §. *1. Inst. de J. N. G. & C. n. 2.* Et sicuti raró apparent juris omnis per usum seu consuetudinem, eamque vel propriam, vel imitatione expressam, introducti initia; *arg. l. 20. ff. de legg.* ita Juris Gentium Communis originem & propaginem multó minùs quisquam juxta temporum seriem & translato de gente in gentem usu demonstrabit. Sufficit nobis, quod aliunde constet, esse quædam Jura gentium, eaque inter illas pro legibus & olim & nunc observata esse, etsi originem & modum eorum primigenium nonnisi conjectura verisimili, adsequi possimus. *Consuetudinis jus*, inquit Cicero *lib. 2. de Invent. esse putatur id, quod voluntate omnium sine lege vetustas comprabarit. In ea autem jura sunt quædam ipsa jam certa propter vetustatem.* Confer *th. 15. & seqq.*

LXXXVIII. Neque tertium argumentum quidquam proficit. Non enim procedit illa ratiocinatio, Jus aut lex sæpe negligitur nec observatur, ergo Jus aut Lex non est, vel esse desinit. Non equidem inficias ibo, esse quædam Juris gentium capita, quæ per desuetudinem abrogari queant, quod vel magnum usum inter gentes liberas non habeant, adeoque contraria voluntate facilius abrogari queant, vel à necessitate non sint commendata; modò in desuetudinem vel abrogationem gentes illæ, quarum non iniquè interest, consentiant, quarum voluntate olim illa decreta fuerunt sancita. Quod attinet illa Juris gentium capita, quæ nimis sunt rigida, eorum vel abrogationem vel

vel saltem temperamentum commendat æquitas naturalis: at planè iniquorum jubet Naturæ jus, & multò magis Christiana pietas, etiamsi iniquè vel impiè dissenserint alii. Illa vero Juris Gentium placita, quæ nihil habent vitii aut iniquitatis, & multò magis quæ utilitate aut necessitate fuerunt introducta, temere mutari aut abrogari à quibusdam gentibus nequeunt, præsertim si id cum reliquarum præjudicio sit futurum. Nam quod in Jure civili privato obtinet, ut renunciatio societatis omni fraude careat, multò magis in hac gentium societate locum habet. *l. 14. ff. pro soc.* Si qui igitur Principes aut gentes pro re nata non patiantur se adstringi Juris Gentium placitis, nolintque suas actiones juxta has regulas examinari, non certè eapropter perinde autoritas omnis Juris gentium, sicuti observantia ei, & pactis fides detrahitur. Hæc enim sublestæ fidei, injustæ causæ, & Deo hominibusque insultantis impotentis dominatus sunt argumenta, quibus Providentia divina sæpe nervum incidere, adfectatæ tyrannidi modum ponere, & juris hujus impatienti ferociæ frenum injicere, pœnasque irrogare solet.

LXXXIX. Sed maximum præsidium in postremo argumento videtur esse reliquum, quasi hoc commentitio Jure Gentium nihil sit opus, cum liberarum gentium actiones solo Jure Naturæ regi queant, & quædam Juris gentium capita sint talia, quæ juris ne quidem nomine insigniri mereantur. Fassus jam sum, esse quædam hujus notæ gentium placita, quæ si Juri Naturali aut pietati Christianæ repugnent, non solùm antiquari posse, sed & debere, monui, utpote quibus nunquam ulla vis obligandi adstrui potuit, quod semper Juris Naturalis vel divini in-

tercesserit maxima autoritas. An vero Gentes & Civitates solo Jure Naturæ contineantur, excluso omni Jure inter illas voluntario sive Communi sive Proprio, diligentiùs expendendum est. Ere erit, ut nonnullorum, qui hoc adfirmant, verba audiantur.

XC. Familiam inter eos ducat Thomas Hobbes, qui etiam alios in suam sententiam pertraxisse videtur. Is *lib. de Cive cap. 14. §. 4.* ita docet: *Legem Naturalem esse vel Naturalem hominum, vel Civitatum, quæ vulgò Jus Gentium appellatur. Præcepta utriusque*, inquit, *eadem sunt: sed quia civitates semel instituta induunt proprietates hominum personales, lex, quam loquentes de hominum singulorum officio naturalem dicimus, applicata totis civitatibus, nationibus, sive gentibus, vocatur Jus Gentium.* Hæc Hobbesiana cum recitasset Samuel Pufendorfius *de Jur. Nat. & Gent. lib. 2. cap. 3. §. 22.* sequentia mox subjicit: *Cui sententiæ & nos planè subscribimus, nec præterea aliud Jus Gentium voluntarium seu positivum dari arbitramur, quod quidem Legis propriè dictæ vim habeat, quæ gentes tanquam à superiore profecta stringat.* Robertus Sharrok, quamvis sibi præcipuè refutandum delegisse videtur suum civem Hobbesium, hac tamen in re & ipse ei consentit, his verbis suam professus sententiam *lib. de Offic. cap. 10. p. 129. Nec quidem à Jure Naturæ Jus Gentium quidquam mihi videtur differre, audacterq; pronuntiare ausim, neminem fore Principem jure gentium offensi reum, qui ad hic positam naturæ normam se in omnibus accommodaverit.* Adjicit deinde exempla de fœderibus, legatis aliisque ad Jus Gentium pertinentibus causis, in quibus si quis iniquè lædatur, peccari tunc contra Innocentiam, Fidem, Φιλαυλίαν, Charitatem, præcepta Juris Naturalis.

XCI. Duo

XCI. Duo in his præprimis ſunt notanda. Etſi enim perlibenter Puſendorſio concedamus, Jus Gentium non eſſe proditum iſtiusmodi Legibus, quæ à ſuperiori ſint conditæ; non tamen ideo Jus Gentium corruet. Eſto, quod juxta receptum loquendi uſum Lex ſpeciatim denotet illam actionum humanarum regulam, quæ à Legislatore ſubditis ſit lata; non tamen ideo Pacta omni, neque etiam propriè dicto jure ſunt privanda. Sicuti enim ne quidem Natura, ita nec Legislatores omnibus negotiis cauſisque certam Juris normam præfiniverunt; adeoque quam libertatem Natura Legislatoribus permiſit, ut hi actiones Jure Naturæ non comprehenſas legibus latis determinare queant, eandem libertatem privati ab utrisque habent, ut ſibi invicem per pacta, Juri Naturæ aut Legibus civilibus non adverſa, leges dicere, iisque ſe adſtringere poſſint. Et magis etiam nobis favet, quàm Puſendorſio citatus Bœclerus *ad Grot. lib. 2. de I. B. P. cap. 4. n. 9.* qui diſertè ibi ait, Jus gentium eſſe, quod utilitatum ſuarum reſpectu conſenſus gentium liberè conſtituit: & ab hoc planè diverſum Jus Naturæ facit. Etiamſi igitur Gens libera una altera non eſt ſuperior, neque altera alteri Legem ſpeciatim acceptam dicere poteſt; ſi tamen ipſis placeat pactis ſe obſtringere, utique vero jure inter ſe continentur, ſicut ſi una gens fidem fallat, alteram vel reliquas hoc ipſo ſe ſuperiores hactenus conſtituat, ut ſe cogere poſſint ad fidem ſervandam. Quemadmodum enim ejusdem Reip. duo ſubditi ſi conventionibus ſe obſtrinxerint, alter alterum fraudem conventioni facientem judiciali autoritate cogere, & jus ſuum actione perſequi; ita, deficiente inter liberas gentes communi judi-

cio, altera alteram perfidam bello, si cætera paria sint, ad conventa præstanda cogere potest. Et quamvis bellorum eventus dubius & incertus sit, si tamen contra perfidam gens illa bellum suscipiat, quæ pactis satisfecerit, jure bellum capesset, & non solùm reliquas gentes justitiæ studiosas, sed & ipsum Deum supremum fidei sequestrum & arbitrum faventem habebit.

XCII. Alterum animadversione dignum hoc est, quod causa obligationis Juris arbitrarii proxima à causa ejus remota non distinguatur, atque ita multiplici errori fenestra aperiatur. Leges enim arbitrariæ strictè dictæ à voluntate legislatorum, Pacta & Conventiones à paciscentium vel contrahentium libera voluntate & consensu proximam obligationis causam habent. Tam vero Legum quàm Pactorum obligatio sustinetur his Juris Naturalis regulis, tanquam fundamentis, Majestati civili & Legislatoribus justè imperantibus est parendum, & Fides data est servanda. Id quod pluribus docui *Disp. de Jure Arbitrario.* Si quis igitur causam remotam obligationis Juris arbitrarii confundat cum causa proxima, aut hac spreta, ad istam omnem autoritatem juris arbitrarii revocet, ille Jus omne arbitrarium una litura delebit, & non nisi unam Juris speciem, Naturale, superesse profitebitur.

XCIII. Eò vero cum hactenus neminem prolapsum esse meminerim, nemo non agnoscet, perperam à Sharrochio Juris Gentium capita promiscuè ad Jus Naturæ, exploso penitus isto Jure, redacta fuisse. Jam quidem uno id exemplo declarabo, ex quo simul innotescet, esse aliquod Jus Gentium proprium, à Jure Naturæ planè distinctum. Vetustissimum fœdus est, quod Regibus expulsis

Popu-

Populo Romano Porsenna dedit, quo nominatim comprehensum fuisse, *Ne ferro nisi in agricultura uterentur*, Plinius *lib. 14. cap. 4.* scribit. Quis, quæso, dixerit, Romanos Jure Naturæ ad hoc fuisse obligatos? Obligati igitur fuerunt ex suo consensu & voluntaria conventione, à qua non recedendum temerè, sed fidem datam etiam hac in re servandam esse, in subsidium Natura jubet. Non equidem diffiteor, esse quasdam Fœderum aliarumve publicatum conventionum conditiones, seu materias, quæ & à Jure Naturæ normam, & insuper à Jure Gentium Proprio parendi necessitatem acceperint. Imò fieri potest, ut etiam cum istis Jus Gentium Commune aliquando concurrat; sed si animum rectè advertas, aliud ex obligatione Juris Naturalis, aliud præterea ex voluntario consensu Gentium debebitur, nisi fortè sollicita paciscentium diligentia duplici vinculo maluerit eos adstringere, quorum & fides & conscientia suspecta fuit visa.

XCIV. Hobbesii vero divisio, docentis, Legem Naturalem aliam esse Hominum, aliam Civitatum, atque hanc etiam Jus Gentium vocitari, planè inepta, &, nisi fallor, etiam ad tegendum veterum JCtorum errorem comparata est. Neque enim ex hac diversitate subjectorum diversum nascitur Jus Naturale, sed utrobique unum est idemque, quod etiam agnoscere videtur ipse Hobbesius, quando ait, esse eadem utriusque præcepta; imò sunt eadem ejusdem quoque Juris Naturalis præcepta, homines, quà sunt tales, obligantia, sive civili sive alia societate sint conjuncti. Uti vero certum est, Gentes & Civitates, quà sunt tales, primariò etiam inter se Juris Naturalis debere esse observantes; ita quoque certissimum esse ostendit

cum Ratio tum Experientia, quod plurima inter illas negotia intercedere queant, quæ à Jure Naturæ nullam determinatam obligationem, sed demum ex illarum libero consensu & pacto acceperint: unde sanè aliud & à Jure Naturæ diversi generis jus emergere omnino necessum est. Res plana est in Jure Gentium Proprio, quòd fœderum, aliarumve conventionum publicarum conditiones ferè soleant esse tales, quas uti Natura arbitrio Gentium determinandas permisit, ita quoque aliunde obligationis originem & causam non habent. Narrat Livius *lib. 30.* Scipionem inter alias hanc quoque legem Carthaginiensibus dixisse, *Ut elephantos quos haberent domitos traderent, neque domarent alios.* Stipulata hoc fuit gens Romana: promisit illi civitas Carthaginiensium. Quis vero dicet, hanc fuisse ad hoc obligatam ex Jure Naturæ, de quo nullum jus Natura constituit? Quis non hic agnoscit conventionem planè liberam, & ex pacto unicè natam obligationem?

XCV. Autor Anonymus *Dissertationis Epistolicæ de principiis Justi & Decori pag. 16. seq.* ita docet: *Est Jus Gentium duplicis naturæ: unum quod propriè loquendo est Juris naturalis; sed denominationem illam mutuatum est, quia est jus, quod genti cum gente, nationi cum natione intercedit, licet in suo formali non differat à Jure naturali: quale est illud* Jus Legatorum. *Aliud est, quod in suo formali non convenit cum lege naturali, sed cum lege humana, & jure permissivo naturali introductum est; vocaturq; Jus Gentium, quia inter gentem & gentem locum habet, vel quia plurium gentium consuetudine & usu legis rigorem accepit: quale est illud, quod tela & instrumenta bellica, nec fontes veneno inficere licet, aut hostem*

per

per subornatum sicarium interficere. Mihi enim licet jure naturali omnibus modis nocere inimico, & ea media adhibere, quibus confido hostem in ordinem posse redigi, si citra perfidiam fiat. Obtinet tamen inter gentes moratiores, talia non amplius ex aequo in hostem intentari, ne nimium intendantur pericula ab utraque parte: atque ideo tales leges mutari possunt, & saepe mutantur, sicut contingit in legibus humanis. Priores leges gentium mutationem non admittunt, quia ex Jure Naturali Imperante, aut Prohibente; non permissivo fluunt. Visum fuit non inconveniens fore, si hujus scriptoris verba disputationi contra Hobbesium institutae subtexerem, quod ille in Praefatione ad Lectorem profiteatur, primarium scriptionis scopum sibi propositum esse, ut Hobbesiana dogmata adstruat & explicet. Hoc vero dum videri vult agere, multa subinde emaculat atque emendat. Non igitur ille omne Jus gentium exemplo Hobbesii sublatum it, sed ostendit Jus Naturae, cujus etiam inter liberas gentes praecipuus debet esse usus, vulgò & confusè Jus Gentium appellari: quo tamen cum suo Hobbesio perperam refert Jus omne legatorum. Rectè vero tradit, esse ab hoc diversum Jus Gentium propriè dictum, quod pactis libera voluntate usuque gentium proditis innitatur, normamq; det iis rebus seu actionibus, quae determinatam formam aut regulam à Jure naturae non acceperint. Quod Jus Naturae ille Permissivum aliorum exemplo vocitat: contra quod alibi disputavimus.

XCVI. Si igitur plerisque negotiis, de quibus liberae gentes inter se communicant, Jure Naturae praefinita norma non est, singulae vero suis opibus salvae esse nequeunt, sed multiplici indigentia pressae, aliarum officia,

cia, commercia, auxilia & amicitiam desiderant; ipsa Necessitas pactis gentes conjungit, ut quæque suo desiderio certò & constanter potiatur, & ad præstanda officia vel commercia fide data se obstringant. Quemadmodum igitur Homo natura expetit societatem, & ad illam ineundam etiam per Indigentiam compellitur; ita quoque Natura, utcunque benefica est, nulli genti solidam felicitatem tribuere voluit, sic ut aliarum amicitia non indigeret; sed sua dona ita providè partita est, ut etiam integræ gentes & civitates indigentia compulsæ aliarum præsidium & opem quærerent. Sicuti vero illa indigentia variorum bonorum desideria, & sæpe subitò excitat, eaque modò diuturna, modò brevia esse jubet; ita quoque horum officiorum communicatio non semper æterno jure, sed magis arbitrario dirigitur. Illud vero inter gentes arbitrio earum constitutum jus non potest esse aliud, quàm quod quærimus Jus Gentium. *Etiam contra civitates civitatibus remedio opus est: quo nomine aliquando plures civitates unam inter se societatem inibant, vel ut una fierent, velut fœdere quodam se invicem ad auxilia devincirent. Mev. in prodr. insp. 5. n. 4.*

XCVII. His accedit tot gentium Confessio, qua nulla melior aut fortior probatio haberi potest, ad Jus Gentium nunquam non provocantium. Quoties enim una ab altera se læsam esse conqueritur, non semper invito Jure Naturæ, sed Gentium id factum esse causatur. Quæ igitur vesania fuerit, illos velle nexui Juris Gentium eximere, qui ad illud provocant, & se aliosque ejus obligationi obnoxios esse profitentur? *Frequens ad consuetudinem gentium inter gentes provocatio, argumentum est hujus necessitudinis.*

dinis. Unde non ineptè colliges, tacita quadam illarum conventione Jus Gentium niti. Quod multoties in historiis legimus, populos & principes diversarum civitatum de iis, quæ juri gentium assignamus, se invicem reos agere, accusare, indignari, indicium est inter illos vinculi communis. Mev. d. l. n. 54. Neque est, quod quis regerat, errore nominis vel me vel gentes duci, quasi Jus Naturæ intelligant, ubi Jus Gentium appellant. Etsi enim id fortè interdum contingat, plerumque tamen ad verum Jus Gentium, quod à Jure Naturæ distinctum est, illos provocare jam demonstrabo, singula Juris Gentium Communis capita suprà proposita eo fine perlustraturus; nam Jus Gentium Proprium à Jure Naturæ diversum esse jam ostendi.

XCVIII. Si qua Civitas graviter sit læsa, illa, denegata satisfactione, Jure Naturæ propitio bellum movere poterit, etiamsi illud non fuerit denuntiatum. Quippe jure naturæ qui alterum ex proposito læserit, nec satisfecerit læso, simul ei potestatem dat injuriam vindicandi damnumq; datum reparandi. Unde Ælianus ex Platone ait, quod ad propulsandam vim suscipitur bellum, non à caduceatore, sed à natura indici. Ex gentium vero instituto hoc amplius requiritur, ut præcedat belli denuntiatio, eaque apud multas solennis. Hinc Galli misso Romam caduceatore, Fabium Ambustum vocaverunt in crimen, quod bello non indicto contra jus gentium arma in ipsos tulisset, referente Plutarcho *in Numa. Grot. lib. 3. de I. B. P. cap. 3. n. 6.*

XCIX. Veneno infectis armis hostem interficere, etiam Juris Gentium, non Naturalis, placitum esse, jam suprà monui *th. 47.* Et licet fortè illud minus latè pateat, à

melioribus tamen gentibus illud ex pacto tacito admitti experientia docet. Quemadmodum autem tela veneno inficere hoc jure fas non est; ita quoque aquas hostium veneno corrumpere, & similia perpetrare, pridem gentibus displicuit. Saltem à moratioribus eodem fortè refertur, si qua gens inter hostes pestilentiam malitiosè excitare, eaque illos vincere satagat. Ita Florentini intra urbem Senarum, & Turcarum Imperator, cum Chalcidem oppugnaret, asinorum atque equorum cadavera putrescentia intra opidum machina quadam, quam Itali Briccolam vocant, projecerunt. Ejus enim ea vis fuit, ut vasti etiam molares in sublime illius impetu torquerentur. Bononienses quoq; Mutinam cum obsiderent, cadavera jumentorum in urbem jecerunt: cumque fortè asini cadaver soleis argenteis præditum in fontem, quibus abundat urbs, cecidisset, celebre ei nomen apud posteros prodidit. *Sigon. lib. 18. de regn. Ital. p. m. 74.*

C. Ut quaslibet hostium quorumlibet res perdere vel diripere liceat, item Juris Gentium placitum est. Tantùm enim abest, ut Jus Naturæ hanc licentiam belligerantibus omnino concedat, ut sæpe & interdicat. Ut res hostium, quocunque bello captæ, in dominium occupantium transeant, modò illud jure gentium solenne sit, ejusdem generis placitum est. Huic mori autoritatem conciliavit ὁμολογία, pactum gentium, ceu ex Aristotele demonstravi supra *th. 49.* Ante illum Plato *lib. 1. de Legg.* dixit, πάντα τὰ τῶν νικωμένων ἀγαθὰ τῶν νικώντων γίγνεσθαι, *omnia devictorum bona esse vincentium.* Hunc morem Xenophon *lib. 7.* appellat νόμον ἐν πᾶσιν ἀνθρώποις ἀΐδιον, *placitum quod inter omnes gentes perpetuò obtinuerit.* Brennus ad Romanorum

rum legatos apud Plutarchum *in Camillo: Antiquissimam legem sequimini ducem, quæ fortibus res largitur ignavorum.* Ut quovis bello capti quibusvis victoribus serviant: Ut delinquentes vel dedantur, vel puniantur: Ut Induciis constitutis cessent actus hostiles, durante tamen bello, & quæ de Postliminio suprà dixi, omnia Juris arbitrarii inter gentes recepti placita sunt. *Induciarum ea ratio fuit, ut eo tempore, quo præfinita erant, nihil hostile gereretur, sed summa à bello quies esset, atque aliqua etiam societatis cum iis, quibuscum pacta erant, species & imago: quas qui violassent, Jus Gentium violasse existimabantur.* Verba sunt Sigonii *lib. 1. de antiq. jur. Ital. cap. 1. p. m. 122.* uti idem verbis Livii confirmat.

CI. Quid ad hæc Pufendorfius? *Apud multos quoque*, inquit l. c. *sub vocabulo Juris Gentium venire solent quædam consuetudines, inter plerasque gentes, saltem quæ cultiorum & humaniorum sibi famam vindicant, potissimùm circa bellum tacito quodam consensu usurpari solitæ. Postquam enim etiam cultiores inter gentes maximum fuit decus habitum, bello gloriam quærere, id est, in eo præstantiam suam præ cæteris hominibus ostendere, quod quis multos homines auderet, & dextrè calleret perdere, adeoque in bella non necessaria, aut injusta vulgò est procursum: ne ambitionem suam invidiæ nimis exponerent magni bellatores, usurpata omni licentia justi belli, humanitatis, & magnanimitatis quadam specie bellorum atrocitatem temperare multis est visum. Unde ortæ consuetudines circa exemptiones certarum rerum & personarum à vi bellica, modum nocendi hostibus, modum tractandi captivos, & similia. Cæterum consuetudines illæ licet videantur continere obligationem ex pacto saltem tacito ortam; tamen si legitimum*

bellum gerens eas neglexerit, modò contrarium earundem per jus naturæ rectè fieri possit, nullius alterius peccati arguatur, quàm cujusdam ruditatis; quod quis sese ad numeros velut eorum non composuerit, queis bellum inter artes liberales habetur. Non secus atque imperitiæ inter gladiatores accusatur, qui alterum non juxta regulas artis vulneraverit. Igitur si quis justa gerit bella, solo naturæ jure, neglectis illis consuetudinibus, ea potest regere, ni fortè ob commodum aliquod suum easdem malit observare. Ast qui injustis grassatur bellis, vel ideo illas rectè sequitur, ut saltem cum aliquo temperamento scelestus sit. Hæc ille.

CII. Nolo omnia ad vivum resecare, ne ab instituto longiùs discedam. Agnoscit Pufendorfius, tacito quodam consensu inter plerasque gentes consuetudines quasdam circa bellum usurpari: videri quoque illas continere obligationem ex pacto saltem tacito ortam, & tamen illas posse negligi ab eo, qui legitimum bellum gesserit, modò juris naturalis observans fuerit. Talia hæc sunt, ex quibus liquidò colligas, velle illum ἐκλύειν τῇ ὑποθέσει, videlicet, nullum esse Jus Gentium. Si enim actus bellici non solo Jure naturæ reguntur, sed insuper ex tacito gentium consensu norma iis est præscripta, quæ obligationem continet, hujus profectò juris quis non potest esse negligens, etiamsi Juris Naturalis observans fuerit, modò Juris gentium leges sint tales, quæ isti non repugnent. Itaq; si qui belligerantes contra has quidquam occipiant, aut in bello agant, non certè ab aliis ruditatis, sed injustitiæ accusantur. Imò tantùm abest, ut hæc injustitia istiusmodi quæsita voce sit elevanda, ut potius divina humanaque jura violasse existimentur, qui Jura gentium teme-

temeraverint. Exempla ejus rei larga manu suppeditant Historici, & nos jam quædam attulimus. Ipsæ illæ gentes, quæ læsi juris gentium fortè insimulantur, non solent jus illud repudiare, aut profiteri; quod ejus obligationi non sint aut nolint esse obnoxiæ, sed quaslibet alias causas obtendere, & potiùs negare, jus gentium à se violatum esse. Eò quidem rem rediisse fateor, quod bella non eadem sollicitudine ac religione suscipiantur ac gerantur, quemadmodum fortè olim: illi vero degeneres mores paucarum sunt gentium aut Principum, & fortè illorum, quibus Deum hominesque offendere, injuriis lacessere, omne numen negare, aut præsenti utilitati omnia jura postponere, nulla religio est. Malè profectò de publico merentur, qui ita philosophantur, ut magis magisque præsidia securitatis, utilitatis aut salutis gentium destruantur.

CIII. Ille quoque per Obsides cavendi modus gentium moribus & consensu est receptus. Quamvis enim iis Gentibus quibusdam fortè casibus etiam Jure Naturæ debeatur securitas; quo tamen modo iis cautio præstetur, juramento, an nuda promissione, prædibus an prædiis, an vero obsidibus, meri arbitrii res est.

CIV. De Legatis item res est manifestior, quàm ut in dubium vocari debeat. Sed & hac de re diversum sentiens audiendus est Pufendorfius, cujus hæc sunt verba d. l. *Inter præcipua capita Juris gentium voluntarii Grotius numerat jus Legationum. Ubi arbitramur, ipso jure naturæ Legatos esse inviolabiles, etiam apud hostem, siquidem speciem legatorum non speculatorum præseferant, quamdiu in eum, ad quem missi sunt, hostilia non moliuntur; & si fors ordinario*

 modo

modo per tractatus domini sui commodum præ alterius commodo quærant. Cum enim ejusmodi personæ sint necessariæ ad pacem conciliandam, servandam, aut arctius per fœdera & pacta adstringendam, quam ipsum jus naturæ omnibus modis honestis amplecti jubet, utique & cavisse censetur idem jus securitati personarum, sine quibus finis ab eodem præceptus obtineri nequit. Scilicet cum prospiceret, sibi sanctum Legationis jus cumprimis objici posse, etiam illud diffingere, & ad Jus Naturæ referre studet. Præcipit quidem Jus Naturæ, Neminem esse lædendum: at Legatorum, etiam ab hostibus venientium, & fortè perpetrata injuria etiam hostilia denuntiantium, ut sit singularis, solennis, ac præcipua quædam securitas, qualis à nobis suprà descripta est, non Juri Naturæ, sed arbitrio gentium utique accepta ferenda est. Neque etiam supponendum est, pacis conficiendæ gratia unicè Legatos ad hostes mitti? atque hoc si fortè fiat, non tamen Jus Naturæ vult, ut ne puniantur legati propter delicta in ipsum jus naturæ impingentia in illa Republica, ubi illa commissa sunt? quod tamen Juri Gentium consentaneum esse suprà probavimus.

CV. Si usum quoque Gentium videamus, omnes hoc Jus Legationis ad Jus Gentium, ex ipsarum placito ortum habens, referunt. Duo solùm testimonia insigniora adducam, alterum ex veteri, alterum ex recentiori historia. Plura enim qui desiderat, adeat Grotium, & alios, qui hoc argumentum peculiaribus libris excoluerunt. Venerat ad Brennum Galliæ regem Clusinos oppugnantem cum aliis legatus Q. Fabius Ambustus, qui cum regi quieta consilia persuadere non posset, Clusium ingressus, & eruptione cum obsessis facta Gallum quendam

dam proceritate corporis & forma insignem prostravit. *Brennus igitur deos testatus, violato jure gentium, quod apud omnes sit nationes sacrosanctum, eum, qui ut legatus venisset, hostilia perpetrasse.* Verba sunt Pultarchi *in Camillo p. m. 220.* Alterum recitabo verbis Sleidani *ex lib. 15. Comment. Galliæ rex, qui facilè poterat scire, Cæsarem de se gravem habiturum querimoniam ad principes, legationem decernit amplissimam. Legati cum venissent Nancejum, oppidum Lotharingiæ, subsistunt, & cautionem Cæsaris exspectant. Fecialem enim Rex præmiserat Spiram, ejus rei causa, cum literis ad Cæsarem, & privatim etiam ad Principes Electores, quibus literis petebat, suis legatis publica fide caveri. Cum autem Fecialis eò venisset, indutus veste solenni, sicut fieri consuevit, sistitur à Granvellano, cui & literas reddit sui Regis ad Cæsarem scriptas, cum aliter non posset, & sui causam adventus explicat, & Legatis, qui non ita procul absint, jure gentium caveri petit. Jussus manere domi, & diligenter observatus, ne quis ad ipsum colloquendi causa veniret, quarto post die dimittitur asperrimis verbis: Imprudenter ipsum fecisse, & magnum adiisse capitis periculum, qui sit ausus eò venire; nam Regem, qui sit hostis Germaniæ, non habere quod agat intra fines Imperii, neque Jus Gentium illi communicandum esse: redeat ergo domum, & hoc Regi suo renuntiet: non esse vero, quod post hac aut ipse vel quivis alius accedat, & nunc quidem ipsi condonari factum atque remitti, clementia quadam Cæsaris magis, quàm pro ipsius merito, sed caveat imposterum, alioqui non laturum impunè; nam fecisse contra leges feciales, nec in Cæsaris domicilium ei licuisse venire, nisi de illius permissu. Quod ad literas attinet, quas habere se dicat, ita Regem esse de Republica Christiana, & inprimis de Germania meritum, ut in hoc rerum statu Cæsar neque*

neque velit neque debeat eas recipere, ne per illius usitatum scribendi genus atque promissa vel ipse vel etiam alii decipiantur. Hoc responsum gallice perscriptum ei datur. Sic ergo remittitur cum literis Regis ad Cæsarem scriptis atque Principes, & additi fuerunt equites nonnulli, qui Nancejum usque perducerent. Ea re cognita, Legati magnis erant in angustiis, valde solliciti, quomodo sine periculo domum redirent: collato autem consilio cum Lotharingiæ Principe Antonio, noctu clanculùm discedunt, inq; Galliam propinquam revertuntur. Multa hic occurrunt notatu digna circa Jus Gentium, in Legatis & Fecialibus receptum: quæ utique de Jure Gentium propriè dicto sunt intelligenda, neque ad Jus Naturæ referri possunt, nisi quis iniquè de Cæsare senserit, ac si ille Jus Naturæ regi communicandum esse omnino negasset. Etsi igitur non inficias ivero, quibusdam casibus vel temporibus Legatis etiam Jure Naturæ prospectum esse, sæpissime tamen illorum securitati, dignitati vel immunitati non nisi arbitrariis gentium placitis consultum esse existimo.

CVI. Unum denique adhuc, exemplum adferam, quo dubito an ullum ad probandam Juris Gentium existentiam ejusq; usum sit certius & evidentius: quod cum sit obvium, & quotidie frequentetur, miror iis, qui talia argumenta sollicitè aliàs conquisiverunt, illud, quod equidem sciam, non venisse in mentem. Notum est, homines, sive una, sive pluribus diversis civitatibus continentur, varia rerum & commerciorum communicatione indigere; neque enim omnis fert omnia tellus. Quia vero magna est rerum varietas, necessum est res cum re conferatur, & illarum pretia exæquentur, siquidem justè recteq; de iis iniri debeat commercium. διὸ πάντα συμβλητὰ

δεῖ πως

δεῖπως εἶναι, ὧν ἐστιν ἀλλαγὴ, Quapropter quarum rerum sit permutatio, eas res oportet esse ejusmodi, ut inter se quodammodo comparari possint; inquit Philosophus 5. *Nicom. 5.* §. 21. Quippe sine commerciis non potest esse inter homines Societas: commercia vero exerceri nequeunt sine æqualitate: neque hæc haberi potest sine συμμετρία, & rei unius cum altera comparatione. Qualem soritem idem Philosophus construxit *d. c. 5.* §. 45.

CVII. Etsi vero aliàs, quæ σύμμετρα & συμβλητὰ sua natura sunt, debeant esse ejusdem generis, aut similitudinem inter se habere, veluti res ὁμογενεῖς, eodem participantes genere, ut numero singuli numeri, magnitudine figuræ singulæ: hac sanè ratione res permutandæ non sunt symmetræ, utpote ἀνομοιογενεῖς, genere & natura multùm dissimiles: at ratione usus, qui per commercium quæritur, mensuram & exæquationem res quamvis sua natura dissimilimæ recipere possunt. Hac de re ita loquitur Philosophus: *Res inter se tam dissimiles ac dispares, si verum quærimus, nulla communi mensura inter se convenire possunt: sed quod ad utilitatem indigentiamq́, attinet, commodè possunt d. c.* §. 46. Et porrò hinc colligit, omnino necesse esse, ut sit aliqua rerum tam diversarum ratione usus humani, magis minusve necessarii, communis mensura. *d. c. 5.* §. *27. & 47.*

CVIII. Hæc communis Mensura est duplex, altera Naturalis, *Indigentia*: altera ex conventione & instituto hominum, *Nummus*. Priorem ita describit Aristoteles: *Ergo unum quiddam esse oportet, quod cætera omnia metiatur. Hoc porro re quidem vera Usus, seu Indigentia est, quæ omnia continet. Nam si nulla re egerent homines, aut si non similiter*

egerent; *vel nulla, vel non eadem esset permutatio. d. c 5. §. 27. seq.* Hoc igitur vult, res commercio humano obnoxias, cujuscunque illæ sunt generis, æstimationem, & per hanc pretii gradus non recipere secundum dignitatem naturæ suæ; sic enim Mus, inquit hic Thomas, animal sensibile, præferendus esset pulcherrimæ Margaritæ: sed quatenus quibusque homo plus minusve indiget, sive illam indigentiam necessitas, sive etiam luxus flagellet. Rem vero ita omnino se habere, hoc argumento esse posse addit Philosophus, quod sublata vel utriusque, vel alterutrius indigentia, cessent inter eos commercia rerumq; permutationes.

CIX. Cum enim prisci mortales ante Nummum inventum simplici rerum permutatione uterentur, non uno incommodo illa laboravit, atque inter alia etiam eo defecit, quod non semper, nec facilè concurrebat, ut, cum tu haberes, quod ego desiderarem, invicem haberem, quod tu accipere velles; *l. 1. ff. de contrah. empt.* ideo commercia multis modis impedita fuerunt, & indigentiæ sæpissime satisfieri non potuit. Ut igitur omnibus illis veteris Permutationis difficultatibus obviam iretur, & pro cujusque hominis usu, indigentia ac desiderio justè commodeq; commercia procederent, ex hominum instituto & placito successit altera mensura, Nummus, quo rerum omnium pretia exactè definire, atque hoc instrumento commerciorum aptissimo homines uti, tantoq; expeditius suis necessitatibus eo succurrere possent. Unde Aristoteles ita ait: *τὸ νόμισμα, στοιχεῖον καὶ πέρας τῆς ἀλλαγῆς ἐστι, Nummus est elementum & terminus permutationum. 1. Polit. 6. p. m. 34. pr.*

CX. In-

CX. Intereſt vero illum audire pleniùs de Nummi Origine diſſerentem. Itaque *lib. 1. Polit. c. 6. p. 31.* his utitur verbis: *Cum longinquius commodum quod hinc* (ex Permutatione) *capitur, factum eſſet, importandis rebus, quibus egebant, & exportandis, quibus abundabant, neceſſario uſus Nummi comparatus eſt. Non enim facilè comportantur aliò cuncta res, quæ ſunt naturâ vitæ neceſſariæ. Quapropter ad commercia hujusmodi quiddam pepigerunt inter ſe dare, & accipere. Quod cum ipſum unum eſſet eorum quæ utilia ſunt, continebat in ſe uſum facilem ad vitam; cujuſcemodi eſt ferrum & argentum, & ſi quid hujuſcemodi eſt aliud. Primum quidem ſimpliciter definitum magnitudine & pondere: poſtremum autem nota impreſſa, ut liberet ipſos cura ponderandi. Nota enim poſita eſt quantitatis indicium.* Primò igitur oſtendit Philoſophus, quibus cauſis non tam moti, quàm adacti homines Nummi uſum amplexi ſint, quod priſca illa rerum Permutatio gravibus involuta difficultatibus Indigentiæ explendæ non ſufficeret: quas aliàs diſtinctè explicavi. Deinde quod Nummus ſucceſſerit in locum Indigentiæ, quo perinde uti hâc, rerum diverſarum diverſiſſima pretia homines metiri poſſent. *Nummus res inter ſe diſpares apta quadam compoſitione & convenientia concordes efficit. Nihil eſt enim, cujus pretium non metiatur Nummus. 5. Nicom. 5. §. 48. & 49.* Et *lib. 9. Nicom. c. 1. §. 3.* κοινὸν μέτρον τὸ νόμισμα, *communis menſura Nummus* appellatur. Et χρήματα λέγομεν πάντα, ὅσων ἡ ἀξία νομίσματι μετρεῖται, *Opes appellamus omnia, quorum pretium metitur Nummus. 4. Nicom. 1. §. 4.* Et quia Nummus ea re vicem ſupplet Indigentiæ, ideo eidem Philoſopho dicitur τὸ νόμισμα ὑπάλλαγμα τῆς χρείας, *ſuccedaneus & vicarius indigentiæ.*

 CXI. At-

CXI. Atque hac vice & æstimationis officio ut tantò rectius fungi Nummus possit, non ex qualibet materia is confici debet, etiamsi magnum huic pretium statuerint homines: quamobrem gemmæ & margaritæ Nummis adhiberi nequeunt; sed talis requiritur materia, quæ in quantascunque partes cudi, duci, fundi, fingiq; possit, quæ rerum quantacunque pretia exquisitè metiri, & ut minimi nummi multiplicati magni ponderis nummum ejusq; pretium exæquare possint. Sunt igitur Nummis conflandis aptissima Metalla, quæ etiam nomen suum inde traxisse videntur, quod ad *μεταλλαγὴν commutationem rerum* maximè sint oportuna. *P. Victor. in comment. ad d. c. Polit.* Inter illa vero illorum usus eminet, quæ rariora sunt; pretiosiora, neque decidua materia detrita vilescunt, sed quæ præ aliis bonitate, uti ajunt, interna commendentur. Debet enim Nummus esse *οἷον ἐγγυητὴς, instar fidejussoris*, qui pro merce data accipientem securum faciat, quod pro illo vel eandem vel ejusdem pretii aliam alio tempore comparare possit. *5. Nicom. 5. §. 38.* Quo igitur rarior & pretiosior Nummi fuerit materia, eo rectius Fidejussoris vice fungi, securioremq; accipientem reddere potest. Itaque cum inter metalla facilè principem locum ad Nummi usum sibi Aurum vindicet, & Antonius in contumeliam naturæ vilitatem auro fecisset, opus hoc proscriptione dignum judicavit Plinius *lib. 33. c. 3.*

CXII. His ita præmissis, propius ad institutum nostrum accedemus, investigaturi à quibus & quo Nummus modo sit mensor pretiorum constitutus, ejusq; usus receptus. Paucis id jam indicatum, nunc pluribus est explicandum. Aristoteles *d. c. 5. Nicom. §. 29. seq.* hac de re ita disse-

disserit: τὸ νόμισμα γέγονε κατὰ συνθήκην. καὶ διὰ τοῦτο τοὔνομα ἔχει νόμισμα, ὅτι οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ ἐστὶ, καὶ ἐφ' ἡμῖν μεταβάλλειν καὶ ποιῆσαι ἄχρηστον. *Ex hominum quasi compacto & convento factus est Nummus. Atque is hanc ob causam* νόμισμα *dicitur, à legis vocabulo: quia non natura, sed lege* (ex instituto humano) *valet. Estq; in nobis situm, eum mutare, inutilemq; reddere.* Paulò post cum dixisset, unum quid requiri, quod mensoris vice fungatur, & omnium rerum pretia definiat, Nummum hoc esse ait, ἐξ ὑποθέσεως, *hominum instituto & ex conditione. §. 47.* Rectiùs illam vocem transtulit Argyropolus: *Ex positione,* scilicet hominum. Cum his textibus convenit ille ex *1. Polit. c. 6.* adductus, cujus hæc verba huc pertinent: τοιοῦτόν τι συνέθεντο πρὸς σφᾶς αὐτοὺς διδόναι καὶ λαμβάνειν, *Hujuscemodi quiddam pepigerunt inter se dare & accipere,* homines, quod rebus permutandis & commerciis tractandis tanquam instrumentum inserviret.

CXIII. Apparet ex his, Nummi usum non esse receptum inter unam paucasve familias, neque inter unius emporii, neque unius civitatis vel Reip. cives, sed inter plures gentes liberas, quotquot veteris permutationis ejusq; difficultatum pertæsæ, hanc faciliorem & expeditiorem commercandi rationem fuissent amplexæ. Quippe notum est, commercia non tam inter unius emporii vel civitatis homines, quàm diversas gentes & Rerumpublicarum cives frequentari. Hinc Philosophus *eod. cap. 6. p. m. 31.* ait, illos inprimis, qui maximè locis fuissent disjuncti, permutatione fuisse usos, ὧν κατὰ τὰς δεήσεις ἀναγκαῖον ποιεῖσθαι μεταδόσεις, *quæ pro cujusque egestatibus necesse erat, sibi invicem impertiri:* & mox addit, καθάπερ ἔτι πολλὰ ποιεῖ καὶ τῶν

βαρβαρικῶν ἐθνῶν κατὰ τὴν ἀλλαγὴν, *Quemadmodum adhuc multa faciunt barbararum gentium in permutatione.* Proinde illud Aristotelicum συνθέντες, omnium optimè vertit Jo. Genesius Sepulveda: *Publico Gentium consensu constitutum est.*

CXIV. Ex quibus uti tota *l. 1. ff. de contrah. empt.* ita etiam hæc illius verba hinc intelligi poterunt: quod ad Nummum talis electa fuerit materia, cujus *publica* ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subveniret. Etsi enim ea sit Nummi conditio, si ejus naturam & originem inspicias, ut, sicuti hominum arbitrio ejus usus fuit receptus, ita quoque liberè repudiari ac rejici possit; si tamen finem & commoda videas, quibus Nummus est definitus, nihil æquè commerciis promovendis prodest, quàm, ut *perpetua*, quantum fieri potest, ejus sit æstimatio: quemadmodum nihil iis perinde obest, quàm ejus crebra mutatio. Unde etiam ipsarum rerum & mercium pretia frequentiùs, quàm Nummorum mutari videmus. Hanc igitur ad rem publica autoritate opus est Majestatis civilis, quæ ratione convenientis pretii quorumlibet Nummorum quantitatem exigat: quam olim appensis ad libellam nummis rudibus adhuc, &, ut Thucydides appellat, ἀσήμοις, *non signatis*, examinabant: unde *impensarum*, *expensarum* aliaq; istiusmodi nomina Latinis manserunt. *Plin. lib. 33. c. 3.* Cum vero Nummi usus magis magisque invalesceret, & subinde ab hominibus & gentibus receptus esset, nota seu character publica autoritate nummis insigniri cœpit, fidem & indicium quantitatis aut pretii faciens

ciens, ut ita ponderandi molestia commercantes liberarentur. Atque tunc argentum *signatum*, Thucydidi ἐπίσημον dictum fuit.

CXV. Quamvis igitur Paulus JCtus d. l. 1. videri queat hoc voluisse significare, *publicam* debere esse æstimationem, eo, quo jam expositum fuit modo; omnino tamen mihi persuasum habeo, non solùm hoc, sed præterea his etiam verbis id illum exprimere voluisse, eam debere esse Nummi conditionem, ut illius quantitas & æstimatio publico Gentium usu & consensu approbetur, vel probari, si non subito ubique, saltem paulatim, possit. Cum enim commercia non unius urbis aut regionis limitibus circumscribantur, sed per omnes gentes populosq; vagentur, necessum est, ut si Nummus eorum usibus ubique gentium inservire debeat, ejus quoq; valor publico gentium suffragio comprobetur. Hinc cum Theodorus Zuingerus in suo Theatro narrasset, quo tempore Romæ Nummus fuisset percussus, hæc adjicit verba: *Qui cæpit deinceps ubique gentium cudi, & communis esse*, putà ad usum & varia commercia liberarum gentium, quæ Nummo primùm invento avidè ejus usum arripuerunt, rebusq; æstimandis & permutandis adhibuerunt.

CXVI. Modum quod attinet, quo Nummus inter Gentes fuerit receptus, disertis verbis adfirmat Philosophus, factum id esse κατὰ συνθήκην, *ex pacto, conventione & instituto* illarum, ἐξ ὑποθέσεως: quod Zuingerus in suis Annotationibus ex Mathematicorum disciplina explicat. Quemadmodum enim iis ὑποθέσεις dicuntur, quæ postulare solent, ut sibi concedantur; ita inquit, Nummum debere esse rerum omnium mensuram, hominum gentiumq; est

ὑπό-

inhesis, id est, hominum concessione, conventione & consensu ita decretum est, Nummoq; id tributum, quod hoc inter se ita statuerint, & concesserint homines. Sicuti igitur tot alia inter Gentes jura fuere recepta, ita quoque hoc de Nummi usu placitum, pacto fortè primùm expresso, quod mox aliæ atque aliæ gentes imitatæ, non solùm in suas quæque civitates, sed quoque inter se receperunt, sic ut paulatim tacita conventione Nummi usus penè inter omnes aut plerasque gentes fuerit receptus; ut dubitem, an ullum Juris Gentium exemplum magis possit exhiberi evidens, ad illud demonstrandum, quodq; simul tam exactè modum prodat, quo propagari, & juris autoritatem adipisci solent ea, quæ diuturno usu gliscentia tacito pacto confirmantur, ipsasq; liberas etiam gentes suæ obligationis vinculo continent.

CXVII. Illustrabo hoc ipsum una Nummi specie. Notum est omnium manibus versari Ducatos: de quibus fertur, quod primò omnium in Italia sint cusi. Cum enim Urbibus Italiæ ab Imperatoribus Constantinopolitanis, exstinctis jam Occidentalibus, vel eorum Exarchis Ravennatensibꝰ Duces essent præfecti, ab his primùm aurei nummi, qui ab illis nomen traxerunt, & Ducati appellati sunt, originem habuerunt, sic ut alii hanc Nummi speciem Duci Romano, alii Veneto, Joanni Dandalo acceptam ferant, patrocinante isti in hoc ambitus judicio Hieronymo Rubeo *lib. 3. histor. Ravenn. p. 170. seq.* huic Joanne Nicolao Doglionio in sua Venetia triumphante & semper libera. Ille Nummus non solùm in Italia ubique fuit approbatus, sed ad ejus imitationem plurimi Ducati cudi cœperunt ubique in Germania, Belgio, Dania, Suecia,

Polo-

Polonia, Hungaria Transylvania, ipsoq; Turcico Imperio; sic ut apud nos præ omnibus sive aliis Ducati Turcici, characteribus Arabicis insigniti, sint acceptissimi, eorumq; usus in Europa, Asia & Africa plurimarum gentium liberarum conventione frequentetur. Quod si ad remotissimas terras gentesq; Americanas vel alias suscepta itinera explores, eorumq; descriptiones sive veteres sive recentissimas perlustres, ubique terrarum æquè facili consensu Nummi usum paulatim receptum esse deprehendes.

CXVIII. Neque est quod quisquam objiciat, sæpe tamen vel Nummos repudiari à gentibus, vel mercium venditionem denegari, licet nummi offerantur, in quibus nihil desiderari possit. Prius enim quòd attinet, fieri multis modis potest, ut Nummi à gentibus non iniquè rejiciantur, quod pretio iis tributo vel quantitas vel qualitas non conveniat, vel quod inexspectata mutatio aut aliud quoddam incommodum iis acciderit, ut idoneus esse desierit, qui Fidejussoris vice fungatur. Quod concernit posterius, fieri etiam potest, ut non iniquè commercia denegentur, oblatis licet nummis, in quibus nihil sit vitii. Nam si domini rerum ipsi iis indigeant, melior utique eorum debet esse conditio, neque compelli tunc possũt, ut res suas inviti vendant. Quin etiam licet ipsi fortè iis non indigeant, sed Princeps aut Respublica; horum non iniquo jussu subditis interdici potest, ne res suas vendant, neque illas exportent ad alias gentes, neque ab his emi & exportari sinant: ne quid dicam, posse quosdam non solùm homines, sed etiam populos, se vel omnium, vel quarundam rerum commercio reddere indignos. Si igitur termini habiles, uti vulgò loquuntur, constituantur,

& ea à Nummo & commerciis ſemoveas, quæ iis forte fortuna aut rarò accidunt; tamen plerumque & apud pleraſque gentes ex illarum conventione valet Nummi uſus, ut ſit menſor pretiorum, & inſtrumentum commerciorum.

CXIX. Cum igitur ad hæc & iſtiusmodi placita omnes gentes uno ore provocent, in illa conſentiant, & ſingulæ ſe ad illa obligatas profiteantur, temere profectò illud vinculum reſcindere velle videntur, qui hoc Jus Gentium impugnant. Quorum doctrina quô majori cum periculo ſalutis publicæ eſt conjuncta, ita ejus eximium ſtudium bonamque mentem profitentur, qui gentibus, civitatibus, principibus hoc conſilium jam ante hac commendarunt, ut ipſorum arbitratu Collegium aliquod Fecialium communi conventione conſtituatur, in quo controverſiæ inter gentes ortæ primò omnium cognoſcantur, diſceptentur & judicentur, neque bello niſi extrema neceſſitas viam aperiat, ſic ut illud in eos demum ſuſcipiatur, qui fortè judicatum facere nolint, aliisve modis hujus Collegii autoritati ac decretis contumaciam ſuam objiciant. Videri quidem hæc multis idea bonæ mentis, &, ſi tempora moresque ſpectes, rideri poterit. Quemadmodum vero multi Philoſophi & Hiſtorici Optimam Remp. vel Principem optimum ſecundum ſuæ contemplationis ideam expreſſerunt, ſuosque imitatores ſaltem in partibus invenerunt, qui illorum dogmata in uſum Reip. ſuæ magno cum fructu tranſtulerunt; ita profectò hæc idea non eſt ejus notæ, cujus Platonica rerum omnium communio, ſed & talem haberi poſſe, non eſt impoſſibile, ejusque utilitas futura eſſet longè maxima.

CXX. Quod

CXX Quod si omnibus gentibus aut plerisque hoc persuaderi nequeat, saltem Christianis tantò magis illud debebat esse commendatum, quò enixiùs Servator suos sectatores ad pacem & charitatem obstrinxit. Optent igitur hoc Christiani Principes singuli, quod fecisse ajunt Henricum IV. Galliæ Regem, quo nemo ingenio manuq; fuit promptior. Etsi optant, cur non idem institutum etiam velint, quod in ipsorum arbitrio & potestate est? Qui civitatibus regendis præsunt, Justitiæ debent esse observantissimi. Hujus quò quis fuerit studiosior, eò lubentiùs hoc consilium amplectetur. Si qui vero ambitione, avaritia, imperitandi libidine & insolentia aliisque vitiis ducti bella ex bellis serere, plurimumque per cædes hominum sanguinem effundere, pro ludo aut gloria ac potentiæ materia habeant, his certè hoc consilium nullo modo probari potest, cum illud in præsidium non eorum sit cessurum, qui injurias inferre velint, sed qui pati nolint. Quippe hoc consilio admisso, potentior inferiorem non opprimet, quia Deum & Justitiam superiores se agnoscit, unde tantum abest, ut quid decedat potentiæ & dignitati alicujus Regis, ut potiùs tantò major sit futura ejus laus animique generositas. Infirmior qui sit, non suspectas habebit aut sibi formidabiles potentioris vires; non tanto sumptu & subditorum ad extremam paupertatem præcipitantibus impensis alentur milites & exercitus: simultates, invidiæ & similes pestes vel cessabunt, vel certè non facilè tunc in cruenta bella prorumpent. Otio vero depellendo & ignaviæ declinandæ alia, eaque commoda, & Christiano orbi plurimùm profutura remedia supererunt.

CXXI. Quod si neque hoc sperare vel obtinere liceat, saltem Germanicarum gentium felicitatem ac tranquillitatem mei consilii votique summam esse velim. *Illud enim perpendendum relinquo, annon Principes Germaniæ singuli propemodum singulas habeant Respublicas, & totum S. R. Imperium non sit verè una Respublica, utut multa adhuc habeat communia omnibus. Relinquo,* inquit Conringius, *hoc perpendum aliis. de pace perpet. inter Imp. Ordin. sect. 2. concl. 17.* Cui addatur *Bachov. ad Wesenb. in quib. caus. pign. vel hyp. tac. contr. n. 5.* Quidquid ejus rei sit, magis magisque in partes Ordines Imperii discedere, discipulus prioris posterior dies docet. Quò enim majori contentione quisque sibi instar Reipublicæ fingit, format, adstruit, eò magis universi Imperii compagem laxari necesse est. Gravissimas hinc calamitates & olim & nunc sensit Germania, quibus medendis Regimentum, mox summum aliquod Tribunal, nuper & alterum, instituta sunt: atque his tot saluberrimæ & prudentissimæ sanctiones legesque accesserunt. Nondum tamen persuasum Ordinibus esse videtur, quod examini, idem & api expedire: quin eorum nonnulli vel suo Marte, vel alieno, & quidem extero, adjuti à communione Reipublicæ non solùm se abstrahunt, sed hostes in ejus viscera sæpe attrahunt, ut securitati & tranquillitati publicæ nunquam satis prospectum vel cautum sit, tantoque majorem laudem mereantur summi Viri, qui Comitiis jam congregati Imperio quanto possunt studio & ope ea parte subvenire satagunt, qua illud maximè laborat. De Ætolis refert Polybus *lib. 4. quod neque pacis neque belli leges norint, sed utroque tempore contra jus gentium & omnium hominum instituta, quod semel destinassent, perfecerint*

Achai vero, inquit idem Autor cumprimis bonus, judicio Ciceronis, *lib. 2. mirificè per concordiam mutuam crevere, nostra memoria. Nam cum multi ante hac tempora essent conati Peloponnesios persuadere, ut communibus consiliis omnium saluti consulerent, neque tamen perficere, quod instituerat, quisquam potuisset, quod non studio defendendæ communis libertatis, sed ad stabiliendam quisque suam dominationem id negotium susciperent; nostra hac ætate tale tantumq; ea res incrementum cepit, vel potius adeò perfecta est, ut non solùm ad amicitiam sociali fœdere inter se jungendam coierint; sed etiam legibus, ponderibus, mensuris, pecunia denique eadem utantur: ad hoc, magistratibus, senatoribus, judicibus iisdem: atque uno verbo, quò minùs universa propemodum Peloponnesus pro urbe unica possit censeri, id unum obstat, quod non eorundem mœnium ambitu omnes eius incolæ capiantur. Cætera apud illos & in commune & per singulas urbes similia sunt atque eadem.* Paulò pòst memorat princeps ille Historicorum, Achæorum fide & consiliis civitates usas fuisse ad componenda quibus urgebantur mala: fuisse illis unam semper Reip. administrationem, per quam soliti fuerint ad Æqualitatem & Libertatem, quæ inter ipsos viguit, invitare: eos autem, qui vel propriis opibus, vel Regum auxilio freti suas sibi civitates servire coëgerint, continuè bello petiisse, & in ordinem redegisse. Huic Achaico fœderi geminum est, quod inter civitates Helvetiorum, & alterum, quod inter septem Provincias Belgicas obtinet. Eadem omnium initia, horum majora incrementa. De exitu eorum nil addam, nisi quod ex similibus causis similes sint metuendi eventus. Achaico fœderi Rempublicam Imperii nostri æquiparavit vir celeberri-

berrimus Gothofredus, ac si ejus membra simili vinculo contineantur. Hoc sive ita sit, sive paulò aliter se habeat, an non, proscripta Ætolorum Anarchia, maximo Imperii & singulorum Ordinum bono Collegium aliquod Fecialium excitari, cui res ad pacem bellumque & continendam Reip. nostræ adversus molitiones sive internas sive externas communionem pertinentes, certis legibus, quales quidem nostrarum rerum conditio suggeret, committi queant, prudentiorum deliberationi relinquo, commendo.

SOLI DEO GLORIA.





